3 1761 05345870 9

S. PAULI EPISTOLÆ

COMMENTARIUS

IN OMNES

S. PAULI

EPISTOLAS,

AD USUM

SEMINARIORUM ET CLERI,

AUCTORE

J.-A. VAN STEENKISTE,

Can. hon. eccl. cath. Brug., S. T. Lic. in Univ. cath. Lovan.,
et olim per 20 annos s. Script. Profess. in Semin. Brugensi.

Quotiescumque lego Paulum Apostolum, videor mihi non verba audire sed tonitrua... Quocumque respexeris, fulmina sunt.

S. Hier., *Epist. ad Pammach. pro libris ad Jovin.*

Sicut inter Scripturas V. T. maxime frequentantur in Ecclesia Psalmi David...: ita in N. T. frequentantur Epistolæ Pauli... Quia in utraque Scriptura fere tota theologiæ continetur doctrina.

S. Thom., *Prolog. comm. in Ep. Paul.*

Singulis epistolis accedunt tabulæ synopticæ, paraphrases continuæ et analyses logicæ.

QUARTA EDITIO.

TOMUS II.

BRUGIS,

APUD BEYAERT-STORIE, BIBLIOPOLAM.

RATISBONÆ, Apud Pustet.

PARISIIS, Apud P. Lethielleux 4, *via Cassette.*

LONDINI, Burns and Oates *Portman Street* and *Paternoster Row.*

BUSCODUCI, Apud Mosmans.

MDCCCLXXXVI

APPROBATIO

3ᵆ edit.

Tertiam editionem *Commentarii in epistolas s. Pauli*, a R. A. D. J. Al. Van Steenkiste, sacræ Scripturæ professore, et Ecclesiæ cath. Brug. Canonico ad hon., anno 1868 iterum in lucem editi, atque a Nobis ad usum Seminarii nostri approbati, non tantum alumnis nostris charissimis, verum etiam toti Clero nostro, quamplurimum commendamus.

Brugis, 1 Junii 1876.

† J. J., Episc. Brugen.

APPROBATIO

4ᵆ edit.

Imprimi potest.

Brugis, die festo s. Jacobi 1886.

J. A. Syoen, Can. Libr. Cens.

EPISTOLA

AD EPHESIOS.

Est epistola plena sublimibus sententiis et dogmatibus. S. Chrys. in prol.

Beatus Apostolus ad nullam Ecclesiam tam mystice scripsit. S. Hier. ad h. ep.

INTRODUCTIO.

§ 1. Quibus missa fuerit epistola.

Propos. 1ª. Certum non est hanc epistolam ad *solos* Ephesios destinatam fuisse. Etenim

1⁰ Inscriptio *Epistola ad Ephesios*, quamvis antiquissima, non tamen a Paulo auctore provenit; et tertio jam seculo varians erat, siquidem Marcion hæresiarcha, loco *ad Ephesios*, in suo codice legebat *ad Laodicenses;* et Tertullianus, ut hanc Marcionis opinionem confutaret, non ad codices, sed ad Ecclesiæ traditionem provocabat (cf. Tert. contra Marc. V, 11).

2⁰ Præterea, in salutatione *Iis qui sunt Ephesi*, verbum *Ephesi* non est certo genuinum, quum neque in cod. B a prima manu, neque in cod. Sinaitico inveniatur; deinde nec Marcion, imo nec Tertullianus illud in suo codice reperiebant; pariter s. Basilius, Origenes, et s. Hier., quamvis non dubitarent epistolam Ephesiis reipsa missam fuisse, non legerunt vocem *Ephesi*.

3° Quæ in hac epistola dicuntur, sunt prorsus generalia; nusquam meminit Apostolus necessitudinis aut amicitiæ, quam cum Ephesiorum plurimis absque dubio habuit, eo temporis lapsu, quo, per triennium circiter, apud eos remansit. Nulla quoque adest salutatio particularis, nullumque familiaritatis aut teneritudinis paternæ vestigium; quum tamen arctissimo charitatis vinculo eis adstrictus esset, ut ex oratione valedictoria, quam ad eorum clerum habuit Mileti, colligimus (Act. Ap. XX, 17-38).

4° Tandem, quædam loca innuere videntur non omnes illos, ad quos scribit s. Paulus, eum personaliter audiisse aut cognovisse. Sic III, 2-4 : *Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis* etc. Et IV, 20 et 21 : *Si tamen illum* (Christum) *audistis* etc. Nota 4^m^ hoc argumentum non adeo firmum esse, quum sensus probabilior sit : *Siquidem audistis*, ut dicemus infra in annot.

Prop. 2^a^ Probabilior conjectura est, epistolam vere ad Ephesios scriptam fuisse, eo tamen pacto ut et aliis vicinis civitatibus communicaretur aut prælegeretur.

Ad explicandas difficultates, quas modo indicavimus, variæ excogitatæ fuerunt conjecturæ : quarum 1^a^, minime probabilis, nonnullorum est veterum interpretum : scil. epistolam exaratam fuisse eo tempore, quo Apostolus Ephesios nondum adiisset. Ideo autem respuenda est ista sententia, quod compertum sit, ut infra dicemus, epistolam in vinculis Romanis, adeoque diu post Evangelium Ephesiis prædicatum, scriptam esse.

2^a^ Conjectura, etiam improbabilis, eorum est, qui, cum Marcione, censent, contra traditionem Ecclesiæ (quam allegabat Tertullianus), hanc esse epistolam ad Laodicenses, de qua loquitur s. Paulus ad Col. IV, 16 : *Eam* (epistolam) *quæ Laodicensium est, vos legatis.* Huic autem conjecturæ obstat ibidem (v. 15) dici : *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ;* nulla enim excogitari potest ratio firmissima, quare rogasset ut suo nomine salutatio daretur Laodicenis, si ipsemet eodem tempore (nam epistola nostra ad Ephesios simul cum epistola ad Colossenses missa est) ad eos scripsisset : certe ipse Paulus eos salutasset, et hoc non postulasset

a Colossensibus. Admittendum igitur videtur epistolam ad Laodicenses deperditam esse, quemadmodum primam quamdam ad Corinthios, ut notavimus in § 2 introd. ad 1m ad Cor. (1).

Manet itaque 3a conjectura, aliis probabilior, nimirum epistolam nostram *Ad Ephesios* esse encyclicam, seu circularem, ad omnes vel saltem ad plures Asiæ-Minoris ecclesias scriptam; adeoque Epheso, istius regionis metropoli, primario destinatam, secundario vero, civitatibus vicinis. Ita Hug, Reithmayr, Allioli, Bisp., Reischl, Beelen, Lamy, etc. Hoc admisso, facile concipitur quare Apostolus particulares et personales notitias non inseruerit. Forsitan post verba *iis qui sunt* spatium reliquit vacuum, vel tale spatium reliquerunt illi qui, secundum ejus desiderium, epistolam transcripserunt, ut adjungerentur varia nomina civitatum ad quas mittenda esset. Inde etiam explicatur quomodo verbum *Ephesi* post *iis qui sunt* in nonnullis codicibus non legatur. Deinde, ut notat Beel., in fine epistolæ non habetur consueta formula *pax vobis*, sed *pax fratribus.*

Utcumque se habeat illa conjectura, quam non admittunt Meyer (acath.), Danko et Drach, ideo præsertim quod nullum testimonium positivum ex antiquitate in ejus confirmationem repertum fuerit, saltem hoc certum est et vetustissimis traditionis testimoniis invicte comprobatum, hanc epistolam vere ad Ephesios scriptam fuisse.

§ 2. De statu ecclesiæ Ephesinæ.

Ephesus erat urbs Asiæ-Minoris metropolis, portum habens in mari Ægeo; commercio, scientia et artibus florebat, sed idololatriæ (2) et magiæ (Act. XIX, 19) valde dedita erat. S. Paulus primum

(1) In annot. ad Col. IV, 16 argumenta exponam quibus hæc opinio, de epistola ad Laodicenses deperdita, a nonnullis impugnatur.

(2) In ea erat templum illud celeberrimum *Dianæ* dedicatum, quæ quidem dea seu *Majestas a tota Asia* et *ab orbe colebatur* (cf. Act. XIX, 27), et *Magna Diana Ephe-*

ad illam urbem venit in secundo itinere apostolico (Act. XVIII, 19) : disputavit cum Judæis in synagoga; sed cito profectus est (ib.). Eo autem rediit in 3° itinere, et strenue Evangelium prædicavit (Act. XIX). Ibi, vel in locis vicinis, per triennium mansit, ut ex Act. Ap. XX, 31 eruitur.

Demetrii seditionem fugere coactus, inde in Macedoniam profectus est (Act. XX, 1), et, secundum multorum opinionem, Timotheum tamquam episcopum Ephesi reliquit; alii vero id serius factum fuisse docent. Ex duabus autem literis quas, post epistolam ad Ephesios, ad discipulum scripsit, colligitur apud eos surrexisse quosdam pseudo-doctores, qui fidem ab Apostolo prædicatam, per *fabulas* et *genealogias interminatas* (1 Tim. I, 4) pervertebant. Erant isti, ut videtur, Judaizantes qui Simonianorum placita sequebantur, et Paulum, gentilium doctorem, acriter oppugnabant : de quorum numero erant forte viri illi quos notat Apostolus 2 Tim. I, 15 : *Aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus et Hermogenes.*

Probabile autem est ethnico-christianos majore cum fidelitate in doctrina Apostoli perseverasse. Utile tamen duxit s. Paulus eos 1° in fide confirmare magisque instruere, et 2° ad sanctitatem vitæ perfectam simul adhortari. Hunc in finem epistolam scripsit, quam hic elucidare suscepimus.

§ 3. Argumentum et divisio epistolæ.

Duplicem scribentis finem modo indicavimus. Quod autem attinet ad epistolæ argumentum et divisionem, binas partes, quem-

---

siorum vocabatur (ib. 28 et 34). Notandum autem est, Dianam illam non fuisse sororem Apollinis, de qua tam sæpe scribunt poetæ græci et latini; sed, ut videtur, eadem erat ac Isis Ægyptiorum. S. Hier. : « Paulus, ait, scribebat ad Ephesios « Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet atque succincta est, sed « illam multimammiam, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam « bestiarum et viventium esse nutricem. »

admodum fere omnes epistolæ Paulinæ, *dogmaticam*, et *moralem* sive *parœneticam*, præ se fert plane distinctas.

In PARTE DOGMATICA, quæ tria priora capita complectitur, Apostolus insigne Dei beneficium quod gentiles, per suam conversionem, vi meritorum Christi, in re salutis acceperant, profundissimo modo exponit. Adeoque Ephesios ethnico-christianos fusius pleniusque instituit de œconomia salutis universa, sive de præcipuis fidei mysteriis: sc. de vocatione gentilium, de prædestinatione gratuita, de mystica justorum unione cum Christo, ejusque corpore quod est Ecclesia, et de futura eorum glorificatione.

Illud autem thema, *de insignibus beneficiis quæ in ordine ad salutem per Christum a Deo acceperunt Ephesii*, hac sententiarum serie evolvitur :

§ 1. Cap. I, 1-19 beneficia per Christi Incarnationem accepta summatim exponuntur. Est quasi enuntiatio theseos tractandæ, seu status quæstionis.

§ 2. Cap. I, 20-II, 10, magnitudo illorum beneficiorum ostenditur, per comparationem cum Christi gloria, quam participant christiani.

§ 3. Cap. II, 11-fin., eadem beneficia amplificantur, per comparationem pristini gentilium status cum præsenti eorum in Ecclesia conditione.

§ 4. Toto cap. III, illam doctrinam sua auctoritate confirmat Apostolus, Deumque precatur ut Ephesii eam melius percipiant.

In PARTE MORALI, cap. IV-fin., præscribit formam quamdam exactam vitæ christianæ, in qua primum omnes admonet circa generalia christianorum officia, deinde singulos instruit de peculiaribus variorum statuum officiis. En analysim :

§ 1. Cap. IV, 1-16 ad unitatem fidei et charitatis adhortatur omnes.

§ 2. Cap. IV, 17-V, 20. Præcepta morum tradit particularia, præsertim circa duo: sc. circa officia erga proximum, et circa castitatem.

§ 3. Cap. V, 21-VI, 9. Varia describit officia uniuscujusque in disciplina domestica. Videlicet viri et uxoris, parentum et liberorum, servorum et dominorum.

§ 4. Cap. VI, 10-fin., agit de pugna spirituali, quam christianus quivis adversus hostes salutis inire debet; et distincte explicat quibus armis uti oporteat.

Argumentum, tum dogmaticum, quum morale hujusce epistolæ, tantum habet similitudinis cum epistola ad Colossenses, ut utraque simul spectari debeat; utque vere dicendum sit alteram ab altera sæpissime explicari et compleri.

§ 4. De epistolæ authentia.

Unanimo totius antiquitatis consensu, et tam unanimo quidem ut nulla noscatur exceptio, certissime constat hanc epistolam esse opus Pauli genuinum.

Præterea, plura sunt loca quæ auctorem manifesto indicant. Sic I, 1 et III, 1 scriptor ipsemet se Paulum nominat. Igitur, vel Apostoli scriptum reipsa est, vel audacissimi falsarii, qui magni istius viri nomen usurpans, apocryphum opus vulgavit; quod fieri debuit, vel primo jam seculo, vel saltem secundo, ut patet ex testimoniis illius ætatis. Quis autem sanæ mentis credat hujusmodi falsitatem ubique, inter omnes ecclesias, absque eo quod ullus reclamasset, sparsam fuisse?

Ceteroquin difficultates, quas rationalistæ biblici quidam, v. gr. De Wette, Baur, Ewald, et post istos apostata Renan, ex ipsius epistolæ argumento excogitarunt, etiam si ineluctabiles essent, auctoritatem universæ traditionis minime destruerent: quod demonstrare conatus sum, ubi vim argumenti, quod *præscriptionis* dicitur, in § 3 introd. in Evang. s. Matth. (Comm. nostr., 3ª ed. Brugis, 1880-1882, 4 vol.) exposui. Verum tantum abest, ut solvi non possint objectiones ex argumentis internis deductæ, ut istæ potius gratuitæ suppositiones dicendæ sint.

Exempli gratia audiatur De Wette serio asserens: *Epistolam hanc esse sententiis vacuam, et videri quamdam verbis profluam explicationem epistolæ ad Colossenses.* Quid! Sensu vacat epistola quæ, si vel cursim leviterque legatur, animum commovet et admiratione percellit! Nihil igitur intellexerunt ss. Patres et doctissimi omnium ætatum interpretes, qui sententiarum sublimitatem profunditatemque doctrinæ animadverterunt et celebrarunt! Cæcutivit plane Erasmus, vir rei literaris non ignarus, quando *Eumdem Pauli fervorem, eamdem profunditatem, eumdemque omnino spiritum et pectus* hic invenit?

Contendunt etiam adversarii nostri, in hac epistola plurimas occurrere dictiones et imagines, quæ in aliis Pauli scriptis non inveniuntur. Hanc objectionem plene confutavit Lünemann (acath.) in opere *De ep. ad Eph.* Götting. 1842, ubi singulas illas dictiones examinat, et errores Rationalistarum ad ultimas usque latebras diligenter perscrutatur. Vide Drach, præf. ad h. epist.

Quod autem spectat ad similitudinem cum epistola ad Colossenses, nemo utique de ea stupebit, si meminerit utramque epistolam eodem tempore, in iisdemque rerum adjunctis, ad lectores consimiles (nempe gentiles ad fidem conversos), in eadem fere regione habitantes, et in iisdem prorsus fidei morumque periculis versantes, fuisse conscriptam. De cetero Rationalistæ hanc similitudinem ultra veritatis limites extenderunt: cf. PALEY (acath.), *Horæ Paulinæ,* Epist. to the Ephes.

§ 5. De loco et tempore scriptionis.

Eodem tempore scriptæ sunt tres epistolæ ad Colossenses, ad Ephesios et ad Philemonem; nam Tychicus, qui lator erat epistolæ ad Ephesios (Ephes. VI, 21), Colossas ferre debebat epistolam ad Colossenses (Col. IV, 7 et 8), eumque comitabatur Onesimus, (ib. v. 9) qui ferebat epistolam ad Philemonem. Deinde, in tribus illis epistolis plura sunt ex quibus eruitur scriptorem tunc temporis

in vinculis fuisse; per vetustissimam autem traditionem novimus eas a Paulo in primo carcere Romano, illo sc. de quo agitur in Act. Ap. XXVIII, exaratas fuisse: adeoque anno circiter 62 æræ nostræ. Ita Euseb. (Hist. eccl. II, 22), et A Lap., Calmet, D. Ceillier, Beel., Lamy, Bisp. etc.

Quidam recentiores opinati sunt epistolas illas a Paulo scriptas fuisse, quando Cæsareæ in carcere versabatur (Act. Ap. XXIII, 33 sqq.). Sed rationes, quas allegant isti, tanti momenti non sunt, ut a traditione antiquorum interpretum recedere oporteat. Præterea, quæ dicit auctor de libertate prædicandi qua fruitur (Eph. VI, 19; Col. IV, 3 et 4), longe melius conveniunt cum iis quæ de vinculis Romanis (Act. Ap. XXVIII, 30 et 31) leguntur, quam cum iis quæ de carcere Cæsareensi (Act. Ap. XXIII) narrantur. Tandem Cæsareæ non habuit spem illam proximæ liberationis quam pluries manifestat in his epistolis (Philem. v. 22); nec alio Cæsarea profisci cupiebat quam Romam, adeoque non ad Asiam Minorem, quo ire desiderabat quando has epistolas scribebat.

Ex Eph. VI, 21: *Ut autem* ET *vos* (quemadmodum Colossenses) *sciatis, quæ circa me sunt,* colligi posse videtur, epistolam ad Colossenses, inter tres illas priorem fuisse.

§ 6. De stylo, et de locis præcipue commendandis.

Censent ss. Chrys. et Hier. (in Prol. ad h. epist.) inter omnes Pauli epistolas hanc vel maxime et verbis et sensibus esse involutam, ideoque omnium difficillimam; — exceptis, ut mihi videtur, epistolis ad Romanos et ad Galátas. Saltem hoc indubium est, in ea reperiri tum rerum, de quibus in parte dogmatica agitur, sublimitatem, nimirum expositionem profundissimam beneficiorum in opere salutis nobis collatorum, tum scribendi rationem irregularem et confusam, periodosque late extensas, implexas et convolutas. Notat Michaelis acathol. (Intr. in N. T.) phrases sæpe longas esse, earumque membra simul brevia, ita ut facile determinari non possit quo singula sint referenda.

Hujusmodi autem scribendi genus inde exortum videtur, quod pectus Apostoli, altissima spirans, tanto ardore conceptuum æstuaret, ut sermo humanus ingenii impetum sequi aut verbis exprimere non valeret. Recogitemus s. Paulum, profundissimum divinæ sapientiæ interpretem, scripsisse Ephesiis, viris cultioris ingenii, in Græcorum philosophia, scholæ præsertim Ionicæ, edoctis : et illam styli grandiloquentiam valde quidem admirabimur, sed et personarum et rerum adjunctis plane convenientem profitebimur.

Notare etiam juvat, in omnibus epistolis quas Apostolus e carcere scripsit (ad Phil., Col., Ephes., Philem.), majorem quamdam reperiri sensuum sublimitatem et teneritudinem.

Præcipue commendanda sunt, in hac epistola, quæ tradit Apostolus de Ecclesia, cujus conceptum idealem, magis quam alibi, evolvit et sub omni ratione considerat. Cf. I, 22; II, 20; IV, 15 et 16; V, 24-27 etc.

Deinde, quæ de natura matrimonii disputat, cap. V, 22-33, talia sunt, ut nemo umquam profundius quid excogitare potuerit.

Variis quoque in locis miserrimum gentilium statum graphice describit, v. g. II, 12 et IV, 17-19; hæc autem si conjungantur cum iis quæ habet ad Rom. I, 19-32, accuratissimam paganismi notitiam subministrabunt.

Quasdam indicare liceat figuras et imagines aut comparationes, verissimas simul atque elegantissimas.

I, 14. Spiritus sanctus est *arrha* hereditatis nostræ; necnon *sigillum* sive chirographum (gall. *la signature*), qua authentica fit promissio cœlestis gloriæ, IV, 30.

I, 22. Christus *caput* est Ecclesiæ, unde sequitur hanc esse *corpus* capiti subjectum, singulosque fideles totidem *membra* inter se apte connexa, IV, 16.

II, 5. Sanctificatio animæ in Baptismo *resurrectio* dicitur spiritualis.

II, 13. Per peccatum sumus *longe* a Deo, ad ipsum autem *appropinquamus* per justificationem.

II, 14. Distinctio inter gentilem et Judæum, quæ per Christum aufertur, comparatur primum *parieti* inter duo atria *medio*, qui funditus evertitur; et deinde v. 15 duobus hominibus qui in unum hominem novum conjunguntur.

II, 20. Ecclesia *domus* Dei est: *fundamentum* domus sunt apostoli; Christus vero *lapis angularis* istius fundamenti, cui singuli fideles tamquam totidem *lapides* vivi superædificantur.

III, 18. Charitas Christi tam magna est, ut comparetur cum spatio infinito, quod in quatuor mensuras, latitudinem et longitudinem, altitudinem et profunditatem, extenditur.

IV, 13. Christianus, sanctitate vitæ perfectus, dicitur *vir* annis maturus, qui *parvulo* levi et instabili opponitur.

IV, 14. Ii qui per pseudo-doctores a recta via facile abducuntur, similes dicuntur *fluctibus maris* huc illucque vento circumactis et jactatis.

IV, 22 sqq. Peccata gentilium, ante conversionem commissa, comparantur cum *vestimento* lacero et detrito, quod deponendum est, cuique indumentum novum, a Deo concessum, substituere oportet. Hic etiam adhibetur alia metaphora de duplici homine, sc. vetere, qui per Adamum gignitur in peccato, et novo, qui per Christum in sanctitate et justitia a Deo creatur.

V, 5. Immunditia nomine *idololatriæ* nervose designatur.

V, 8. Homines mali dicuntur *tenebræ;* sancti vero sunt *lux*. Quando peccatores per bona justorum exempla ad sanctitatem convertuntur, idem fit ac si res quædam in obscuritate posita lucis radiis circumdaretur, et visibilis seu luminosa redderetur, v. 13.

V, 16. Diligenter utendum est tempore, quasi deberemus illud pretio *emere*.

Cap. V, 18, pulcherrima habetur antithesis inter illum qui vino plenus impudicas eructat cantilenas, et eum qui Spiritu sancto fervescens, hymnos sacros læte et pie cantat.

V, 22-33. In matrimonio vir et mulier unum corpus carnale fiunt : quemadmodum Christus, tamquam sponsus, cum Ecclesia ejus sponsa in unum corpus mysticum conjungitur.

V, 26 et 27. Ad idem sententiarum genus refertur comparatio qua Ecclesia pingitur ut *sponsa* in flore ætatis, aspectu formosa, balneo lota, absque macula et ruga.

V, 29. Sicut unusquisque fovet et nutrit carnem suam, ita Christus Ecclesiam, et vir uxorem.

VI, 10-18. Opus salutis nostræ, cui diligenter et strenue incumbere oportet, per argutissimam et elegantissimam allegoriam, describitur sub figura militiæ; ideoque contra quos hostes, quibus armis, et cujusnam auxilio pugnandum sit, apposite declaratur. Pleniorem illius comparationis analysim videsis ad finem hujus epistolæ.

VI. 20. Fidei prædicator, qui propter Christum in carcerem detruditur, comparatur potentissimi regis *legato*, cujus persona, contra jus gentium, violatur.

Loca autem concionatori sacro, ad informandas instructiones, maxime utilia distincte docebit analysis logica quæ ad finem singularum partium tradetur.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Inscriptio et salutatio: I, 1, 2.

Prior Pars: Dogmatica. De beneficiis spiritualibus per Christi Incarnationem acceptis. Cap. I-III.

- § 1. Beneficia illa summatim exponuntur: I, 3-19.
- § 2. Magnitudo illorum ostenditur per comparationem cum eximia Christi gloria, quam christiani, utpote membra Christi, participant: I, 20-II, 10.
- § 3. Magnitudo eorumdem beneficiorum iterum demonstratur per comparationem status miserrimi in quo Ephesii, viri ethnici, ante conversionem ad fidem versabantur, cum statu eorum felicissimo in christiana religione: II, 11-22.
- § 4. Ut doctrinam illam de beneficiis nostræ salutis confirmet, s. Paulus auctoritatem suam apostolicam obiter testatur; dein Deum precatur ut Ephesii doctrinam illam magis magisque intelligant: cap. III.

Altera Pars: Moralis. Quænam debeat esse christianorum vita. Cap. IV-VI, 18.

- § 1. Commendatur unitas fidei et charitatis: IV, 1-16.
- § 2. Præcepta quædam morum particularia, imprimis circa officia in proximum, et circa castitatem: IV, 17-V, 20.
- § 3. Præcepta quæ ad vitam spectant domesticam: V, 21-VI, 9. Nimirum officia inter
  - 1° Conjuges, v. 22-33.
  - 2° Parentes et filios, VI, 1-4;
  - 3° Servos et dominos, v. 5-9.
- § 4. De pugna spirituali: VI, 10-18. Ad vincendos hostes animæ nostræ requiritur
  - 1° Ut robusti simus, v. 10;
  - 2° Et debite armati, v. 11-17;
  - 3° Ut Dei auxilio, quod per preces obtinetur, fruamur, v. 18.

Epistolæ conclusio: familiaria quædam: VI, 19-24.

PARS PRIOR: DOGMATICA.

—

I—III.

In parte dogmatica, Apostolus insignia exponit beneficia, quæ, in ordine ad salutem, gentiles ad fidem conversi, a Deo per Christum acceperunt. Quatuor paragraphos possumus distinguere, ut supra, in intr. § 3 diximus. Status quæstionis primum indicatur, et argumentum dogmaticum, quod tractabitur, paucis enuntiatur.

§ 1. *Summatim exponuntur beneficia quæ in ordine ad salutem a Deo conceduntur.*

I, 1–19.

1 * Paulus Apostolus Jesu Chri-
sti per voluntatem Dei, omnibus
sanctis, qui sunt Ephesi, et
2 fidelibus in Christo Jesu. * Gra-

[1] Ego Paulus, factus Jesu Christi Apostolus, non per humanam delegationem, sed per divinam voluntatem, scribo christianis qui sunt Ephesi, quique in Christo per fidem vivunt. [2] Gratia vobis et omne

1. S. Paulus hic, ut in quatuor epistolis præcedentibus, suam declarat dignitatem, quo majorem verbis suis conciliet auctoritatem.

Per voluntatem Dei, quod Gal. I, 1 explicat, cum addit: *Non ab hominibus, neque per hominem.* — Omnibus. Glossema.

Ephesi, εν Εφεσῳ: verba non sunt *certo* genuina; nam desunt in cod. Sin., et codice B, ubi secunda tantum manu addita sunt in margine; neque ea legerunt in suis manuscriptis Tertull., Marcion, Orig., s. Basil., s. Hier., etc. Attamen longe *probabilius* est ea verba a s. Paulo scripta fuisse. Ceteroquin absque ullo dubio ad Ephesios missa fuit hæc epistola. Cf. Introd. § 1.

In Christo Jesu, puta, ei uniti, quasi incorporati, per fidem justificantem. Quare idem non est ac: *In Christum Jesum credentes.*

tia vobis, et pax a Deo Patre
nostro et Domino Jesu Christo.
3 * Benedictus Deus et Pater
Domini nostri Jesu Christi, qui
benedixit nos in omni benedi-
ctione spirituali in cœlestibus in
4 Christo, * sicut elegit nos in
ipso ante mundi constitutionem,
ut essemus sancti et imma-
culati in conspectu ejus in

bonum tribuatur a Deo patre nostro, et æqualiter a Domino Jesu Christo.

[3] Laudetur Deus, qui et Pater est D. N. J. C., ob omnimodam benedictionem spiritualem et cœlestem, quam nobis per Christum largitus est. [4] Ipse enim nos ab æterno in Christo, tamquam nostri omnium personam gerente, elegit, ut, ad christianismum conversi, essemus sancti et immaculati coram eo. Videlicet Deus, ex sola charitate

3. Deus et Pater: cf. 2 Cor. I, 2. — Spirituali, quæ a Spiritu s. procedit. Intelligit beneficia quæ ad hominis salutem spectant.

In cœlestibus, quod quater adhuc in hac epistola (I, 20; II, 6; III, 10; VI, 12) et nusquam alibi legitur, ubique de *loco* intelligitur; quamobrem oportet hic supplere *locis* (*in cœlestibus* locis, non *in* rebus *cœlestibus*): ita s. Hier. Nunc autem, *benedictio* quæ dicitur *in cœlestibus locis*, sign. *benedictionem cœlestem*, de cœlis descendentem, utpote a Spiritu sancto; adeo ut *in cœlestibus* sit explicatio vocis *spiritualis*. Videtur Apostolus bona novi Testamenti tacite opponere benedictioni terrenæ et temporali veteris Testamenti.

Locus hic, v. 3-14, structuræ est irregularis; auctor enim, idearum æstu fervescens, et cogitatione divinorum inflammatus beneficiorum, sententias alias atque alias per propositiones relativas subnectit. Cf. Intr. ad h. epist. § 6.

4. Distinctius et per partes explicat *benedictionem* illam *cœlestem*, de qua v. 3. Incipit a prædestinatione, quæ primus est Dei actus in œconomia nostræ salutis.

In ipso. Christus genus humanum reparandum et salvandum repræsentat, quemadmodum Adam personam gerit hominum lapsorum: adeoque, quando Deus Christum ut mundi Salvatorem elegit, simul in eo omnes homines ad salutem elegit; etenim quantum in se fuit, voluit ut per Christum salvarentur omnes.

Ut essemus etc. Finis proximus prædestinationis. Notat s. Aug. (De præd. sanct. 18, 36), scriptum non esse *quia futuri eramus;* nam, ut recte docuit ille contra Pelagium, prædestinatio *ad gratiam* fit ante prævisa merita, quia gratia Dei est prorsus gratuita; eamque pro beneplacito dat Deus quibus vult, et in quantum vult. Aliud est de prædestinatione *ad gloriam;* libere disputatur utrum necne hæc fiat *ante* vel *post* prævisa merita.

5 charitate. * Qui prædestinavit
nos in adoptionem filiorum per
Jesum Christum in ipsum : se-
cundum propositum voluntatis
6 suæ, * in laudem gloriæ gratiæ
suæ, in qua gratificavit nos in
dilecto Filio suo.
7 * In quo habemus redemptio-
nem per sanguinem ejus, remis-
sionem peccatorum secundum
8 divitias gratiæ ejus, * quæ
superabundavit in nobis in omni

erga nos, [5] prædestinavit nos ut, per Jesum Christum, mediatorem nostrum, essemus filii Dei adoptivi, ad ipsum qua tales pertinentes. Hanc autem fecit prædestinationem unice quia id voluit et sibi proposuit, minime vero propter merita nostra; [6] et finis ejus ultimus fuit, ut suam promoveret gloriam, et proinde ut laudaretur gratia, quam nobis infudit et per quam nos sibi gratos in dilecto Filio suo reddidit.

[7] Etenim in Christo, si ei simus incorporati, a dæmonis captivitate redempti sumus, nimirum pretio sanguinis ejus, atque adeo condonata sunt peccata nostra : quod obtinuimus ex copiosissima Dei in nos beneficentia. [8] Hæc porro beneficentia superabundavit in nobis, quum nobis etiam dederit eximiam rerum divinarum intelligentiam christia-

In charitate, melius refertur ad sequentia *qui prædestinavit nos*, ut fecimus in paraphrasi : ita ss. Chrys., Aug., Hier. Juxta Vulgatam autem nostram ad præcedentia refertur, hoc sensu : charitas, quam Deus nobis infundit, reddit nos puros et immaculatos.

5. Ex nostra justificatione sequitur adoptio in Dei filios; igitur prædestinatio ad gratiam involvit prædestinationem ad *filiorum adoptionem :* Gal. IV, 5. — In ipsum : pronomen refertur ad subjectum propositionis, hoc sensu : ad Deum pertinentes tamquam filii, ad ipsum reducti (antea eramus ab ipso separati).

6. Finis omnino et absolute ultimus prædestinationis est Dei gloria; hominis autem beatitudo dici non posset finis prædestinationis ultimus, nisi relate ad hominem. In laudem gloriæ : in laudem et gloriam, seu, in insignem suam laudem. — Gratificavit nos, i. e. gratos seu dilectos effecit (ss. Chrys. et Thom.). Filio suo ad textum originalem pertinere non videtur, sed manifesto supplendum est.

7. In quo. Ut supra jam animadverti, sermo intricatus est propter sententias relativas quæ annectuntur. Eas, perspicuitatis gratia, in paraphrasi in propositiones absolutas converti.

8. In nobis : nolim hoc cum s. Thom. ad solos Apostolos restringere.

9 sapientia, et prudentia : * ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod propo-
10 suit in eo, * in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in
11 ipso : * in quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui

namque prudentiam. [9] Nobis enim arcanam suam manifestavit voluntatem, qua ex solo beneplacito sibi proposuit [10] complere tempus, quo in Christo ad primitivam unitatem recolligeret omnes creaturas, tum angelos, tum homines, tum etiam naturam irrationalem. [11] In ipso igitur Christo etiam nos gratuito ad fidem vocati sumus; quod tamen non fortuito factum est, sed ad hanc vocationem prædestinati sumus ex libero proposito illius (Dei), qui operatur om-

9. Ejus pro *suum*. — In eo. Oportet legere *εν αὐτῳ*, *sibi* proposuit, non autem *εν αυτῳ*, *in eo* (Christo).

10. In dispensatione: *εις οικονομιαν*, *ad dispensationem*, i. e. in hunc finem ut dispensaret (adesse faceret) plenitudinem temporum, ut compleret tempus ad mundi renovationem constitutum. Dictionem *plenitudo temporis* fuse exposui 1 Cor. X, 11.

Instaurare: *ανακεφαλαιωσασθαι*, *recapitulare*, summatim recolligere, res varias vel dispersas ad unum reducere. Quod separaverat peccatum originale, id Christus ad pristinam recollegit unitatem. Quæ in cœlis: cave ne putes Christum etiam pro angelis bonis mortuum esse. Sensus est: Deus per Christum homines salvavit, eosque adeo cum angelis in cœlis conjunxit. Vel, juxta s. Thom., per hominum redemptionem reparatur ruina Angelorum: quod censet etiam s. Aug. (Enchir. 62): " Instaurantur, ait, quæ in " cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. " Pessimus est error Origenistarum, qui contenderunt Christi redemptionem etiam dæmonibus et damnatis quondam profuturam esse: doctrina omnino hæretica est: Perr., De Deo creat. 732, 754, 759.

Quæ in terra sunt: intelligimus etiam naturam physicam, secundum ea quæ dicta fuerunt Rom. VIII, 19-23. — In ipso, pleonastice additur, Hebræorum more.

11. Sorte vocati sumus: *εκληρωθημεν*, Deus nos *sortitus est*, puta, vocando, adoptando nos, aut quid simile. Dicitur nos *sorte* vocare, quia, ut ait s. Thom., gratuita est nostra vocatio, quum a parte nostra nulla sit causa quare unum præ altero vocet. Igitur *sors* non indicat vocationem divinam

operatur omnia secundum con-
12 silium voluntatis suæ : * ut
simus in laudem gloriæ ejus
nos, qui ante speravimus in
13 Christo : * in quo et vos, cum
audissetis verbum veritatis,
(Evangelium salutis vestræ) in
quo et credentes signati estis
Spiritu promissionis sancto,
14 * qui est pignus hereditatis

nia pro libitu secundum decreta voluntatis suæ; [12] et qui tamquam finem absolute ultimum intendit ut sua augeretur laus et gloria : nempe, et ex nostra Judæorum vocatione, qui olim in Christum venturum speravimus; [13] et ex vestra ethnicorum vocatione, qui etiam, postquam prædicationem veritatis, Evangelium salutis vestræ, audissetis, in eumdem Christum jam Incarnatum credidistis, et Spiritum s. tamquam divinarum sigillum promissionum sicut nos accepistis. [14] Hic enim Spiritus s. arrha est hereditatis nostræ cœlestis ;

esse fortuitam et absque rationis judicio; falsam hujusmodi intelligentiam excludit ipsemet Apostolus per verba sequentia. S. Aug. (in Ps. 34) inquit : " *Sorte*, id est gratia : nam ubi *sors* est, non est electio, sed voluntas Dei. "

12. Finis, ut v. 6, absolute ultimus prædestinationis et vocationis assignatur. Nos QUI etc. Periphrasis pro : nos Judæi; hi enim dicuntur *ante* speravisse in Christo, quia *ante* quam Christus veniret, eum exspectabant.

13. ET VOS, sc. gentiles, non olim, ut nos, in Christo sperastis; sed nuper, cum Evangelium vobis prædicatum fuit, in eo credidistis atque sperastis. — IN QUO ET CREDENTES etc. *In quo et* redundant, et inserviunt solummodo ad recipiendam phrasim, quæ per sententiam interjectam (*cum audissetis* etc.) interrupta fuit. SIGNATI ESTIS : *εσφραγισθητε*, sigillo obsignati per Spiritum s., quem in Baptismo et Confirmatione accepistis : hic enim spem gloriæ cœlestis inde confirmat quod homines per gratiam sanctificantem ad opera bona excitet : Rom. VIII, 14-16.

14. PIGNUS : *αρραβων*, potius *arrha*, quæ est anticipata et inchoata solutio pretii debiti, ut certior fiat solutio integra. Sic gratia est inchoatio quædam seu semen gloriæ. Minus recte quadrat vox *pignus;* nam, ut ait s. Aug. (Serm. 156, 16) : "*pignus* quando ponitur, cum fuerit res ipsa reddita, pignus " aufertur [restitui debet]. *Arrha* autem de ipsa re datur, quæ danda pro- " mittitur; ut, res quando redditur, impleatur quod datum est, non mute- " tur. " Eatenus tamen, ut notat s. Thomas, *pignus* vocari potest Spiritus s., quatenus ipse nobis quædam largitur quæ in cœlesti gloria evacuabuntur propter eorum imperfectionem, quales sunt fides et spes. — Pulchre notat s. Hieron. : " Si arrhabo tantus, quanta erit possessio! " Cf. Rom. VIII, 23.

nostræ, in redemptionem acqui-
sitionis, in laudem gloriæ ipsius.
15 * Propterea et ego audiens
fidem vestram, quæ est in
Domino Jesu, et dilectionem
16 in omnes sanctos, * non cesso
gratias agens pro vobis, memo-
riam vestri faciens in orationi-
17 bus meis: * ut Deus, Domini
nostri Jesu Christi pater gloriæ,
det vobis spiritum sapientiæ et
revelationis, in agnitione ejus:

nobis datus fuit ut a dæmonis tyrannide redimeremur, et essemus populus Dei peculiaris; quod postremum cedit in laudem gloriæ ipsius Dei.

[15] Itaque, cum vos, ut modo dixi, in Christum credideritis, et gratiam Spiritus sancti acceperitis, cumque audiam vos perseverare in fide christiana, eamque per charitatem fraternam efficaçem reddere: [16] sine intermissione gratias ago Deo pro vobis, et in precibus meis vos ei commendo. [17] Rogo ut Deus, qui auctor est humanæ naturæ quam assumpsit Dominus noster Jesus Christus, et simul est Pater ex quo Christus genitus est ut lux de luce; Deus, inquam, det vobis, per Spiritus sancti gratiam, pleniorem

Acquisitionis. Abstr. pro concreto: *populi acquisiti:* christianos enim Deus sibi in peculium sanguine suo acquisivit (Act. Ap. XX, 28); quemadmodum sub vetere Testamento Israelitas in populum peculiarem sibi elegit: Exod. XIX, 5. Illa acquisitio inchoatur per gratiam in hac vita, et in altera vita, ubi fiet redemptio perfecta, per gloriam consummatur.

In laudem gloriæ ejus: ut gloria Dei (non *Christi,* Estius) magis laudetur, magis celebretur, ut illustrior et splendidior fiat ejus gloria.

15. Post fervidam grati animi effusionem, incipit nunc modo magis pacato argumentum epistolæ dogmaticum tractare, Ephesiisque exponit excellentiam beneficiorum quæ per Christi Incarnationem acceperunt. — Fidem et dilectionem ubique conjungit et conglutinat (s. Chrys.).

17. Indicat quid a Deo pro eis postulet. Pater gloriæ. Juxta interpunctionem Vulgatæ, *pater gloriæ* per hebraismum valet *pater gloriosus;* et ab hoc substantivo pendet genitivus *Domini nostri Jesu Christi.* Sed probabilior est sensus sequens: *Deus Domini nostri Jesu Christi* (humanitatis ejus), qui idem est *Pater gloriæ,* Pater qui dat *gloriam* Filio suo, qui ipsum gignit consortem gloriæ suæ; aliis verbis: qui (Deus) simul Pater est, ex quo Christus genitus est *tamquam lumen de lumine.* Ita Bisp., Beel. — Et reve-

18 * illuminatos oculos cordis
vestri, ut sciatis quæ sit spes
vocationis ejus, et quæ divitiæ
gloriæ hereditatis ejus in san-
19 ctis, * et quæ sit supereminens
magnitudo virtutis ejus in nos,
qui credimus secundum opera-
tionem potentiæ virtutis ejus,...

sapientiam, et se vobis revelet ut eum melius cognoscatis; [18] proinde illuminet mentem vestram, ut plenius sciatis quæ et quanta sint bona ad quæ vos vocat; deinde quam opulenta sit gloria cœlestis hereditatis quæ jam in justis seminaliter inest; [19] tandem quam magna, et vere summa sit Dei potentia, quæ in nos christianos vim suam exerit.

Analysis cap. I, 1—19.

Inscriptio, v. 1.

Salutatio apostolica, v. 2.

Statim ab initio aggreditur primariam Epistolæ materiam, et summatim exponit beneficia, quæ, in ordine ad salutem æternam, per Christum a Deo obtinemus: prædestinationem ab æterno, vocationem ad fidem in tempore, remissionem peccatorum nostrorum, sanctificationem per Spiritus sancti gratiam, futuramque glorificationem. V. 3-14.

Jam enuntiat argumentum partis dogmaticæ, in qua vult ostendere quam eximia sint beneficia quæ per Christum jam acceperimus, necnon et ea quæ nobis promittantur. Hæc autem propositio sub forma gratiarum actionis, et sanctæ precationis ad Deum exprimitur. V. 15-19.

§ 2. *Insignem Christi gloriam per Redemptionem participamus.*

I, 20—II, 10.

20 ..., * quam operatus est in

[20] Hæc autem maxime resplenduit,

LATIONIS. Hæc addit ut significet cognitionem illam de qua loquitur, quæque versatur circa mysteria redemptionis et salutis, non humana ratione, sed divina tantum revelatione, acquiri posse.

18. ILLUMINATOS etc. Constructio est: det vobis habere oculos illuminatos. OCULOS CORDIS. *Cor*, voluntatis sedes, per hebraismum ponitur pro *intellectu*. OCULOS, figurate; sensus est: det vobis mente percipere.

20. Per triplex beneficium Christo collatum (vide anal. infra) se mani-

Christo, suscitans illum a mor-
tuis, et constituens ad dexteram
21 suam in cœlestibus : * supra
omnem principatum et potesta-
tem, et virtutem, et domina-
tionem, et omne nomen, quod
nominatur non solum in hoc
seculo, sed etiam in futuro.
22 * Et omnia subjecit sub pedi-
bus ejus : et ipsum dedit caput

quando Christum a mortuis suscitavit, eumque in cœlo ad summum honoris gradum evexit, [21] supra omnes angelorum ordines, et supra omne quod inter creaturas nominis celebritatem habet aut habere potest, sive in terris, sive in cœlis ; [22] adeo ut de ipso intelligenda sint hæc Ps. VIII, 6 : *Omnia subjecit* (Deus) *sub pedibus ejus ;* quare etiam constituit eum caput supremum Eccle-

festavit Dei potentia. CONSTITUENS (καθισας, *cum sedere fecisset*) AD DEXTERAM SUAM. Dictio illa *Sedere ad dexteram Dei*, ex Ps. CIX desumpta (cf. Rom. VIII, 34), sign. proximam Deo dignitatem, auctoritatem et gloriam, adeoque summum in cœlis honoris locum, quiete possidere : quod de Christi natura humana glorificata intelligendum est.

21. SUPRA OMNEM PRINCIPATUM etc. Quatuor his nominibus omnes angelorum ordines designantur; nec est quod discrimen inter ea vocabula subtilius inquiramus. Col. I, 16 alio modo chori quidam angelorum enumerantur.

NON SOLUM IN HOC SECULO etc. Vult dicere : super omnes omnino creaturas, sive præteritas, sive præsentes, sive futuras, tum in statu creationis, quum in meliori conditione glorificationis.

22. OMNIA SUBJECIT etc. Psalmista de homine ut erat ante peccatum originale hæc cecinit; adeoque a fortiori de Christo tamquam homine, in quo nimirum homines lapsi ad pristinum statum reparati fuerunt; et maximopere de Christo homine glorificato, in quo natura humana summam adepta est dignitatem. Cf. 1 Cor. XV, 26. — SUB PEDIBUS : " locutio figurativa, ait s. Thom., qua datur intelligi, quod omnis creatura *totaliter* est subjecta potestati Christi. Illud enim est a nobis omnino subjectum quod pedibus conculcamus. " Cf. Matth. cap. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* etc.

SUPRA OMNEM ECCLESIAM. Græce : *super omnia, Ecclesiæ* (ὑπερ παντα τῃ Εκκλησιᾳ). Apostoli etiam erant Ecclesiæ capita, sed Christus est *caput super omnia*, caput summum, primarium. Jam vero, Christus dicitur *caput Ecclesiæ*, non ea tantum ratione qua caput est angelorum (Col. II, 10) et universæ creaturæ, nempe quatenus omnibus dat esse et vivere, omnesque sibi subjectos regit : sed peculiari quadam ratione, quæ nonnisi Ecclesiæ

23 supra omnem Ecclesiam, * quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

CAPUT II.

1 * Et vos, cum essetis mortui

siæ, [23] quæ est corpus ipsius, adeoque et ipsius complementum; quippe qui sub omni ratione, in omnibus Ecclesiæ membris compleatur.

[1] Christiani omnes gloriam Christi (capitis) participant, et cum ipso resuscitati sunt. Vos enim, ethnico-christiani, aliquando eratis spiritualiter mortui per

convenit. Hæc autem, duce s. Thoma, ex analogia cum corpore humano rectissime explicari potest. " Caput, ait in Comm. h. l., triplicem habitu-" dinem habet ad membra. Primo quidem quoad præeminentiam in situ. " Secundo quoad diffusionem virtutum, quia ab eo omnes sensus derivantur " in membra. Item quoad conformitatem in natura. Quantum autem ad " præeminentiam, et quantum ad diffusionem, Christus est caput angelo-" rum... Quantum vero ad naturæ conformitatem, Christus est caput ho-" minum tantum. " Quæstionem hanc de Christo Ecclesiæ capite fuse pertractat s. Thom., Summ. th., p. 3, q. 8. Idem Doctor Angelicus, ad 1 Cor. XI, 3, plenius explicat 2^m habitudinem, propter quam caput corpori præest: " Cum cetera membra, ait, unum solum sensum habent, sc. tactum, " in capite vigent omnes sensus... Sic in homine Christo est plenitudo " omnium gratiarum. " — Cf. 2 Petr. 1, 4, ubi dicitur, per Christum naturam humanam *divinæ* factam esse *consortem.*

23. *Plenitudo Christi* dicitur Ecclesia, ad similitudinem corporis humani, in quo membra varia, per quæ caput operatur, dici possunt capitis complementum. Sic Christus, in quantum est caput, completur per Ecclesiæ membra. Nam, ut ait Estius post s. Chrys., nisi essent hic quidem pes ejus, ille vero manus, alius autem aliud membrum, Christus non perficeretur secundum rationem capitis, quia integrum non haberet corpus. Juxta hanc explicationem, quam in paraphrasi amplexi sumus, part. πεπληρωμενου sensu passivo cum Vulgata sumimus: *adimpletur;* et *omnia* est accus. adverbialis (cf. Beelen. *Gramm. græc. N. T.* § 32, 6), qui sign. *secundum omnia, quoad omnia, omnimode, undequaque* etc. In omnibus, masculine sumitur.

Sunt qui participium πεπληρωμενου sensu medio intelligant: *qui omnia in omnibus adimplet.* Sensus tunc esset: Ecclesia impletur (vita), ab eo qui omnes mundi creaturas in omnibus earum partibus implet.

1. Ex eo quod Christus sit *caput,* et nos *membra* unius ejusdemque

2 delictis, et peccatis vestris, * in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc

omnimoda peccata vestra, [2] quæ juxta morem hominum mundanorum, adeoque impellente Satana, tunc perpetrastis (iste enim princeps est malorum spirituum illorum, qui in aere vagantes tyrannidem in terram exercent, et nunc, magis quam olim, in homines incredulos

corporis mystici, concludit Apostolus nos Christi gloriæ participes reddi. Hæc igitur cum præcedentibus arcte connectuntur, nec inchoari debet caput secundum. Et vos... *Et* refertur ad præcedentia: *Christum suscitavit a mortuis.* Sensus est: quemadmodum Christum ita etiam vos cum Christo resuscitavit.

Vos: ὑμας, in accusativo, pendet a verbis *convivificavit, et conresuscitavit, et consedere fecit*, v. 5; ibi repetitur pronomen, sed prima persona (*nos*) loco secundæ ponitur, adeo ut constructio sit: *Vos, peccatis mortuos, in Christo et cum Christo vivificavit... Deus.* Ex æstu idcarum multa interjicit Apostolus, quæ irregularem reddunt syntaxin. In paraphrasi, claritatis gratia, unam propositionem in plures dividimus.

2. *Explicat statum illorum peccaminosum.* Seculum. Gr. αιων, proprie sign. *seculum, ætatem*; hic vero *ingenium seculi, vivendi rationem et mores seculi.* Itaque sensus verborum secundum seculum mundi hujus est: secundum mores seculi hujus perversi. Secundum principem. Propius determinat quid sit *vivere juxta mores hujus seculi.* Idem est ac *malis Satanæ suggestionibus obedire.*

Potestas (abstr. pro concr.) *aeris hujus* sunt dæmones, cujus princeps dicitur Satan seu Lucifer. Dæmones autem vocantur *aeris potestas*, seu (Col. I, 13) *potestas tenebrarum*, seu (Eph. VI, 12) *mundi rectores tenebrarum harum,... spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, vel 1° quia in hoc aere caliginoso habitant usque ad diem Judicii extremi, quo tandem die detrudentur in infernum: s. Thom. hic, et in Summa theol. p. 1, q. 64, a. 4: Utrum aer iste sit locus pœnalis dæmonum. Vel 2°, juxta aliorum sententiam, quia per peccatum originale, Dei permissu, imperium quoddam exercent in mundum hunc, atque in terram nostram, quæ natura sua *tenebrosa* est, et *aere* per se caliginoso obvoluta.

Spiritus, in genitivo (patet ex græco πνευματος), pendet a *principem*, et est nomen collectivum singulare pro plurali (ut ait s. Th.), *spirituum malorum.* Sensus est: Satan princeps est diabolicæ potestatis, i. e. illorum spirituum

3 operatur in filios diffidentiæ, * in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis, et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut
4 et ceteri : * Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam,
5 qua dilexit nos, * et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo (cujus gratia

dominantur). [3] Nos etiam Judæo-christiani peccatis mortui eramus, siquidem nos aliquando, ante conversionem nostram, de numero incredulorum fuimus, et secundum pravos concupiscentiæ appetitus viximus, mala carnis mentisque desideria perficientes. Etenim etiam nos, sicut ethnici, eramus per nativitatem nostram peccato inquinati, et ad peccata inclinati, adeoque iræ divinæ obnoxii. [4] Deus autem infinite misericors, ex summa erga nos dilectione, [5] nobis omnibus, qui per peccata spiritualiter mortui eramus, novam tradidit vitam in Christo, cujus gratia sumus justificati, et cui proinde sumus incor-

malorum qui etc. — Diffidentiæ : ἀπειθείας, melius : incredulitatis. *Filii incredulitatis* per hebraismum sign. *incredulos*, sicut *filius perditionis* (Joan. XVII, 12) pro *vir perditus, periturus.*

3. In quibus delictis et peccatis. Et nos : non tantum vos, ethnico-christiani, sed *etiam nos* Judæo-christiani. S. Paulus, initio epistolæ ad Romanos, probat Judæos æque ac gentiles, ante conversionem ad Christum, fuisse peccatores.

Voluntatem. Græce in plur. *voluntates*, i. e. desideria, cupiditates ; puta, malas cupiditates, quas in homine excitat tum *caro* seu pars inferior, tum *mens* seu pars superior ; aliis verbis, quæ aut ex *appetitu sensitivo*, ut gula, impudicitia etc., aut ex *appetitu intellectivo*, ut superbia, impietas, Dei negatio, idololatria etc., proveniunt.

Filii iræ. Hebraismus : *iræ obnoxii*, sc. divinæ, nempe ob statum peccati in quo versabamur.

Natura filii iræ. Textus dogmaticus de peccato originali : etenim prima causa status nostri peccaminosi indicatur. Nimirum peccatores sumus ex *natura*, a naturali nostra nativitate ; adeoque per generationem, et non per solam imitationem, in Adamo et cum Adamo constituti sumus peccatores : quod rite ex hoc loco conclusit s. Augustinus adversus Pelagianos, qui, ut notum est, peccatum originale negabant. — Non igitur admittimus explicationem eorum qui *natura* vertunt *prorsus*, sive *vere ac germane.*

4, 5. Nimiam : πολλήν, *multam.* In Christo, non idem est ac *per Christum ;* sed sign. : nos Christo conjungentes, ei quasi incorporantes, simul cum ipso vivificavit. Estis salvati. Rursum mutat personam, ex amore, opinor, erga

6 estis salvati), * et conresuscita-
vit, et consedere fecit in cœle-
7 stibus in Christo Jesu : * ut
ostenderet in seculis superve-
nientibus abundantes divitias
gratiæ suæ in bonitate super nos
in Christo Jesu.
8 * Gratia enim estis salvati
per fidem, et hoc non ex vobis :

porati ; [6] igitur nos cum Christo resuscitavit, imo cum ipso sedere fecit in cœlis (seu potius jus et certam spem sedendi dedit). [7] Hunc autem in finem Deus ita egit, ut, in altero seculo, ubi hæc beneficia consummabuntur, per bonitatem nobis in Christo collatam, manifestaret quam magnæ et quam copiosæ sint gratiæ ejus.

[8] Gratiæ, inquam, nam omnia quæ ad salutem pertinent, gratuito a Deo sunt accepta : sic per fidem, tamquam conditionem sine-qua-non, justificati sumus, absque ullis nostris meritis, ex solo Dei

Ephesios. In paraphrasi servavi primam personam *sumus* ut magis regularis et clarior sit verborum structura.

6. Consedere fecit in cœlestibus, puta, data nobis arrha hereditatis cœlestis, quæ certam facit spem, fore ut gloriæ Christi in cœlis aliquando consociemur. " Quamvis, ait s. Aug. (De agone Christ. 26), corpus nostrum ' nondum ibi sit, tamen spes nostra ibi est. " Ergo, teste s. Thoma, ponitur præteritum pro futuro, propter certitudinem spei.

In Christo Jesu : ex abundanti repetit. Nomine Christi, ait A Lapide (Eph. I, 10), ita satiari non poterat Paulus, ut eum, ut ita dicam, superflue, et singulis sæpe versibus nominaret. Hinc nomen *Jesu* in 14 suis epistolis ducenties decies novies, *Christi* nomen quadringenties et semel repetit.

7. Hic, sicut supra I, 6, 12, 14, tradit finem absolute ultimum humanæ redemptionis. Deus id fecit ut infinitam suam benignitatem manifestaret in seculis supervenientibus, per omnia christianismi secula usque ad finem mundi, et præsertim per totam æternitatem in gloria cœlesti. S. Thomas etiam utrumque illum sensum dictioni *secula supervenientia* tribuit.

8. Per fidem, non tamquam meritum, sed tamquam conditionem sine-qua-non ; nam statim subjungit : *et hoc ipsum*, sc. credere, *non est ex vobis*, non est ex viribus naturæ, seu liberi vestri arbitrii ; adeo ut gratiam justificantem per vires naturales mereri non possitis. Quænam debeat esse fides ut justificet, explicavi Rom. I, 17.

Dei [enim] donum est. Inde probatur contra Pelagianos, fidem tum habitualem, quum actualem, ex Dei gratia, non ex hominis viribus habendam esse. Merito notat Estius Græcorum commentaria in hunc locum

9 Dei enim donum est : * non ex operibus, ut ne quis glorietur.
10 * Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

dono ; [9] adeoque non propter opera nostra, ne quis nostrum in semet ipse glorietur. [10] Etenim, quod sumus novæ creaturæ, id Deo tamquam creatori adscribere debemus; ab ipso novum esse supernaturale accepimus in Christo Jesu, cui quasi inserti fuimus; eo fine ut bona opera faceremus, illa ad quæ Deus per gratiam suam nos excitat et adjuvat.

Analysis cap. I, 20-II, 10.

Apostolus, ut Ephesios plenius instruat de insigni Dei beneficio, quod in opere salutis per Christum acceperant, primum illud considerat relate ad Christum, cujus nempe gloriæ per justificationem participes erant, quia ei fuerant quasi incorporati.

Argumentatio autem hæc est. Christus eximiam a Deo accepit gloriam, v. 20-22; atqui justificati, qui Christo tamquam capiti unius ejusdemque corporis conjuncti sunt, gloriam illam participant, v. 22-II, 8; ergo christiani eximium beneficium per justificationem suam acceperunt.

Jam vero argumentatio illa sic evolvitur :

Christus fuit 1° resuscitatus, v. 20; 2° ad cœlum evectus, ib.;

caute et benigne explicanda esse, quia, dum contra Manichæos humanam libertatem vindicant, gratiæ necessitatem aliquatenus coarctare videntur.

9. Non ex operibus; nam *Si gratia, jam non ex operibus; alioqui gratia jam non est gratia*, Rom. XI, 6. — Ne quis glorietur, puta, in suis viribus ; sed contra, ut omnis gloria in Deum referatur.

10. Probat quod dixit, totam nostræ œconomiam justificationis ex Dei gratia oriri : quia nempe est quasi nova creatio ex nihilo. — Factura seu creatura, puta, nova, supernaturalis, in quantum sumus justificati. Cf. 2 Cor. V, 17. — In operibus... ἐπι cum dat. : *ad opera bona facienda*. Ergo fides sine operibus non sufficit ad salutem. — Quæ præparavit Deus, sc. gratia sua; sed ne liberi cooperatio arbitrii excludi videatur, addit : *ut in illis ambulemus*.

3° ibique in altissimo honoris gradu collocatus; atque ideo omnibus superior est creaturis, v. 21 et 22a.

Atqui Christus caput est Ecclesiæ, cujus nos membra sumus, v. 22b; quapropter nos omnes, gentiles æque ac Judæi, ejus gloriam participamus, et cum ipso resuscitati, et quasi jam in cœlis collocati sumus. Cap. II, 1-7.

Hoc autem beneficium eo majus est, quod prorsus gratuitum et indebitum dici debeat, v. 8-10.

§ 3. *Beneficium Redemptionis magis elucet, si comparetur cum pristino gentilium statu.*

II, 11-22.

11 * Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta:
12 * quia eratis illo in tempore sine

[11] Ut beneficium illud melius cognoscatis, mementote pristinæ vestræ conditionis. Vos, gentiles, qui, ob præputium quod in carne habetis, præputiati vocamini a Judæis, dum isti e contrario, ob circumcisionem externam in carne, dicuntur circumcisi : [12] vos aliquando, ante conversionem vestram, oratis sine Christo ; tamquam peregrini, a regno

11. Propter quod, i. e. quoniam tantam gratiam sine ullis vestris meritis accepistis, ut hujus gratiæ excellentiam adhuc melius cognoscatis, mementote non solum nulla vobis fuisse merita, sed contra maxima peccata.

Gentes in carne etc. Constructio est : Memores estote quod vos, gentes etc., eratis aliquando sine Christo. — In carne, refer ad *præputium;* hoc nempe in carne habebant gentiles. — Præputium... circumcisio. Voces abstractæ pro concretis. — Manu facta, externa tantum. Sensus est : contemptibili illo nomine vocabamini, et quidem ab iis qui *secundum carnem* tantum, non vero *secundum spiritum* (Rom. II, 28), erant circumcisi, i. e. a Judæis.

12. Illo in tempore, recipit *aliquando.* — Quia est repetitio particulæ *quod* v. 11. Eratis sine Christo. Hoc primum allegat ut tristem gentilium statum describat. Hæc autem descriptio, si conjungatur cum ea quæ Rom. I, 18 sqq. reperitur, profundissimam præbet paganismi notitiam.

Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc
13 mundo. * Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope, in sanguine Christi.
14 * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ sol-

Israelitarum et a promissionibus, quas Deus in fœdere sæpius renovato fecit, exclusi; adeoque spem illorum bonorum nullam habebatis; et, verbo dicam, sine Deo in hoc mundo eratis: [13] vos, inquam, qui aliquando eratis longe a Deo, nunc, in Christo viventes, facti estis prope, utpote per sanguinem Christi cum Deo reconciliati.

[14] Christus enim auctor est pacis et amicitiæ quam nunc cum Deo habemus, quippe qui ex duobus populis unum effecit, parietem destruens qui utrumque

ESSE SINE CHRISTO! Quam lugendum esse sine eo, qui fons est omnis salutis, pacis, veritatis etc.!

ALIENATI. In hoc verbo latet significatio, gentiles ad verum Dei populum primitus pertinuisse, et deinde per idololatriam a Deo ejusque populo recessisse. — CONVERSATIONE: πολιτεια, republica, regno, seu populo Israelis. Hæc est 2ª gentilium infelicitas: se a populo Dei, a Dei familia separaverunt, longe a domo paterna errantes.

TESTAMENTORUM: in plur., quia fœdus Dei cum hominibus pluries renovatum fuit. — PROMISSIONIS, jungimus cum *testamentorum*. Vocatur autem *fœdus promissionis*, i. e. *promissorium*, ab objecto ejus primario, nempe Messiæ promissione. Itaque gentiles miseri erant, quia 3° promissionem illam eximiam non acceperant. Ex quo sequitur 4° nullam in re salutis spem eis adfuisse. Tandem vero 5°, quod maximum est, erant sine Deo (*αθεοι, athei*): nam " qui absque Deo vero est, nullum Deum habet (s. Hier.). " IN HOC MUNDO, miseriarum pleno, ubi religione et pietate constanter indigemus.

14. PAX. Vox abstracta rectissime adhibita fuit: nam Christus ut Deus est pax ipsa, pax absolute perfecta, adeoque et auctor omnis pacis. Etenim homines in pace cum Deo constituit, eosque inter se reconciliavit, et effecit ut viverent in unitate pacis.

UTRAQUE: *αμφοτερα*, i. e. utrumque populum, ethnicum et Judæum. ET MEDIUM etc. Istud *et* pleonastice ponitur. Phrasis regularis est: *Fecit utrumque* (populum) *unum, medium parietem solvens, legem* Mosaicam *evacuans* seu abrogans.

MEDIUM PARIETEM MACERIÆ. Græce: *murum intermedium sepimenti* seu septi (*de l'enclos*), i. e. solvens murum, qui sepiebat gentiles ab una parte et Judæos ab altera parte, quique medius inter utrosque erat. Quidam

vens inimicitias in carne sua:
15 * legem mandatorum decretis
evacuans, ut duos condat in se-
metipso in unum novum homi-
16 nem, faciens pacem, * et recon-
ciliet ambos in uno corpore, Deo
per crucem, interficiens inimici-
tias in semetipso.
17 * Et veniens evangelizavit
pacem vobis, qui longe fuistis,

separabat populum, i. e. inimicitias quæ inter eos erant auferens; quod fecit, quando per mortem suam expiatricem [15] temporales legis Mosaicæ abrogavit dispositiones; in hunc finem, ut Judæum et gentilem in semet ipse conjungeret, et ex duobus unum crearet hominem novum, christianum, pace inter eos facta; [16] utque ambos, in uno corpore suo mystico conjunctos, per crucem, in qua inimicitiam seu peccata abstulit, Deo reconciliaret.

[17] Et Christus, per se, vel per legatos suos, pacem illam, quam sua morte effecit, venit nuntiare omnibus: tum vobis, ethnici, qui Deum non colebatis,

censent Apostolum mente recogitasse murum, qui in templo Jerosolymitano atrium gentilium ab atrio Judæorum tunc temporis separabat.

Inimicitias, appositio ad *medium parietem*, per quam metaphora explicatur: Judæi et gentiles erant invicem *inimici*, quia Lex Mosaica (v. 15) eos tamquam *medius paries* dividebat et separabat. In carne sua, conjungimus cum *evacuans:* ideo velim ut in Vulgata ponatur virgula post *inimicitias.*

15. Legem mandatorum evacuans, est explicatio verborum *medium parietem solvens.*

Decretis: græce *in decretis.* Sensus est: legem Mosaicam, quatenus complectitur mandata, quæ in decretis consistunt, i. e. in dispositionibus illis positivis et temporariis, v. g. de cibis, diebus festis etc., quæ proprie in hunc finem conditæ erant ut Judæos a gentilibus segregarent, et in vero Dei cultu puros servarent. — Estius ita explicat: legem mandatorum (legem Mosaicam) per decreta sua, seu per novi Testamenti præcepta evacuans. Sed ex collatione Col. II, 14 probabilior fit prior interpretatio.

16. Et ut ambos, in uno corpore conjunctos, reconciliet Deo. Alter finis quem Christus in opere Incarnationis intuitus est: voluit homines Deo reconciliare, eosque vinculo charitatis inter se conjungere.

In semetipso. Vulgata legit εν ἑαυτῳ; sed probabilior est lectio εν αυτῳ, sc. σταυρῳ, *in sua cruce:* ita s. Hier., qui dicit: "interficiens inimicitiam in *ea.*" Lectio probabilior habet numerum singularem *inimicitiam.*

17. Christus dicitur evangelizasse gentilibus, quia Apostolis suis jussit ut in mundum irent universum, et docerent omnes gentes (Marc. XVI, 15):

18 et pacem iis, qui prope. * Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

19 * Ergo jam non estis hospites, et advenæ : sed estis cives san-
20 ctorum, et domestici Dei : * superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide

tum Judæis, veri Dei cultoribus. [18] Per ipsum enim ambo Deo reconciliati, et uno eodemque Spiritu sancto viventes, ambo simul accessum habemus pacificum ad Patrem cœlestem.

[19] Ergo, agnoscite beneficii hujus magnitudinem : nunc jam non estis amplius, respectu Dei, hospites et advenæ, sed christianorum estis concives, et de domo Dei, tamquam filii familias ; [20] estis quasi lapides vivi ædificii divini, quod est Ecclesia, superædificati super fundamentum tum Apostolorum, quum Prophetarum ; lapides, inquam, ædificii illius, cujus Christus est ipse-

quo sensu promisit fore ut post mortem suam omnia ad se traheret (Joan. XII, 32).

19. Jam non estis hospites : ξένοι, *peregrini*, ex alia terra, ex aliena regione advenientes; imo vero ne advenæ quidem, πάροικοι seu *inquilini* estis (qui hic habitant, quin jus civitatis habeant) ; sed estis cives regni Dei, omnibus juribus civitatis gaudetis ; imo, quod magis est, estis *de domo* seu de familia Dei, de familia ipsius regis. Pro pleniore intelligentia v. 19 et vers. præcedentis cf. Hebr. XII, 22.

20. Eadem sententia ac v. præc., sed alia sub metaphora, sc. ab ædificio desumpta, exprimitur. — Fundamentum Apostolorum .. genit. *appositionis :* fundamentum quod sunt Apostoli (Apoc. XXI, 14) ; potius quam genit. *subjecti :* fundamentum ab Apostolis positum. Hæc verba minime pugnant cum 1 Cor. III, 11, ubi dicitur non aliud esse fundamentum quam Christum : vide ibi explicata ; nec cum Matth. XVI, 18, ubi solus Petrus fundamentum dicitur : *Tu es Petrus et super hanc petram* etc. : cf. Comm. nostr. in h. l.

Prophetarum. Intellige prophetas veteris Testamenti, qui per prædictiones suas de Messia venturo homines ad Ecclesiam præparaverunt. Nominantur autem post Apostolos, quia hi præcedunt ratione dignitatis, et Ecclesiæ fundationi propinquius et magis directe operam dederunt.

Lapis angularis summus fundamenti, ille est qui, in superiore parte fundamenti positus (*summus*), 1° duos parietes ex diverso latere venientes (*angularis*) conjungit et sustinet ; 2° qui ipsimet fundamento firmitatem præstat, quum mediante illo lapide murus super fundamentum solidius exstruatur ; 3° ideo etiam lapis ille ceteris major et durior esse debet ;

21 Christo Jesu : * in quo omnis
ædificatio constructa crescit in
templum sanctum in Domino,
22 * in quo et vos coædificamini in

met lapis angularis, in fundamenti summitate positus ; [21] super quem (lapidem) universum ædificium apte connexum crescit in Christo, et fit templum quoddam sanctum. [22] In eodem illo lapide, i. e. in Christo, cui per gratiam Spiritus-

et 4° occupat locum conspicuum, nimirum, ad summam soli superficiem, quum e contrario fundamentum sit intra solum, ab oculis remotum. Igitur, ex omnibus ædificii lapidibus, primarius est et utilissimus, imo vero adeo necessarius ut sine eo tota rueret fabrica, nihilque prodesset ipsum fundamentum. Hæc omnia Christo, et ipsi soli, perfectissime conveniunt; ipse enim duos populos, Judæum et ethnicum, in unum populum christianum conjungit; ipse totum Ecclesiæ ædificium sustinet suisque fundamentis erectum tenet. Præclare s. Aug., Serm. 375, ad fin. : " Diversi " parietes, ait, ad lapidem angularem venerunt, inde Judæi, inde gentes, " de diverso, sed non ad diversum... Tantum a se parietes longe sunt, " quantum ab angulo remoti sunt. Quantum ad angulum propinquant, " propinquant sibi; cum ad angulum venerint, hærent sibi. " — Apostolus ad Ps. CXVII, 22 respicit : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Cf. Comm. nostr. in Psalmos (3ª ed. 1886); vide etiam annot. Act. IV, 11 (4ª ed.). Eadem verba Christus ad se ipse retulit, Matth. XXI, 42. Cf. etiam 1 Petri II, 7. Lapis ille clarius describitur apud Is. XXVIII, 16, ubi de Messia dicit Deus : *Mittam in fundamentis Sion* (Jerusalem novæ, i. e. Ecclesiæ) *lapidem, lapidem probatum* (firmissimum, solidissimum), *angularem, pretiosum* (qui maximi faciendus est in construendo ædificio), *in fundamento fundatum* (firmissime collocatum).

21. In quo, grammatice referimus ad lapidem angularem, potius quam ad Christum. — Omnis ædificatio, potius : *universa* ædificatio ; quamvis enim in græco πασα non habeat artic., hic tamen non quadrat notio omnis, quasi plures essent ædificationes.

Constructa : συναρμολογουμενη. Verbum hoc (a συν *simul, cum,* αρμος, *ossium commissura,* specialiter ea quæ brachium cum humero jungit, et λεγω, *colligo*) sign. plures alicujus rei partes apte sibi invicem connectere, conjungere. S. Aug., ep. 187, al. 57, n. 20 : " Habitat, ait, in singulis Deus tamquam in " in templis suis, et in omnibus simul in unum congregatis, tamquam in " templo suo. " — In Domino referimus ad *crescit.*

22. In Spiritu multi interpretes cum *habitaculum Dei* jungunt, quasi

habitaculum Dei in Spiritu.

sancti fuistis incorporati, etiam vos, sicut et nos, Judæo-christiani, in Dei habitaculum nobiscum ædificamini.

Analysis cap. II, 11-22.

Postquam in § 2 beneficia Dei in opere salutis exposuit per relationem ad Christum, cujus gloriam participant christiani, eadem nunc in § 3 amplificat per comparationem miserrimi status, in quo olim erant Ephesii, cum eorumdem conditione in christianismo.

Gentiles, ante conversionem ad fidem, erant 1° a populo Dei (Judæis), et 2° ab ipsomet Deo alieni. Per Christum autem, 1° cum Judæis in unum coaluerunt populum christianum, et 2° Deo reconciliati fuerunt.

In hujus expositione ratiocinationis, sequentia puncta per analysim inveniuntur. Ephesii, utpote gentiles, erant olim

1° Sine Christo, v. 11 ;

2° Exclusi a populo Dei, v. 12 ;

3° Et proinde a promissionibus quas Deus populo huic fecerat, ib. ;

4° Imo vero omni spe destituti,

5° Et sine Deo in hoc mundo, ib.

Nunc autem : 1° In Christo vivunt, v. 13 ;

2° Cum Judæis unum efficiunt populum, v. 14 ; ambo sunt membra unius ejusdemque corporis, sc. ad corpus Christi mysti-

diceret Apostolus : efficitis spirituale quoddam Dei habitaculum : sed *in Spiritu* melius refertur ad *coœdificamini*, et intelligitur *Spiritus sanctus*. Sensus tunc est : in Spiritu sancto, quem intra vos habitantem possidetis, adeoque per gratiam sanctificantem, ædificati estis super lapidem angularem et summum fundamenti (i. e. super Christum), et simul cum ceteris christianis templum Dei efficitis. Gallice dicere liceat : *Dans cet édifice, la foi trace les lignes architecturales, et le ciment qui unit les pierres entre elles, c'est la charité.*

cum pertinent, v. 15; aliis verbis, ambo sunt lapides vivi unius ejusdemque ædificii spiritualis, sc. Ecclesiæ, cujus Christus est lapis angularis et summus fundamenti, v. 20-22.

3° et 4° Pacem, in qua omnium spes bonorum includitur, per Christum obtinuerunt, v. 17;

5° Tandem Deo reconciliati, v. 15, accessum ad eum habent, v. 18; imo de domo ejus sunt, v. 19.

Dum ita describit beneficia quæ Ecclesiæ membris a Deo conferuntur, notas veræ Ecclesiæ distinctivas indirecte designat. Sunt sequentes :

1° *Unitas.* Omnes populi in unum rediguntur, v. 14; ideoque Ecclesia est corpus unum, v. 16, uno eodemque vivens spiritu, v. 18; aliis verbis, est unum ædificium, quod unicum habet fundamentum primarium, Christum, v. 20.

2° *Sanctitas.* Membra Ecclesiæ sunt sancta, v. 19; vivunt in Spiritu sancto, v. 18 et 22; et Christo sunt incorporati, v. 13 et 16.

3° *Catholicitas :* nam Ecclesia omnes complectitur gentes, v. 14, et ad omnia tempora sese extendit, v. 20.

4° *Apostolicitas :* super Apostolos fundatur, v. 20.

§ 4. *Doctrinam illam sua auctoritate confirmat, Deumque rogat ut Ephesii eam melius intelligant.*

CAP. III.

1 * Hujus rei gratia, ego Paulus

[1] Quia autem vos, gentiles, facti

1. Postquam vocationem gentilium, eorumque cum Judæis in Christo unionem docuit, a Deo precatur ut Ephesii in illa unione perseverent, et illud beneficium in dies melius intelligant; sed vix phrasim incepit, quando ad verba *Ego Paulus vinctus, pro vobis gentilibus,* intercidit cogitatio, forsitan quosdam, a Judaizantibus abductos, de sua (Pauli) ad gentiles missione dubitare, aut per vincula sua autoritatem epistolæ suæ minui posse : ideo statim dilabitur in digressionem (v. 2-13), qua se verum Christi apostolum, ad gentiles missum, affirmat et comprobat. Deinde inceptam phrasim recipit v. 14.

vinctus Christi Jesu, pro vobis
2 Gentibus, * si tamen audistis
dispensationem gratiæ Dei, quæ
3 data est mihi in vobis :* quoniam
secundum revelationem notum
mihi factum est sacramentum,
sicut supra scripsi in brevi :
4 * prout potestis legentes intel-
ligere prudentiam meam in

nunc estis christiani, veræ Ecclesiæ membra, ego Paulus, qui in bonum vestrum spirituale propter Christum incarceratus sum, Deum oro, ut in fide christiana corroboremini. [2] Dico vincula mea in bonum vestrum cedere; nostis enim munus apostolicum in vos, gentiles, dispensatione divina mihi concreditum esse. [3] Ideo per revelationem notum mihi factum est mysterium vocationis gentilium, de quo supra (II, 11-22) pauca scripsi verba; [4] quæ tamen, dum legitis, sufficientia erunt ut cognoscatis, mysterium Christi ejus-

Hujus rei gratia, quia vos, ethnici, æque ac Judæi, facti estis lapides vivi templi Dei, ædificati super angularem lapidem Christum; quia estis cives sanctorum etc.; verbo, quia insignia illa vocationis et justificationis beneficia per Christum accepistis : (v. 14) Deum rogo ut confirmemini in illis gratiis, atque etc. Igitur ego Paulus est subjectum verbi *flecto genua*, v. 14.

Vinctus J. C. Pulchre hoc exponit s. Chrys.: " Vinctum esse propter " Christum, ait, illustrius est, quam sive Apostolum, sive doctorem, sive " Evangelistam esse... Non enim caput ita splendidum reddit imposita " corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ propter Christum " fertur. " — Pro vobis Gentibus. Nolim cum Estio explicare : vinctus sum, propterea quod Evangelium vobis, gentilibus, nuntiaverim. Sed alium in paraphrasi sensum dedi, nixum v. 13, et Col. I, 24.

2. Si tamen : ειγε, *siquidem, quandoquidem;* vel si sequi velimus sensum Vulgatæ, dicendum erit hæc verba fuisse addita, quia non ad solos Ephesios, sed ad plures Asiæ-Minoris ecclesias, etiam ad illas quibus Paulus non prædicaverat, scripta erat hæc epistola. Cf. Intr. ad h. ep. § 1. — In vobis : εις ὑμας, *in vos.*

3. Gratiam apostolatus quam accepit distinctius explicat. Oratio Pauli hic, uti supra I, 4-14, adjunctione sententiarum relativarum valde involuta et irregularis redditur. — Supra scripsi : προεγραψα, *ante scripsi*, puta, in hac, non vero in alia quadam epistola, quæ deperdita sit. — In brevi, i. e. juxta s. Chrys., *paucis verbis* (Act. Ap. XXVI, 28) : non autem, ut censet Estius, *paulo ante scripsi.*

4. Rationalistæ De Wette, Renan aliique, gloriationem illam Paulo indignam esse contendunt, indeque authentiam epistolæ oppugnant. Verum

5 mysterio Christi : * quod aliis
generationibus non est agnitum
filiis hominum, sicuti nunc re-
velatum est sanctis Apostolis
ejus, et Prophetis in Spiritu,
6 * gentes esse coheredes, et con-
corporales, et comparticipes pro-
missionis ejus in Christo Jesu
per Evangelium :
7 * cujus factus sum minister
secundum donum gratiæ Dei,
quæ data est mihi secundum
8 operationem virtutis ejus. * Mihi
omnium sanctorum minimo data
est gratia hæc, in Gentibus
evangelizare investigabiles di-

que Redemptionis rite a me esse perspectum. [5] Mysterium autem illud numquam, in seculis præteritis, hominibus manifestatum fuit eo modo quo nunc, nostra ætate, per Spiritum sanctum revelatum est christianis, præsertim Apostolis et prophetis novi Testamenti. [6] Hoc intelligo mysterium : gentiles æque ac Judæos, quibuscum in unum corpus mysticum coalnerunt, divinæ promissionis, de salute per Messiam obtinenda, heredes esse et participes in Christo Jesu, sc. per Evangelium ejus. [7] Hujus Evangelii factus sum minister, ex gratuito Dei dono, qui me per efficaciam omnipotentiæ suæ apostolum creavit; [8] mihi enim, omnium longe minimo christianorum, dedit gratiam ut gentilibus incomprehensibilem et inexhaustam Christi beneficiorum

dicendum est, Apostolum non ex inani gloria, sed ex optimo fine, ad confirmandam auctoritatem suam, ita locutum esse; quemadmodum in utraque epist. ad Cor. multo plura in propriam laudem adducit, quin tamen Rationalistæ illi has epistolas Paulo abjudicare præsumant.

5. Sicuti nunc revelatum est. Igitur comparative loquitur, adeoque non negat aliquam sub V. T. factam esse hujus mysterii revelationem imperfectiorem. — Sanctis : multi sumunt tamquam adjectivum quod ad *Apostolis et Prophetis* refertur ; sed melius est vocem *sanctis* absolute intelligere, in sensu consueto de *christianis*; ob hanc præsertim rationem, quod opponatur *filiis hominum*. — Prophetis, sc. novi Testamenti, ut patet ex *nunc;* igitur non eodem sensu ac supra II, 20. — In Spiritu, i. e. *per* Spiritum sanctum : hæc refer ad *revelatum est.*

8. Minimo : ελαχιστοτερῳ, quod est comparativus ex superlativo ελαχιστος (ab ελαχυς), quique adeo sign. *minimo minor.* Cf. 1 Cor. XV, 9 : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Videsis quæ ibi notavi de humilitate s. Pauli. — In Gentibus evangelizare etc. Distinctius explicat *gratiam* sibi datam. — Investigabiles, pro *ininvestigabiles*, i. e. quæ comprehendi non possunt (quod spectat ad hominis intellectum aut scientiam), et quæ exhauriri nequeunt (quod attinet ad hominis voluntatem, aut moralem perfectionem).

9 vitias Christi, * et illuminare
omnes, quæ sit dispensatio sa-
cramenti absconditi a seculis in
10 Deo, qui omnia creavit: * ut
innotescat principatibus, et po-
testatibus in cœlestibus per

abundantiam annuntiem, [9] eosque omnes edoceam universam Incarnationis et Redemptionis œconomiam, cujus mysteria ab æterno sunt abscondita in Deo; qui, quemadmodum omnia creavit, ita etiam solus potuit decernere ut homo nova fieret creatura. [10] Deus autem tamdiu illa abscondit, ut nunc, nostris temporibus, per Ecclesiam, in qua ea facta sunt, angelis cœli melius innotescant multiplices et variæ formæ

9. DISPENSATIO SACRAMENTI: *οικονομια του μυστηριου*, universa Incarnationis et Redemptionis œconomia. — A SECULIS: *απο των αιωνων*, a seculorum principio, ab eo jam momento quo tempus decurrere cœpit; antea enim nemo erat cui absconderetur. Idem igitur est sensus ac 1 Cor. II, 7: *ante secula*, i. e. *ab æterno*. — QUI OMNIA CREAVIT. Hæc addit ut innuat redemptionem esse quasi secundam creationem, adeoque a Deo solo posse decerni et perfici.

10. UT INNOTESCAT: vera lectio addit *nunc*. Istud *nunc* opponitur verbis *a seculis*; ideo hæc *ut innotescat* etc. cum Beel., Bisp. (quem male allegat Drach) referimus ad *absconditi a seculis in Deo*, et conjunctionem *ut* (ἵνα) sensu ordinario, *finali*, sumimus. Tamdiu hoc mysterium abscondit, eo fine ut nunc, per Ecclesiam, adeoque per Christum, innotesceret hominibus, imo et angelis; puta, plene et perfecte innotesceret; nam in vetere Testamento jam imperfecte et umbraliter revelatum fuerat. Estius vero, post s. Thom., *ut* interpretatur de *eventu*, et jungit cum *illuminare omnes*, hoc sensu: mihi data est gratia manifestandi omnibus dispensationem sacramenti absconditi in Deo: unde fit ut etiam principatibus... nota fiat illa multiplex ac varia Dei sapientia.

PRINCIPATIBUS ET POTESTATIBUS, de bonis angelis intelligendum est; quod probatur, non ex additamento *in cœlestibus*; nam infra, cap. VI, 12, idem additur de malis angelis; sed ex coll. 1 Petr. I, 12: *In quem* (seu potius, juxta græcum *in quæ*, sc. mysteria ab Apostolis annuntiata) *desiderant angeli prospicere*. Necnon ex 1 Tim. III, 16: *Sacramentum* (mysterium Incarnationis) *quod manifestatum in carne..., apparuit angelis*.

Possuntne autem angeli, qui beatifica Dei visione fruuntur, in scientia progredi? Utique possunt; nam, quamvis divinam essentiam perfectissime

Ecclesiam, multiformis sapien-
11 tia Dei, * secundum præfinitio-
nem seculorum, quam fecit in
Christo Jesu Domino nostro :
12 * in quo habemus fiduciam, et
accessum in confidentia per
13 fidem ejus. * Propter quod peto
ne deficiatis in tribulationibus
meis pro vobis : quæ est gloria
vestra.
14 * Hujus rei gratia flecto

sapientiæ divinæ, [11] quæ nempe maximopere elucet in decreto illo æterno, quod in persona Christi Domini fuit adimpletum.

[12] In Christo igitur, per quem efficitur nostra redemptio, possumus nos qui in eum credimus, animose et fiducialiter accedere ad Deum. [13] Adeoque nulla hujus vitæ afflictione perturbemur; quare rogo vos ut, propter tribulationes quas patior, animum non despondeatis; nam nonnisi in vestrum bonum vestramque gloriam cedunt, tantum abest ut debeant vobis animum frangere.

[14] Nunc autem, quia æque ac Judæi

contemplentur, non tamen omnes effectus, quos Deus, per liberum suæ voluntatis decretum, in mundo creato operabitur, cognoscunt : sic nemo eorum scit quo die aut qua hora futurum sit judicium extremum (cf. Math. XXIV, 36) ; ita quoque, ante Christi adventum, omnes et singulas Incarnationis et Redemptionis circumstantias distincte perspectas nondum habebant; adeoque sapientiam quidem divinam, quoad essentiam, intuebantur, verum multiplices variasque formas, sub quibus, in mundi gubernatione, præsertim in hominis instauratione, sese manifestaret, nequaquam cognoscebant.

Per Ecclesiam. Non significat, ut bene explicat hic s. Thom., angelos a quibusdam Ecclesiæ membris doceri, sed divinam sapientiam novis sub formis eis innotescere, per ea quæ in Ecclesia geruntur, per adimpletionem mysteriorum quæ ad generis humani Redemptionem spectant.

11. Præfinitionem : προθεσιν, melius, *propositum, decretum.* — Fecit, *adimplevit.*

13. Hic versiculus cum præcedentibus arcte jungendus est : male igitur Tischendorf alteram lineam, quasi nova sit consideratio, inchoat. Peto ne deficiatis : αιτουμαι μη εγκακειν, quod verti posset *Deum rogo ut non deficiam*, et ad v. 8-10 referri, quasi diceret : id rogo, quia tamquam Apostolus tam excellens munus accepi. Sed probabilior mihi videtur sensus Vulgatæ, juxta quem post *peto* subauditur *vos*, loco *Deum*. In tribulationibus meis : eas eodem sensu Gal. IV, 13 vocat *tentationem vestram.*

14. Sententiam v. 2 abruptam jam resumit, ut v. 1. notavi ; quare

genua mea ad Patrem Domini
15 nostri Jesu Christi, * ex quo
omnis paternitas in cœlis, et in

beneficia Incarnationis participastis, humiliter supplico Deum, patrem nostrum, [15] ex quo omnis familia, tum angelorum in cœlis, tum hominum in

versiculus 14 referendus est ad II, 22, hoc sensu : quia æque ac Judæi estis lapides vivi templi Dei, quia simul cum eis membra estis unius ejusdemque Ecclesiæ, eademque Incarnationis beneficia accepistis, flecto genua etc. *Genua flectere* est actus humilitatis; " oratio autem, ait s. Th., " redditur exaudibilis per humilitatem : *Oratio humiliantis se nubes pene-* " *trabit* etc. Eccli. XXXV, 28. " Qua de causa scripsi in paraphrasi : *humiliter supplico.*

Domini nostri J. C. Non leguntur in codd. ABC, ideoque sunt dubiæ fidei : deinde, ex eo quod nulla excogitari possit ratio quare omissa fuissent, si ad textum Pauli pertinerent, quum contra, per glossema, v. g. ex I, 3 ortum, facile addi potuissent, concludere licet ea probabilius genuina non esse : " Simpliciter *ad Patrem* legendum est (s. Hier.). "

15. Paternitas etc. " Sicut, ait s. Hier., solus bonus (Deus) bonos facit, " et solus immortalis immortalitatem tribuit.., ita solus Pater, quia creator " est omnium..., præstat ceteris ut *patres* esse dicantur. " Sed quum *paternitas* proprie dicta *in cœlis* i. e. inter angelos non habeatur, melior videtur sensus Estii, qui vocem græcam πατρια sumit sensu lato pro *familia, cognatio,* i. e. personæ omnes quæ ab uno eodemque patre aut proavo originem habent : flandr. *geslacht* (Beel.). Vult dicere Apostolus, se eo confidentius Deum rogare, quod nos tamquam filios amet; utpote qui pater est et auctor omnium quæ existunt creaturarum, cœlestium atque terrestrium.

In coelis. Ex modo dictis sequitur, Apostolum non asserere, inter angelos *familias* esse proprie et stricte dictas, quasi alii ex aliis generentur aut procedant. Nullam sane apud angelos dari generationem carnalem, vel ex hoc solo liquet quod angeli corpus non habeant; quare et Christus dixit, Matth. XXII, 30 : *In resurrectione.... neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.* Igitur vel *familias* vocat, nomine improprio, varios angelorum ordines seu choros; vel simpliciter vult significare, omnibus creaturis eumdem esse patrem, seu auctorem, Deum.

Nominatur : omnes creaturæ, cujuscumque sint ordinis aut dignitatis, ab ipso *nomen ducunt* (sicut filii a patre nomen recipere solent); aliis verbis omnes ipsum habent patrem et proinde auctorem. Secundum Estium *nominatur* dicitur per hebraismum pro *existit,* seu *originem ducit;* verbo

16 terra nominatur, * ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem homi-
17 nem, * Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, et fundati,
18 * ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et subli-

terra, quantacumque sit, et nomen et originem accepit, [16] ut, secundum abundantissimam suam bonitatem, in qua gloriatur, concedat vobis virtute corroborari per Spiritum sanctum, sc. quoad animam vestram rationalem ; [17] adeoque concedat Christum in cordibus vestris per fidem perseveranter habitare, ut, vivida et constanti charitate præditi, [18] possitis, cum omnibus christianis, ab omni parte et perfectissimo modo, in

mentali posito pro reali, *nominari* pro *esse* (Hebraismum illum, multis allegatis exemplis, fuse explicavi in Append. comm. in Act. Ap., 4ª ed.). Sensus eodem recidit.

16. In interiorem hominem. Græce εις cum acc., indicat quo tendat operatio Spiritus sancti; tendit nempe *in interiorem hominem.* Jam vero per *hominem interiorem* intelligitur mens hominis, seu anima ejus rationalis, quæ vocatur etiam pars hominis superior. Hæc autem superna virtute roborari debet, quia per peccatum originale adversus eam rebellavit pars inferior. Duplicem hanc partem graphice describit s. Paulus ad Rom. VII. Cf. etiam 2 Cor. IV, 16.

17. Christus in eis jam habitabat, siquidem *concives* erant *sanctorum et domestici Dei*, utpote per Baptismum justificati: sed fortasse nonnulli per peccatum mortale gratiam sanctificantem perdiderant, alii vero eam deinceps amittere poterant; quare orat ut in statu gratiæ perseveranter maneant omnes.

In charitate etc., cum sequentibus necti debent: ut constanti præditi charitate erga Christum, possitis comprehendere quanta sit ejusdem Christi charitas erga vos. Ratio est quia, si participia *radicati* et *fundati* ad præcedentia referrentur, deberent in græco concordare cum ὑμων, adeoque in genitivo esse, quum tamen in nominativo posita sint. Verba autem illa *in charitate* etc. initio phraseos propter emphasim scripta fuerunt, ut eo significantius declararetur, ei qui Christum non diligat incomprehensibilem esse infinitam Christi dilectionem.

18. Latitudo.... profundum, sc. *charitatis Christi;* hoc autem non statim apponit Apostolus, quia post verba *ut possitis comprehendere... quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum,* vult addere : *verbo,*

19 mitas, et profundum : * scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20 * Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ opera-
21 tur in nobis : * ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

quantum homini datum est, animo comprehendere [19] et agnoscere infinitam et humanæ menti imperviam Christi charitatem, in opere Incarnationis manifestatam ; utque tandem Deus, cum omnibus suis gratiis et perfectionibus, in vobis habitet.

[20] Hæc a Deo postulo, et eo majori cum fiducia, quod potens est omnia facere quæ petimus, et quidem abundantius facere, ultra omnia quæ petimus, aut mente concipimus; quod concludere licet vel ex mirabili potentia quæ in nobis christianis vim suam sine intermissione exerit. [21] Ipsum igitur Ecclesia, mediante Jesu Christo, per totam æternitatem glorificet ! Fiat !

infinitas et incomprehensibilitas charitatis Christi. Sed constructionem mutat in hoc additamento.

Latitudo etc. Quatuor enumerat mensuras, ut rem universam et integram significet. Sensus est : ut sub omni ratione, quam perfectissime fieri possit, comprehendatis quanta sit Christi charitas. *Latitudo* charitatis hæc est, quod se extendat ad universum orbem ; *longitudo* ad omnes ætates ; *altitudo,* quod major sit quam cogitare et æstimare quisquam possit; tandem *profundum,* quod modus agendi, quem Christus ex charitate sequatur, sit humanæ menti impervius. Cf. Job. XI, 8, ubi de divinitate dicitur : *Excelsior cælo est.., profundior inferno.., longior terra.., et latior mari.*

19. Scientiæ est in dat., tamquam regimen verbi supereminentem. — Scire etc. Latet hic *oxymoron* (sententia valde *acuta,* quæ primo intuitu videtur *fatua*) : scire aliquid quod sciri non potest, cognoscere charitatem Christi incognitam, incomprehensibilem, infinitam. Charitatem : " Quidquid est in mysterio Redemptionis humanæ et Incarnationis " Christi, totum est opus charitatis... Propter hoc dicit Gregorius : O in- " æstimabilis dilectio charitatis ! Ut servum redimeres, Filium tradi- " disti ! (s. Thom.). "

Ut impleamini etc.: ut perfecte sitis pleni Dei. *Plenitudo* illa spiritualis per gratiam sanctificantem in terris inchoatur, et per unionem beatificam in cœlis consummatur, ut docet hic s. Thomas.

20. Omnia. Græce est *super-omnia.* V. paraphr. Quanta igitur cum fiducia Deum precari debemus !

Analysis cap. III.

Ut Ephesii, majore cum reverentia et firmiore fide, amplecterentur quæ scripsit hucusque de mysterio Incarnationis et Redemptionis, ejusque pretiosissimis beneficiis : nunc, per modum digressionis, auctoritatem suam apostolicam, suamque in gentiles divinam missionem exponit ; ideo forsitan quod timeret, ne, occasione incarcerationis suæ, quidam a reverentia et obedientia sibi tamquam apostolo debita, necnon et a firmitate fidei quam eis prædicaverat, deficerent. V. 2-13. Ita procedit :

1° Per divinam dispensationem apostolicum munus accepit, v. 2.

2° Per divinam etiam revelationem didicit mysterium illud de salutis œconomia christianæ, quod eos in hac epistola potissimum docere voluit, v. 3 et 4.

3° Verum est eum tanto munere indignum esse, sed Deus illud gratuito concessit, v. 7.

4° Nec muneri huic obstant persecutiones quas sustinet, v. 13.

Dum autem illam digressionem prosequitur, argumentum principalius non obliviscitur ; sed hic illicque plura interponit, quæ ad Incarnationis beneficium plenius intelligendum multopere conducunt. Sic docet inter alia :

1° Incarnationis mysterium nonnisi post Christi adventum clare manifestatum fuisse, v. 5 et 6 ;

2° Ab æterno tamen fuisse a Deo decretum, v. 9 ;

3° Per ejus manifestationem magis innotuisse, etiam angelis, sapientiam divinam, v. 10 et 11.

Postquam, ut modo dicebam, nonnulla intermiscuit quibus vim augeret suæ doctrinæ, ad argumentum redit dogmaticum ; brevemque de beneficiis salutis tractationem claudit, per pulcherrimam precationem ad Deum, qua expostulat ut Ephesii magis magisque illas gratias et cognoscant speculative, et practice agnoscant. Hanc autem orationem fulcit sequentibus fiduciæ rationibus :

1° Deus est pater et creator noster, v. 14 et 15 ;

2° Maxima est ejus bonitas, v. 16 ;

3° Eamque ostendere gaudet, quippe qui in ea glorietur, ib.;
4° Præterea omnipotentia præditus est, v. 20;
5° Nobisque sine intermissione mirabiles tradit gratias, ib.

PARS ALTERA : MORALIS.

IV-VI.

§ 1. *Unitas fidei et charitatis commendatur.*

IV, 1-16.

1 * Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati

[1] Itaque, quum tot et tanta a Deo acceperitis beneficia, obsecro vos, per vincula quæ pro Christo patior, ut vitam agatis dignam sancta illa vocatione, quæ gratis vobis data est;

1. Itaque. Pars moralis est conclusio ex parte dogmatica : oportet ut eximiis Incarnationis et Redemptionis beneficiis debito modo utamur. Ad unitatem in Christo vocati sunt tum gentiles, quum Judæi : sequitur inde Ephesios, in vitæ ratione, per adimpletionem variorum officiorum, quæ inter se mutuo habent, juxta singulorum statum et conditionem, obligatos esse eam unitatem exprimere et augere.

Obsecro : cum imperare posset, potius *obsecrat*, nempe ex humilitate et charitate (s. Thom.) — Vinctus. Iterum (cf. III, 1) suorum meminit vinculorum, ut Ephesiorum animos magis commoveat, eosque ad sequentes monitiones præparet. Namque, ait s. Thom., " amicus magis compatitur " amico afflicto, et nititur in pluribus facere voluntatem ejus, ut vel sic " eum consoletur (Eccli. XII, 9 : *In malitia viri*, quando quis infelix est, " *amicus agnitus est*). Dein Apostolus vincula patiebatur pro ipsorum " utilitate. " Cf. supra III, 1. — De vinculis suis magis gloriatur quam rex de diademate (Theodoretus).

Digne vocatione. Præclare s. Th. : " Si quis vocatus esset ad nobile " regnum, indignum esset quod faceret opera rusticana... Vocati estis ut " sitis *cives sanctorum* : non est ergo dignum ut faciatis opera terrena. " Sæpe nosmet ipsi interrogemus : Ad quid vocati sumus ? quemadmodum s. Bernardus se ipse frequenter excitabat dicens : Bernarde, ad quid venisti ? (A Lapide).

2 estis, * cum omni humilitate, et
mansuetudine, cum patientia,
supportantes invicem in chari-
3 tate, * solliciti servare unitatem
4 Spiritus in vinculo pacis. * Unum
corpus, et unus Spiritus, sicut
vocati estis in una spe vocatio-
5 nis vestræ. * Unus Dominus,
una fides, unum baptisma.
6 * Unus Deus et Pater omnium,
qui est super omnes, et per
omnia, et in omnibus nobis.

[2] videlicet, ut conversemini in perfecta humilitate et mansuetudine, mutuos defectus patienter supportantes ex charitate, [3] unitatem animorum studiose servantes, et vera amicitia inter vos colligati ; [4] adeo ut sitis omnes unum corpus morale, uno eodemque Spiritu sancto animatum ; sicut decet eos qui unam eamdemque sortem sperant, gloriam sc. cœlestem, ad quam vocati estis omnes. [5] Præterea, hæc unitas suadetur etiam ex eo quod omnes uni eidemque Domino servitis, eamdem fidem profitemini, idemque accepistis Baptisma ; [6] tandem, ex eo etiam quod omnes eumdem colimus Deum, eumdemque habemus patrem, Deum nempe qui super omnes imperat, et per omnes operatur, et in omnibus habitat.

2 et 3. Supportantes : Gal. VI, 2 *Alter alterius onera portate.* — Unitatem spiritus, sc. in iis quæ spectant ad doctrinam. In vinculo pacis, respicit unitatem voluntatis in rebus agendis. De concordia cf. Phil. II, 2.

4. Sicut vocati estis in una spe. Prima ratio ob quam unitatem, tum interiorem, quum exteriorem, servare debeant. *Spes* abstr. pro concr. *res sperata.* Rationi consentaneum est, ut, qui in eumdem tendunt finem, simul incedant : namque, ait s. Thom. : " Quando aliqui sunt vocati simul ad " aliquid pariter habendum et mutuo percipiendum, solent simul etiam " manere et simul ire. "

5. Notat s. Thomas in qualibet civitate, ad hoc ut sit una, quatuor debere esse communia: sc. oportet ut sit unus gubernator seu dux (ideo dicitur *unus Dominus*), una lex (lex *fidei*), eadem insignia (Sacramenta Christi, inter quæ primum *Baptisma*), tandem unus et idem finis (*Deus Pater*, ad quem Christus nos ducit). — Una fides : ergo falsissimum est, homines in quavis religione salvari posse.

6. Omnia : *παντων*, vertendum erat in masc. *omnes*, sicut in aliis duobus membris, *super omnes* et *in omnibus nobis.* — Super... per... in : tres illæ præpositiones indicant trium ss. Trinitatis personarum relationes cum creaturis. *Super* tribuitur Patri, tamquam primo omnium principio, crea-

7 * Unicuique autem nostrum
data est gratia secundum men-
8 suram donationis Christi. * Pro-
pter quod dicit : Ascendens in
altum captivam duxit captivita-

7 Verum hæc corporis unitas membrorum diversitatem non excludit; quare non una eademque unicuique nostrum data est gratia, sed varia, secundum mensuram quam impertiri voluit Christus. 8 Christum autem gratiarum esse distributorem, novimus ex his Psalmistæ verbis : " *Ascendens in cœlum, captivos secum in triumpho adduxit,*

tori et gubernatori mundi; *per* dicitur de Filio, tamquam Verbo, per quod Pater omnia creavit, atque gubernat; *in* Spiritui sancto appropriatur, quia in justorum animis habitat : ita ss. Hier. et Thom.

7. Unitas non est identitas ; adeoque non excludit omnem partium distinctionem sive diversitatem ; imo vero, in rebus creatis, ubi non adest plurimorum conjunctio, neque unitas quidem esse potest; nullum certe invenitur corpus *unum*, ubi non dentur varia membra : *Si essent omnia unum membrum, ubi corpus ?* 1 Cor. XII, 19.

Mensuram : Christus solus habet gratiam sine mensura, ceteri autem sancti ad mensuram recipiunt (s. Th.).

8. Propter quod, refertur ad proxime præcedentia. Sensus est : ad significandum Christum esse gratiarum donatorem, dicit (Scriptura) etc.

Ascendens... Verba Psalmistæ adhibet in sensu mystico, eaque paulisper immutat, ut ea significantius accommodet ad suam sententiam. In hebræo Psalmi LXVII, 19 hæc leguntur (translatio ad literam) : *Tu* (o Jehova) *ascendisti in altum* (in montem Sion), (tecum) *reduxisti captivitatem,* i. e. captivos (quasi ad currum triumphalem junctos), *cepisti dona inter homines* (proprie *in hominibus*), *et rebelles quidem,* i. e. accepisti dona seu munera ab hominibus, et quidem ab hostibus : supple, ista autem dona, quæ hostes tibi in signum subjectionis obtulerunt, inter milites tuos, ut solet fieri, distribues; sunt quasi spolia, ab hostibus capta seu accepta, tuis militibus dividenda. Depingitur Deus Israel, tamquam rex gloriosus, qui de bello redit, postquam omnes hostes devicit, et in urbem regiam inque palatium suum triumphans ingressum facit solemnem, alto curru sedens, et captivos quos jure belli sibi acquisivit, secum adducens. Ille autem triumphus, quum omnia in Testamento veteri novum Testamentum præfigurarent, symbolum erat triumphi Christi, post devictos humani generis hostes spirituales in cœlum ascendentis, et

tem : dedit dona hominibus.
9 * Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ?

suaque gratiarum dona, tamquam belli spolia, hominibus distribuit. » [9] Hæc autem ad Christum referuntur : nam quare dicitur *ascendit*, nisi quia etiam in terram nostram (et in inferiores quidem partes ejus, nempe usque ad

secum adducentis Patres e limbo. jure belli sibi acquisitos (αιχμαλωσιαν, abstr. pro concreto, captivos in bello comprehensos : αιχμη *hasta* et αλισκομαι *capio*). Ipse etiam, cum ad sedem regni sui gloriosi pervenit, seu potius, postquam cœleste palatium intravit, suis militibus (hominibus qui in ipsum credunt) distribuit dona, nempe gratias spirituales quas moriens meritus est. Videsis *Comm.* nostr. *in librum Psalmorum* (Brugis, 1886, 3ª ed.).

Dedit. In hebræo, et apud 70 Interpretes, reperitur *cepisti* seu *accepisti.* Apostolus itaque loco *cepit,* scripsit *dedit* (εδωκεν), ut verba ad suum thema pressius traduceret. Ceteroquin sensum non immutavit, nam *cepit* sign. *cepit ut distribueret.*

9. Ascendit. Hoc Psalmistæ verbo præsertim nititur s. Pauli ratiocinatio, nimirum : *ascendere in locum elevatum, supponit præcessisse aliquem descensum in locum priori inferiorem.* Atqui hoc potius de Filio Dei, quam de Jehova, dicendum est : ipse enim Filius potuit in cœlum *ascendere,* quia prius, in Incarnatione, *descenderat* in terram. — Primum videtur glossema, sed sensum rectissime complet.

In inferiores partes (gr. *in inferiora*) terræ. Contextus hujus loci, quod agnoscit etiam Estius, favet sententiæ Bisp., Beel., huic nempe : per *inferiores partes terræ,* intelligi terram nostram, quæ, juxta systema astronomiæ antiquæ, infima mundi pars est. Quasi diceret Apostolus : *in inferiores has partes, quæ* sc. *sunt partes terræ nostræ.* Hic sensus, quem tradit s. Thomas (1ª explica.), innuitur per argumentationem ex antithesi deductam : Deus ille, qui dicitur ascendisse in cœlum, non alius esse potest quam qui descenderat de cœlo, sc. *in terram nostram,* adeoque Deus Filius qui factus est homo. — Multi tamen (s. Hier., s. Chrys., Tert., s. Thom. 2ª explic., etiam Estius 3º Sent., dist. 44; Allioli) *partes terræ inferiores* interpretantur *infernum,* seu potius *limbum,* ad quem Christus secundum animam descendit, ut sanctorum animas ibi detentas secum ad cœlum victor adduceret. Adeo ut, secundum illam explicationem, locus sit dogmaticus, æque ac 1 Petr. III, 19, quo demonstretur Christi animam

10 * Qui descendit, ipse est et
qui ascendit super omnes cœlos,
ut impleret omnia.
11 * Et ipse dedit quosdam
quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evan-

inferos) descendit? [10] Igitur ille, qui descendit de cœlis, in Incarnatione, idem est qui etiam legitur ascendisse in altum, i. e. in summum cœlum, ut inde suas effunderet gratias, omniaque suis donis impleret.

[11] Sed non omnibus easdem concessit gratias: ipse enim ordinavit, ut nonnulli quidem in Ecclesia essent apostoli, alii autem prophetæ, alii porro

ad inferos descendisse. Hæc vero sententia multum probabilitatis habet, quippe quum a pluribus ss. Patribus proponatur, eique faveat sensus quem nonnulli auctores tribuunt dictioni *inferiora terræ* in Ps. CXXVIII, 15 (vide Commentarium nostrum ad ill. l.). Certe mirum est hujusmodi dictionem a s. Paulo adhibitam fuisse pro simpliciter *in terram*. Tandem huic $2^{æ}$ sententiæ non certo obstat Apostoli ratiocinatio; hæc enim ita proponi potest: descendit non solum in terram, sed usque in inferiora terræ. Ideo judicavi hanc sententiam in paraphrasi tradendam esse, saltem inter parenthesim. Eo vel magis, quod v. 8 per *captivos* illos, quos Christus secum duxit in cœlum, intelligantur Patres e limbo liberati.

10. Super omnes cœlos. Plurimi enim olim distinguebantur cœli; sic 2 Cor. XII, 2 mentio fit de *tertio cœlo*. Vult dicere Apostolus: Christus ad summam cœli partem, usque ad Dei solium ascendit, quippe qui sedeat ad dextram Patris. Dictio *super omnes cœlos* sententiam 2^{m}, de qua v. præc. diximus, confirmat, juxta s. Chrys., cujus hæc sunt verba: " Ad inferiores partes terræ descendit, post quas non sunt aliæ; et " ascendit super omnia, post quæ non est aliquid aliud. " — Ut impleret omnia, sc. donis et beneficiis suis (s. Thom. 1^{a} expl.). Cave ne ita intelligas, quasi Christi humanitas sit *ubique*: cf. Perr., De Incarn. 508, 511.

Ex hoc loco Christi divinitas indirecte demonstratur: nam, ut bene notat Bisping, quod Psalmista de Jehova cecinit, hoc de Christo prædicat s. Paulus.

11. Modo ostendit Christum esse gratiarum distributorem, nunc explicat quod dixit v. 7: *secundum mensuram*. — Ipse dedit etc. Apposite notat s. Hier.: " Ex hoc loco manifestissime comprobatur Patris et " Filii una divinitas. Siquidem hoc quod nunc Christus tribuisse de- " scribitur, in 1 Cor. (XII, 28) Deus Pater dedisse narratur. "

Evangelistas, sc. eos qui Apostolos proprie dictos comitabantur, variisque in regionibus fidem prædicabant, quo sensu Act. XXI, 8 Philippus

gelistas, alios autem pastores,
12 et doctores * ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem cor-
13 poris Christi : * donec occurramus in unitatem fidei et agni-

evangelistæ, alii tandem pastores (seu rectores) et doctores; [12] quas gratias varias, variasque inde profluentes functiones, dispensavit, in hunc finem ut christiani penitus instaurarentur, sc. per ministerium sacrum quo fungerentur varii illi ministri, et quo corpus Christi, i. e. Ecclesiam, perficerent tamquam ædificium completum. [13] Hæc autem perfecta instauratio eo tendit, ut perveniamus omnes ad unam eamdemque

vocatur *evangelista.* Itaque non ii solum intelliguntur, qui quatuor Evangelii historias conscripserunt. — PASTORES ET DOCTORES. S. Hier.: " Non " ait *alios pastores, et alios magistros* (*doctores*), sed, *alios pastores et* " *magistros,* ut qui pastor est, debeat esse et magister, nec in Eccle" siis, quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit " docere quos pascit. " Cf. s. Greg. in Ezech. hom. 19. Nomine *pastorum et doctorum,* intelliguntur præcipue episcopi, et sub ipsis etiam parochi.

In hac enumeratione non fit mentio de primatu Romani Pontificis, quia gradus hierarchiæ ecclesiasticæ non recensentur; sed solummodo indicantur charismata quædam ad bonum Ecclesiæ a Christo concessa: quare neque episcopi, nec presbyteri, aut diaconi nominantur.

12. Ad (προς) CONSUMMATIONEM etc. Finis ob quem Christus varias dispensat gratias. IN (εις) OPUS etc., referimus ad *dedit,* et est medium quo finis ille obtinebitur. Ergo, non ad honorem, non ad otium constituti sunt, sed *in opus ministerii.* Cavendum " ne nos, qui plus ceteris in " hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde " judicemur: cum enim augentur dona, rationes quoque crescunt do" norum (s. Greg., Hom. 9 in Evang.). "

IN ÆDIFICATIONEM, appositio ad membrum præcedens, quod explicat. " Igitur, ait s. Hier., si quis non ædificat Ecclesiam Christi, nec ple" bem sibi subjectam instruit, iste... nec *pastor* nec *magister* est appel" landus. " Cf. 1 Tim. III, 2; Tit. I, 6. — ÆDIFICATIONEM CORPORIS. Duplicem metaphoram, de ædificio et de corpore, in unam conjungit.

13. DONEC (μεχρι) non tempus indicat, quasi sensus esset : illam ordinationem perseveraturam usque ad consummationem seculorum; sed significat finem in quem variæ illæ gratiæ, variæque inde profluentes functiones ecclesiasticæ tendunt. Quamobrem *in unitatem..... plenitu-*

tionis filii Dei, in virum perfe-
ctum, in mensuram ætatis pleni-
14 tudinis Christi : * ut jam non
simus parvuli fluctuantes, et
circumferamur omni vento doc-

fidem et agnitionem Filii Dei; adeoque ut simus, quod spectat ad spiritualem vitam nostram, viri annis maturi : in illa nempe constituti perfecta ætate, in qua plenitudinem possideamus gratiarum Christi; [14] et proinde, ut jam non simus amplius similes parvulis, instabili motu, quasi maris fluctibus, huc illucque jactati et circumacti quovis doctrinæ vento (impulsu), per fallaciam hominum

dinis Christi, cum Græcis interpretibus intelligimus de eo quod in præsenti seculo agitur. — Unitatem fidei et agnitionis, i. e. ad unam eamdemque fidem, et ad unam eamdemque agnitionem. Quidam ita explicant : ad unitatem illam intellectualem, quæ ex fide et cognitione simul junctis exsurgit. Quo magis, aiunt, fides et scientia uniuntur, eo perfectior fit mens humana ; summa etenim perfectio aderit, quando fides in scientiam penitus transformabitur, sc. per visionem beatificam. Hæc ingeniosa quidem sunt, sed longius exquisita.

Filii Dei (in edit. Vulgatæ authentica a. 1598 minus recte scribitur *filii* cum minuscula) : omnis noster progressus in cognitione magis magisque perfecta Christi consistit. Vide P. De Saint-Jure, *De la connaiss. de J. C.*

In virum perfectum. Latini (s. Aug., de civ. Dei 22, 15 ; s. Hier., ep. 108, ad Eustoch. *Si cuncta,* n. 24 ; s. Thom.), qui verba illa de futuro seculo plerumque interpretantur, ea referunt, vel ad spiritualem hominis perfectionem in altera vita, vel ad perfectionem corporum resurgentium, nempe omnes resurrecturos esse in plena ætatis maturitate, puta 33 annorum, qua ætate Christus mortuus est. Sed, cum s. Hieronymo in comm. (cui concinunt s. Aug. ib. cap. 18, et s. Thom. circa fin.), in paraphrasi adoptavimus explicationem s. Chrysostomi et Græcorum interpretum ; eo vel magis quod *unitas fidei* dici non possit de cœlo, ubi cessabit fides.

14. Parvuli : " conditio pueri est, quod non est fixus vel determinatus in aliquo, sed credit omni verbo (s. Th.). " — *Ventus* optima est figura instabilitatis et inconstantiæ. Continuatur metaphora, et homines, qui facile abducuntur novis doctrinis, comparantur navigantibus in mari, qui, orta tempestate, huc illucque circumferuntur : quod potissimum verum erat, antequam naves vaporis impulsu ducebantur. Christus igitur Ecclesiam ad similitudinem corporis, in quo membra sunt connexa et capiti subjecta, constituit, eo ipso fine ut habeatur stabilitas et firmitudo (*ut non*

trinæ in nequitia hominum,
in astutia ad circumventionem
15 erroris. * Veritatem autem fa-
cientes in charitate, crescamus
in illo per omnia, qui est caput
16 Christus: * ex quo totum corpus
compactum, et connexum per
omnem juncturam subministra-
tionis, secundum operationem
in mensuram uniuscujusque

(Judaizantium), per eorum machinationem dolosam, quæ incantos ad errorem inducit; [15] sed contra, ut veram fidei doctrinam constanter profitentes, in charitate crescamus sub omni ratione, usque ad similitudinem cum Christo, qui est caput nostrum, i. e. usque dum efficiamur membra capiti nostro Christo apte convenientia.

[16] Non tantum singula membra vivere debent per virtutem Christi, sed totum Ecclesiæ corpus, compactum et connexum per varia ministrorum genera, tamquam per totidem membrorum commissuram, quæ nempe operantur singula secundum mensuram unicuique

simus fluctuantes etc.): quam verum illud sit, demonstrant innumeræ doctrinarum varietates et continuæ immutationes, quæ extra Ecclesiam, in variis Sectis et hæresibus, semper et ubique exortæ sunt. Recogita librum Bossuetii, *Histoire des variations*, etc.

Nequitia: κυβεια, proprie *aleæ ludus;* sed quia sæpe in eo lusu dolus aderat, inde significat *fallaciam.* — Circumventionem: μεθοδειαν, i. e. *machinationem.*

15. Veritatem facientes: αληθευοντες. Quia hoc verbum per δε iis opponitur quæ in v. præc. leguntur *fluctuantes* etc., interpretamur: *veram fidem servantes,* seu *constanter tenentes.* — In charitate, referimus ad *crescamus,* ut innuit finis v. 16 (Vulgata, cum virgulam habeat post *charitate,* refert ad præcedentia). In arbore spirituali nostræ salutis fides est radix, et charitas vis incrementi.

Crescamus: nam in via Domini non progredi, est regredi, ait hic s. Thomas. — Per omnia, noli supplere *membra,* cum Estio; sed sensus est: omni modo, sub omni ratione, " in omni bono (s. Th.), " seu in quovis virtutum genere. — In illo. Græce: *in ipsum,* usquedum attingamus Christum, i. e. ei similes simus.

16. Sicut singuli fideles per continuum virtutum omnium usum sensim crescere et invalescere debent, usquedum fiant viri perfecti, Christo similes, aliis verbis, donec in corpore Christi mystico efficiantur membra suo convenientia capiti: ita etiam universa Ecclesia per omnia seculorum spatia crescet et proficiet, non solum in doctrina, sed etiam in perfectione morali,

membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.

impositam, crescit et proficit usque ad plenam sui ipsius evolutionem. Istud vero efficitur per charitatem, quæ est quasi principium vitæ a Christo communicatum.

Analysis cap. IV, 1-16.

Partem epistolæ moralem inchoat per generalem quamdam monitionem, de vita sancte instituenda, v. 1.

Deinde Ephesios ad charitatis fideique unitatem inter se mutuo servandam adhortatur, v. 2 et 3, ob sequentes rationes:

1° Christiani unum corpus efficiunt omnes, v. 4;

2° Hoc autem corpus uno eodemque principio vitali, sc. Spiritu sancto, animatur, ib.;

3° Omnes tendunt in eumdem finem, sc. in cœlestem beatitudinem, ib.;

4° Omnes eidem serviunt Christo, et proinde eamdem fidem, eademque Sacramenta (quorum janua est Baptisma) habent, v. 5;

seu in disciplina generali; quum totum corpus easdem ac singula membra evolutionis leges sequatur oporteat.

Verborum structura in hoc vers. est satis implicata. Simplex propositio est: *Ex quo totum corpus augmentum sui facit.* Loco *sui* repetitur *corporis*, claritatis causa. Apposite s. Hier.: " Sciendum quod hic locus " in græco manifestior sit; dum autem in latinum e verbo transfertur ad " verbum, sensus sermonibus involuti obscurum fecere quod dicitur. " Hæc occasione, liceat mihi iterum consilium dare alumnis meis omnibusque sacerdotibus, ut in studio novi Testamenti textum græcum ante oculos constanter habeant.

SUBMINISTRATIONIS. Abstr. pro concreto. In Ecclesia sunt ministri diversi gradus, qui omnes inter se mirabili quodam ordine et mutua necessitudine connectuntur. Locus nostri parallelus habetur Col. II, 19: *Ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.*

SECUNDUM OPERATIONEM, refertur ad *subministrationis*: ea subministratio fit secundum operationem, quæ unicuique concessa est. — MEMBRI: μελους; sed melior lectio est μερους, *partis*. Sensus eodem recidit.

5° Tandem eumdem adorant Deum, trinum et unum, v. 6.

Neque unitati illi obstat, inter christianos varios esse gradus dignitatis et ministerii, v. 7; nam Christus varias concedit gratias (quod probatur v. 8-11), in hunc ipsum finem, ut omnes ad perfectam ducantur unitatem, v. 12 et 13; ut, per variorum incrementum membrorum, unum corpus plene evolutum, in maturitate ætatis constitutum, efficiant omnes; adeoque tale corpus, quod simile sit corpori hominis maturi, in quo firmitas et constantia animi regnat; et proinde quod ex constantia membrorum manet perfecte unum, tum fide, quum charitate, v. 14 et 15; verbo, corpus suo conveniens capiti, quod est Christus; variis quidem præditum membris apte connexis, sed una vivens vita, sc. vita gratiæ sanctificantis, quæ a Christo, corporis capite, in christianos, corporis membra, influit et diffunditur, v. 16.

§ 2. *Præcepta quædam morum particularia.*

IV, 17-V, 20.

17 * Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut gentes ambulant in
18 vanitate sensus sui, * tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipso-

17 Sed quoniam supra incepi (v. 1) vos ad vitam sanctam adhortari, illud jam persequor : obtestor igitur vos per Christum Dominum, ut nunc, post vestram ab idololatria conversionem, non amplius vivatis sicut gentiles, sc. secundum pravam eorum mentem. 18 Etenim, ab una parte, intellectus eorum ignorantia et errore obvolutus est, propterea quod verum Deum non agnoscunt; et ab altera parte, quod spectat ad voluntatem, non vivunt secundum Deum ejusque præcepta, propterea quod cor eorum obduratum

17. In vanitate sensus sui. Loco *sensus*, habetur græce *νοῦς*, *mentis suæ*, i. e. tum intelligentiæ, tum voluntatis, ut ipsemet Apostolus v. 18 explicat. *Vana* est et vacua intelligentia, quæ veritate caret; similiter *vanum* et vacuum est cor, ubi amor Dei ceteræque virtutes, quæ ex eo proveniunt, non habitant; adeoque *vanitas* idem est ac *pravitas* mentis.

19 rum, * qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.
20 * Vos autem non ita didicistis
21 Christum, * si tamen illum audistis et in ipso edocti estis,

bonis gratiæ motibus non afficitur. [19] Hoc autem inde provenit quod, omni honestatis et pudoris sensu carentes, sese præcipites dederint in omne genus impudicitiæ, quovis modo exercendæ, ardenter et insatiabiliter.

[20] Vos autem, qui ad fidem conversi estis, non ita Christum didicistis, ut cum ejus cognitione talem possitis vitam conjungere. [21] Si tamen, quod negare non potestis, Evangelium Christi audistis et edocti fuistis, eo modo quo Jesus

19. Qui : οιτινες, *quippe qui*. Explicat quomodo ad illam *mentis vanitatem* pervenerint gentiles. Cf. Rom. I, 19 et seq.

Desperantes, refert lectionem απηλπικοτες, quæ reperitur in codd. DEFG, et in verss. syriaca, gothica, arabica, armeniaca; sed loco *desperantes* oportuisset vertere *spe destituti*, ut supra II, 12 *spem non habentes :* puta, spem vitæ futuræ. Majorem autem auctoritatem habet lectio απηλγηκοτες (ab απο et αλγεω dolere, i. e. *dedolere, non amplius dolere*, et inde, *carere sensu*), omni honestatis et pudoris sensu carentes.

In avaritiam, potius *in avaritia*. Græce : εν πλεονεξιᾳ (non εν φιλαργυριᾳ), quod quidem reddi potest cum Vulgata per *avaritia*, adeo ut Apostolus hic, quemadmodum alibi, impudicitiam et cupiditatem, dua gentilium vitia præcipua, conjungat. Verumtamen potest etiam verti *aviditas, ardens et insatiabilis concupiscentia*, quo casu, εν πλεονεξιᾳ significaret *avide, ardenter, insatiabiliter, immoderate*. Hæc ultima sententia longe probabilior videtur : eamque tenent ss. Chrys., Hier., Thom. etc. Hæc sunt verba s. Hier. : " Non ad avaritiam, ut sonat simpliciter, pertinet, sed ad libidinem " atque luxuriam. " Cf. 2 Petr. II, 14 : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia* (gr. avaritiis) *habentes*. Sunt qui citent 1 Thess. IV, 3-7 ; sed vide annot. nostr. ad h. l.

20. Christum discere. Dictio significantissima et valde propria, similis huic Col. II, 6 *accipere Christum*.

21. Si tamen : ει γε. " Non est dubitantis, ait s. Chrys., sed etiam valde affirmantis, " adeoque reddendum est per *siquidem*, vel *si tamen, quod sane non negabitis*, etc. Si quis autem velit id tamquam dubitantis particulam habere, teneat explicationem quam supra III, 2 dedimus.

22 sicut est veritas in Jesu : * de-
ponere vos secundum pristinam
conversationem veterem homi-
nem, qui corrumpitur secundum
23 desideria erroris. * Renovamini
autem spiritu mentis vestræ,
24 * et induite novum hominem,
qui secundum Deum creatus
est in justitia, et sanctitate
veritatis.
25 * Propter quod deponentes

illud revera docuit: [22] nimirum, priorem vestrum vivendi modum immutandum, veteremque hominem, qui, per desideria fallacia in eo excitata, quotidie in majora ruit peccata, deponendum esse. [23] Igitur, usque ad intimam animæ vestræ partem renovari debetis; [24] et induere hominem novum (fieri homines prorsus novi), qui, sicut primus homo, ad Dei imaginem creatus est, in rectitudine et pietate quam veritas (Deus) efficit.

[25] Quum autem novus homo in rectitudine sit creatus, abstinete a men-

22. Deponere, et in vers. sequenti *induere*, sunt metaphoræ a vestimentis deductæ. *Vetus homo* quis intelligatur, vide annot. Rom. VI, 6. Sensus est : renuntiare malis concupiscentiis nostræ naturæ corruptæ. — Erroris : απατης, *fallaciæ*. Fallacia sunt omnia desideria mala, quia felicitatem, quam promittunt, non præstant.

23 et 24. Spiritu mentis vestræ. *Spiritus* est substantia, qua *mens* seu facultas intelligendi et volendi nititur. Sensus itaque est : renovamini totaliter, usque ad ipsam substantiam, usque ad ipsum esse animæ vestræ; aliis verbis, sitis vere *regenerati*, quasi novum esse, novam vitam accepissetis. Quibus verbis vult significare Apostolus, vitam vere christianam, non in actibus solummodo externis consistere, sed debere esse in intimo animo, *in spiritu et veritate*, adeoque *ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus nostris* procedere.

Induite novum hominem : s. Hier. : " id est, ait, ut alio loco dicit (Rom. XIII, 14) : *Induimini Jesum Christum.* " Vide annot. ad h. l. Secundum Deum, idem est ac *secundum Dei imaginem*, ut patet ex Col. III, 10. Allusio ad Gen. I, 27. — Creatus est. Hominis justificatio est revera *nova creatio* omnipotentiæ, sapientiæ, et bonitatis divinæ.

In hoc loco docetur dogma catholicum de elevatione protoparentum ad ordinem supernaturalem: etenim ex verbis s. Pauli novimus, protoparentes dono supernaturali gratiæ sanctificantis ornatos fuisse. Cf. Perr. De Deo creat. 302.

25. Post generalem illam adhortationem, in qua gentilitas et christianismus, natura et gratia, homo vetus et novus sibi invicem opponuntur, tradit nunc officia particularia, quæ in illa antithesi fundantur ; et primum

mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

26 * Irascimini, et nolite pec-

dacio, et in omni vitæ commercio cum proximo estote semper veraces; nam nos christiani alter alterius membra sumus, adeoque veritatem et sinceritatem mutuo servare debemus.

26 Si accidat vos subito iræ motu incendi, cavete ne usque ad peccatum

quidem loquitur de officiis in proximum. Quum autem lingua præcipuum sit vinculum externum, quo nectitur necessitudo quæ inter homines existit, adeo ut sinceritas in loquendo sit conditio prima quæ ad sanas hominum inter se conjunctiones necessario requiratur: ideo Apostolus incipit a mendacii prohibitione, eamque hac confirmat ratione: omnes homines, et præsertim christianos, esse unius ejusdemque corporis moralis membra. Utiliter legetur Cat. Rom., ubi explicat 8^{m} Decalogi præceptum.

SUMUS INVICEM MEMBRA. Hæc proprie spectant ad christianos, qui omnes ad unum idemque corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, pertinent. Ratio autem illa potest ad quosvis homines, etiam infideles, extendi; nam omnes homines, quum unam eamdemque habeant naturam humanam, unum quoddam corpus morale efficiunt; deinde omnes possunt ad fidem converti et fieri membra Ecclesiæ, siquidem pro omnibus mortuus est Christus. Igitur " proximus tuus ille est qui tecum natus est ex Adam " et Eva..,, omnis homo et antequam christianus est (s. Aug. in Ps. 25, " enarr. 2). "

26. IRASCIMINI ET NOLITE PECCARE. Sensus probabilior est: si irascamini, cavete ne usque ad peccatum deveniatis, cavete ne iræ vestræ consensum præbeatis, ne eam ad effectum perducatis. Secundum hanc interpretationem, *irascimini*, imperativus est hypotheticus, more Hebræorum (*si irascamini*); quemadmodum Eccli. XXX, 9: *Lacta filium, et paventem te faciet; lude cum illo, et contristabit te.* Verba autem IRASCIMINI etc. ex Ps. IV, 5, juxta versionem 70 interpretum, desumuntur; sed, ut mihi videtur, s. Paulus ea adhibet in sensu accommodatitio. Etenim, in Psalmo IV, verba hebræa probabiliter significant: *commoveamini* (pœnitentia) *et nolite amplius peccare*, quem sensum certe postulat parallelismus alterius membri: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, i. e. in domum interiorem, uti solent mœrentes, secedite, ibique dolete de malis vestris consiliis et operibus. S. Thomas hunc etiam sensum Paulo tradi posse opinatur, nempe: " irascimini contra peccata vestra, " et nolite peccare de cetero. " Sed hæc explicatio verbis sequentibus

care : sol non occidat super
27 iracundiam vestram. * Nolite
locum dare diabolo.
28 * Qui furabatur, jam non
furetur : magis autem laboret
operando manibus suis, quod
bonum est, ut habeat unde tri-
buat necessitatem patienti.
29 * Omnis sermo malus ex ore
vestro non procedat : sed si quis
bonus ad ædificationem fidei ut
det gratiam audientibus.

deveniat ira vestra; nec diu permaneat, sed eodem die deponatur; [27] neque occasionem detis diabolo vim suam exerendi; quod faceretis, si iram non statim compesceretis.

[28] Qui fur erat, amplius non furetur: sed potius laboret, suisque manibus artem aliquam honestam exerceat, non tantum ut sibi comparet quæ ad victum et pristinæ restitutionem injustitiæ necessaria sunt, sed etiam ut habeat quod indigentibus largiatur.

[29] Neque alio modo proximum lædatis : adeoque ab omni sermone malo abstinete; sed studiose eloquimini quæcumque bona sunt ad ædificationem, secundum uniuscujusque necessitatem, ut audientibus benefaciatis.

Sol non occidat etc. repugnare videtur. — Sol non occidat etc. Non est ad literam sumendum, quasi liceat toto die iræ indulgere; sed per modum proverbii usurpatur, ut significetur iram *statim* deponendam esse. De promptitudine hac in re vide Comm. nostr. in s. Matth. V, 23 sqq. (3ª ed. a. 1880-1882).

27. *Locum dat diabolo* qui iram non brevi compescit, quia ex ira diuturna plurima oriuntur peccata (s. Thom., ad ment.).

28. Ut habeat unde tribuat... Per exercitationem virtutis oppositæ, melius vincitur vitium. In arte enim medecinæ, saltem spiritualis, contraria contrariis curantur.

29. Omnis... non : hebraismus pro *nullus*. Sermo malus, sc. qui spectat ad proximum, quo proximus læditur (s. Thom.). De peccatis *linguæ* vide ep. s. Jac. III, 2-12; cf. *Comm. nostr. in epist. Cathol.* (Brugis, 2ª ed., 1887). Videsis etiam Cat. Rom. cit. supra v. 26. Cf. s. Bern., sermo de tripl. custodia manus, linguæ et cordis. S. Chrys. (Hom. 14) : " Cogita, inquit, " quæ sit oris tui dignitas...; cogita qua mensa dignatum sit os tuum, " quæ contingat, quæ degustet, quo cibo fruatur [in Euch.]. "

Ad ædificationem fidei : της πιστεως. Hæc lectio magnas habet auctoritates; majores tamen lectio της χρειας, *necessitatis*, vel *opportunitatis* : ita s. Hier. Hanc lectionem secuti sumus in paraphrasi. — Ut det gratiam,

30 * Et nolite contristare Spi-
ritum sanctum Dei : in quo
signati estis in diem redem-
ptionis.
31 * Omnis amaritudo, et ira, et
indignatio, et clamor, et blas-
phemia tollatur a vobis cum
32 omni malitia. * Estote autem
invicem benigni, misericordes,
donantes invicem sicut et Deus
in Christo donavit vobis.

CAPUT V.

1 * Estote ergo imitatores Dei,

[30] Attendite ne verbis, vel quocumque tandem modo, e vobisipsis aut ex aliis, per peccatum mortale Spiritum sanctum, qui est tanquam sigillum futuræ vestræ glorificationis, expellatis.

[31] Proindeque auferte a vobis quamcumque animi amaritudinem, et, quæ inde provenit, animositatem, aut iram exterius erumpentem, ejusque effectus, convicia et maledicentiam ; tandem in genere quamlibet malitiam adversus proximum. [32] Contra, estote benigni, misericordes, debita vestra et injurias vobis mutuo condonantes, ad normam remissionis delictorum quam Deus nobis in Christo concessit.

[1] Ergo, ita condonando, aliisque in rebus omnibus, estote Dei imitatores,

ut benefaciat (Bisp., Beel.) : Jac. IV, 6; 1 Petr. V, 5. Sensus quem tradit A Lapide : sermo sit gratiosus, venuste et jucunde proferatur, nobis minus arridet, propterea quod verba *ut det gratiam* explicant quod dictum fuit per *ad ædificationem*.

30. Contristare, per anthropopateiam, per *expellere*, vel *ejus operationem impedire* (s. Thom., 2ª explic.).

31. Ira et indignatio : θυμος και οργη, i. e. *animositas interior*, seu animi indignatio, *et ira exterius erumpens*.

Blasphemia : βλασφημια (a βλαπτω *noceo*, et φημι *loquor*, i. e. verbis nocere), maledicentia. S. Chrys. venuste : " Quemadmodum, ait, in vas et vestimentum immundum numquam se demiserint apes..., ita etiam fit de sancto Spiritu. Vas quoddam, et quidem calathiscus est nostra anima, parata ad excipienda examina gratiarum spiritualium. Sed si sit intus bilis, et amaritudo, et ira, evolant examina. "

32. Donantes, pro *condonantes*, quod probatur ex loco parallelo Col. III, 13 : *Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.* De injuriarum condonatione vide quæ diximus in Comm. nostro Evang. s. Matth. XVIII, 21-35.

1. Hæc cum præcedentibus jungenda sunt, nec aliud caput inchoari debet. Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros..., ut sitis filii patris vestri..., qui solem suum oriri facit* etc. (videsis comm. nostr.). — Imitatores Dei : Deum imitari 1º maxima est dignitas, 2º perfectissima sanctitas,

2 sicut filii charissimi : * et am-
bulate in dilectione, sicut et
Christus dilexit nos, et tradidit
semetipsum pro nobis oblatio-
nem, et hostiam Deo in odorem
suavitatis.
3 * Fornicatio autem, et omnis
immunditia, aut avaritia nec
nominetur in vobis, sicut decet
4 sanctos : * aut turpitudo, aut
stultiloquium, aut scurrilitas,
quæ ad rem non pertinent : sed

sicut decet ut filii dilecti patrem suum imitentur; [2] adeoque in omnibus actionibus servate dilectionem fraternam, ad exemplum Christi, qui et dilexit nos, et, quod summum est amoris testimonium, tradidit semetipsum morti cruentæ pro nobis, ut tamquam victima immolaretur in sacrificium Deo acceptissimum.

[3] Fornicatio autem, et quævis impudicitia, aut insatiabilis lascivia, non tantum non committantur apud vos, sed tam alienæ sint a vobis, quippe qui christianæ fidei professione sancti sitis, ut hujusmodi peccata ne nominetis quidem inter vos. [4] Penitus etiam abstinete a turpiloquio, aut stultiloquio, aut scurrilitate, quæ omnia christianum dedecent. Lingua potius utamini

3° summa beatitudo : " Hoc est, ait s. Ambr. (L. 1 de Abrah., c. 2), " quod pro magno inter septem sapientum dicta celebratur : Sequere " Deum. "

2. Et tradidit etc. Hoc addit, inquit s. Thom., quia secundum Greg. (Hom. 50 super Joan.) probatio dilectionis exhibitio est operis. — Oblatio, προσφορα, i. e. oblatio qualiscumque; Hostia autem (θυσια) est oblatio cruenta, sc. animalis mactati. — In odorem suavitatis, seu *bonæ fragrantiæ* (ευωδιας), est dictio ex vetere Testamento desumpta, ubi de sacrificiis Judæorum fumosis, de holocaustis et incensis præsertim usurpatur, ut significet sacrificia Deo gratissima, acceptissima. S. Thomas addit moralem conclusionem : sic debemus nos sacrificare Deo spiritualiter.

3. Avaritia : πλεονεξια. Vide supra IV, 19. Ita etiam s. Hier. : " libido insatiabilis et inexpleta, quæ per omnia turpitudinum genera lasciviæque discurrit. " — Nec nominetur in vobis : ergo vitandi sunt sermones obsceni : " sermones enim, ait s. Chrys., sunt via rerum. "

4. Turpitudo, puta, in sermone et colloquiis. Stultiloquium aut scurrilitas : cf. Matth. XII, 36 : *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* — Quæ ad rem non pertinent : τα ουκ ανηκοντα, *quæ non conveniunt,* i. e., per litoten, quæ maxime dedecent christianos. — Gratiarum actio. Pars pro toto, seu species pro genere ponitur. Significat quasvis precationes Deo oblatas;

5 magis gratiarum actio. * Hoc enim scitote intelligentes : quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi, et Dei.
6 * Nemo vos seducat inanibus verbis : propter hæc enim venit

ad preces et gratiarum actiones Deo offerendas. [5] Certo enim scitote quemvis fornicatorem, aut immundum, aut libidinosum (quæ luxuriæ peccata dici possunt species idololatriæ), ab hereditate excludendum fore in cœlesti regno Christi, qui verus est Deus. [6] Nemo falsa vos doctrina decipiat, dicens v. g. res istiusmodi non esse malas. Quia enim talia perpetrant qui christianam fidem amplecti nolunt, eos puniet ultio divina.

sed simul innuit maximi momenti esse gratiarum actionem in Deum. Vide infra v. 20.

5. Scitote intelligentes : ιστε γινωσκοντες. Hæc lectio, quam Vulgata exhibet, longe majorem habet auctoritatem, tum externam, tum internam, quam lectio textus græci Recepti (editionis Complutensis) : *εστε γ.*, *estis* vel *estote cognoscentes.* In lectione Vulgatæ adest idiotismus Hebræis et Græcis proprius, quo vis verbi prioris augetur : *scitote bene, certo scitote.*

Quod est idolorum servitus. Relativum *quod* potest referri ad tria simul substantiva præcedentia, quia vocem *avarus* hic intelligimus sicut *avaritia* in vers. 3. Omnis impudicitia vocatur idololatria, quia creaturam creatori præfert, cum maxima creatoris injuria. Pari modo, quodvis peccatum mortale potest aliquo sensu vocari *idololatria,* quia peccator a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat, atque in ea, tamquam in fine ultimo, saltem implicite et virtualiter quiescat, adeoque eam sicut Deum suum habeat. Impudicitia hic vocatur *idololatria,* dum contra in V. T. idololatria ab Israelitis commissa dici solet *adulterium.*

Non habet hereditatem... Quia servit alii deo quam vero Deo, non potest recipere mercedem a Christo, qui verus est Deus. — Et Dei. Græce absque articulo, adeo ut sensus sit : in regno Christi, qui verus est Deus : vide Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 18, 4, ann. Parum recte hoc rejicit Drach. Ex hoc loco firmatur dogma de Christi divinitate.

6. Inanibus, i. e. fallacibus, falsis, perversis. Respicit Apostolus ad quosdam pseudo- doctores, qui, male conversi, per falsam speciem libertatis christianæ contendebant fornicationem aliave hujusmodi turpia, non esse mala vel saltem non esse mortalia. Contra illos scripsit 1 Cor. VI, 12.

Propter hæc : non propter hæc *verba,* sed propter hæc *vitia* et *peccata,* de quibus v. 5. Venit, in præsenti (ερχεται), quia generaliter hoc dictum est :

7 ira Dei in filios diffidentiæ. * No-
lite ergo effici participes eorum.
8 * Eratis enim aliquando tene-
bræ: nunc autem lux in Do-
mino. Ut filii lucis ambulate:
9 * fructus enim lucis est in omni
bonitate, et justitia, et veritate:
10 * probantes quid sit benepla-
11 citum Deo: * et nolite com-
municare operibus infructuosis

[7] Nolite ergo participes eorum fieri, sc. in istis vitiis, ut non sitis in pœna.

[8] Nam per conversionem vestram penitus ab eis divisi fuistis: vos qui aliquando eratis tenebræ (ob ignorantiam et malitiam) sicut isti, nunc, quum Christo sitis uniti, estis lux (in veritate doctrinæ et vitæ sanctitate): igitur vivite tamquam lucidi, i. e. homines rite edocti et sancti ([9] quia ex luce illa vestra nihil aliud provenire potest quam omnimoda benignitas et justitia et veritas); [10] examinantes quid sit Christo acceptum, ut illud faciatis; [11] et nolite participare opera tenebrarum (mala), quorum tam pessimi sunt effe-

quotiescumque talia committuntur peccata, toties a Deo severe puniuntur. Multa, eaque terribilia, videmus exempla in V. T., ut diluvii, Sodomitarum etc.

8. Tenebræ... Lux: hæc metaphora in sacris Literis sæpissime adhibetur de rebus spiritualibus: Rom. XIII, 12 et 13; 1 Thess. V, 4 sqq. Deus, adeoque et Christus, Deus-homo, est *sol* mundi spiritualis, quem sua illustrat veritate, suaque gratia calefacit et vivificat. Quicumque verum Deum colunt, et Christum tamquam Dei Filium adorant, a radiis illius solis illuminantur, et fiunt ipsimet luminosi; nam per interiorem sanctificationem fiunt Deo similes, utpote ad Dei imaginem iterum creati; alios igitur sua doctrina suæque vitæ exemplis illuminare possunt. Contrarium dici debet de incredulis: fiunt ipsimet *tenebræ*. Nota Apostolum non dicere: *eratis in tenebris*, aut *in luce*, sed *eratis tenebræ, lux:* quod multo significantius est, ut modo explicavi.

Ut filii lucis ambulate, i. e. Christum sequimini; nam Joan. VIII, 12: *Qui sequitur me,* ait Salvator, *non ambulat in tenebris.*

10. Probantes, refertur ad *ambulate* v. 8, et versus 9 est parenthesi includendus. Qui in luce versantur, res bonas facile discernunt.

11. Infructuosis. Quemadmodum, in mundo physico, lux habet vim qua plantas crescere faciat et præsertim fecundas reddat, dum contra steriles sint atque marcescant plantæ quæ in densissimis ponantur tenebris: ita etiam res habet in mundo spirituali; peccata et errores nonnisi

tenebrarum, magis autem redar-
12 guite. * Quæ enim in occulto
fiunt ab ipsis, turpe est et
13 dicere. * Omnia autem, quæ
arguuntur, a lumine manifestan-
tur: omne enim, quod manife-
14 statur, lumen est. * Propter
quod dicit: Surge qui dormis,

ctus; quin potius ea detegite et reprehendite. [12] Quædam enim a gentilibus in in occulto fiunt quæ adeo sunt turpia, ut ista vel nominare non deceat. [13] Ista autem redarguite: nam omnia peccata, quæ a viris sanctis reprehenduntur, tamquam vere mala jam apparent et nonnumquam in bonum mutantur (per conversionem peccatoris): quævis enim res fit luminosa per hoc ipsum quod detegitur vel visibilis redditur. [14] Quia tam utile est ut, per vestram lucem (sanctitatem), detegantur et arguantur gentilium tenebræ: ideo dicit Scriptura: *Expergiscere, qui dormis* (morte spirituali), *et exsurge*

mortem generare valent. — Redarguite: ελεγχετε, quod sign. 1° *detegere, manifestare, in lumine ponere*, et 2° *redarguere, reprehendere, objurgare.* Uterque sensus est hic indivulse connexus: qui enim detegit opera mala, et facit ut videantur sicut sunt, eo ipso jam ista reprehendit.

13. Explicat illa v. 11 *magis autem redarguite.* — A lumine, jungimus cum verbo præcedenti, potius quam cum verbo sequenti.

Omne enim quod manifestatur: παν γαρ το φανερουμενον. Hoc verbum non potest sensu activo sumi, quasi esset in forma media; nam in prima parte hujus versiculi adhibetur sensu passivo; dein φανερουμαι est semper forma passiva; non enim a Græcis sensu medio usurpatur. Est sententia generalis qua verba statim præcedentia confirmantur.

Sensus totius versiculi est: res materiales, quæ deteguntur et a luce collustrantur, redduntur visibiles et ipsæmet luminosæ; ita etiam in rebus spiritualibus, quando peccatores in se recipiunt lumen virorum justorum (i. e. bona eorum exempla, et sanctas admonitiones seu reprehensiones), fiunt ipsimet justi et sancti. Aliis verbis: non tantum a peccatis, quæ gentiles committunt, abstinere debetis, sed etiam conari eos per vestras virtutes et per prudentem objurgationem ad meliorem vitam convertere.

14. Citat duo Isaiæ loca, eaque in unum conflat, et paulisper immutat, ut contextæ orationi melius accommodet. Videlicet apud Is. XXVI, 19 Israelitis, a somno et morte peccatorum et infelicitatis resuscitandis, dicitur: *Expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere.* Et Is. LX, 1 de Messiæ adventu: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum,*

et exurge a mortuis, et illumina-
bit te Christus.
15 * Videte itaque fratres, quo-
modo caute ambuletis: non quasi
16 insipientes, * sed ut sapientes,
redimentes tempus, quoniam
17 dies mali sunt. * Propterea no-
lite fieri imprudentes : sed in-
telligentes quæ sit voluntas Dei.
18 * Et nolite inebriari vino, in
quo est luxuria : sed implemini

a mortuis (per conversionem) ; nam *Christus* (et cum ipso christiani probi) lumine sanctæ vitæ tenebras vestras *illuminabit* et vos convertet.

15 Quum igitur tanta sit exempli vestri efficientia, attendite vobis ut vitam prudenter agatis, adeoque non quasi insipientes, 16 sed tamquam vere sapientes. Diligenter utamini occasione bonum faciendi, quasi deberetis eam pretio emere : tempus enim, quo nunc degimus, malum est, ita ut necesse sit omni fausta occasione uti. 17 Propter hanc nostræ ætatis perversitatem, attendite vobis ne etiam efficiamini insipientes seu perversi, sed Dei voluntatem cognoscere et perficere satagite.

18 Præterea non impleamini et inebriemini vino, quod causa est luxuriæ ; sed contra impleamini Spiritu sancto, qui in vobis castam excitabit

et gloria Domini super te orta est. Quæ autem scripsit Isaias de Judæis peccatoribus, hæc ad peccatores omnes, præsertim gentiles, refert s. Paulus.

16. Redimentes tempus, seu potius *opportunitatem* (καιρον), i. e. diligenter utentes omni opportunitate. Quod emere debemus, id majoris æstimamus, ac diligentius parciusque eo utimur, quam quod sponte et gratis nobis præsto est. De pretio temporis vide quæ notavimus supra Gal. VI, 10.

Dies mali sunt : omni quidem ætate dies mali sunt : " Ex eo quod " lapsus est Adam et de paradiso projectus, numquam fuerunt dies nisi " mali (s. Aug. Hom. 10 inter 50). " Sed maxime tales fuerunt ætate Apostolorum, quando paganismus ad summum corruptionis culmen pervenerat.

18. Luxuria. Nam, ut Prov. XX, 1 dicitur : *Luxuriosa res vinum ;* et s. Hier. (ep. ad Oceanum, *Numquam* etc.) : " Venter, ait, mero æstuans, " cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in " voluptate impudicitia est... Lot, quem Sodoma non vicerat, vina vice- " runt. " Quare idem s. Doctor in cap. 1 ad Tit. 7 : " Numquam ego, " inquit, ebrium castum putabo... Dicat quisque quod volet, ego loquor " conscientiam meam. "

19 Spiritu sancto, * loquentes vo-
bismetipsis in psalmis, et hym-
nis, et canticis spiritualibus,
cantantes, et psallentes in cor-
20 dibus vestris Domino, * gratias
agentes semper pro omnibus, in

lætitiam; [19] adeo ut inter vos mutuo Psalmos, et hymnos, et cantica spiritualiá frequenter et cum jubilo, ex pio cordis affectu cantetis in Christi laudem, [20] gratias semper Deo, patri nostro amantissimo, pro omnibus rebus per

19. Lætitiam castam, a Spiritu sancto inditam, pravæ lascivæque ebriorum hilaritati, eorumque lubricas cantilenas psalmis et hymnis spiritualibus opponit. Hæc ad christianorum convivia imprimis referenda sunt. Sic et Christus post ultimam cœnam hymnum sacrum cecinit, Marc. XIV, 26.

Cantantes... in cordibus vestris. " Audiant hæc, monet s. Hier. (in comm. " hic), hi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo, non voce, sed corde " cantandum. " Ergo oportet ut sacerdotes cantica sacra, et imprimis Psalmos, intelligere conentur. — Ex hoc vers. colligimus jam in primitiva Ecclesia cantum ecclesiasticum fuisse usitatum.

20. Gratias etc., inter alia per cantica et orationes gratiarum actionis. — Pro omnibus, in neut. gen., *pro rebus omnibus*, tam pro adversis quam pro lætis; nam, ut ait s. Hier. (hic), " Christianorum virtus est, " etiam in his quæ adversa putantur, gratias referre creatori... Hæc " virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiæ referantur, et semper dicamus *Benedictus Deus!* " Sic fecit s. Job I, 21. De hac virtute præclarissima scribit s. Bern. (Sup. Cant., serm. 13) " Origo fontium et fluminum omnium mare est : virtutum et scientiarum " Dominus J. C... Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratia" rum ut iterum fluant. " Deinde, ut fluminis aqua, si stare cœperit, computrescit, sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fiat; et quod magis est, homini ingrato gratia ipsa in perniciem jam vertitur, sicut aqua putrida. De eadem virtute lege *Imitat. Ch.* 2, 10. Jam vero, nostra gratiarum actio in Deum, non tam in verbis et precibus eucharisticis, quam in actibus et operibus consistit, nempe in eo quod ad Dei gloriam omnia peragamus, juxta Col. III, 17: *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine D. N. J. C., gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* Debemus pro viribus imitari per gratiam id quod sancti per gloriam perficiunt in cœlo, ubi *procidunt ante Dei thronum, mittentes coronas suas,* æternumque cantant *Amen, alleluia* in laudem Dei : Apoc. passim. Atque ideo *voluntas Dei est* ut *in omnibus gratias agamus,* 1 Thess. V, 18.

nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri.

Dominum nostrum Jesum Christum agentes.

Analysis cap. IV, 17-V, 20.

Postquam eos ad unionem in fide et charitate adhortatus est, quædam nunc præcepta morum particularia adjungit.

Antea tamen rationem generalem suggerit, quare ad sanctos mores obligati sint : nimirum quia, a gentilitate ad christianismum conversi, pessimam gentilium conversationem vitare debent, v. 17-21; et fieri quasi homines novi, sancti et justi, v. 22-24.

1m Monitum particulare circa officia in proximum. Abstineant a mendaciis, v. 25 ; ab ira quoque, odio, et furto; neminem verbis lædant, sed contra, unumquemque ad bonum excitent, ne Spiritum sanctum, qui est Spiritus charitatis, expellant, v. 26-32 ; injuriasque proximi ad exemplum Dei et Christi condonent, cap. V, 1-2.

2m Monitum versatur circa castitatem. Omnem fugiant impudicitiam, v. 3-7; hæc enim opus est tenebrarum, quod gentilibus oportet relinquere, quum homini christiano, in luce veritatis et sanctitatis constituto, repugnet, 8-12 ; ipse enim luce sui exempli gentiles potius ad lumen sanctæ vitæ convertere debet, v. 12-14. Huic autem studio, omni cum prudentia v. 15, et diligentia, v. 16, laborem impendat. Caveat igitur ab ebrietate, quæ causa luxuriæ est, v. 18 ; aliamque non quærat lætitiam quam spiritualem, quæ in hymnos sacros erumpat, v. 18-20.

In nomine D. N. J. C. Per Christum nobis omnia a Deo Patre tribuuntur bona, adeoque per ipsum oportet omnia in Deum ejusque laudem referre. Hanc ob rationem Ecclesia omnes orationes concludit : *per Dominum nostrum Jesum Christum.*

§ 3. *Præcepta quæ ad vitam spectant domesticam.*

V, 21—VI, 9.

21 * Subjecti invicem in timore Christi.

22 * Mulieres viris suis subditæ
23 sint sicut Domino : * quoniam vir caput est mulieris : sicut Christus caput est Ecclesiæ :

[21] Subjecti estote invicem, adeo ut inferiores, cum timore filiali vereque christiano, superioribus, unusquisque pro statu suo, ex animo obediant.

[22] Primum, mulieres subditæ sint viris suis propriis, in iis non personam humanam, sed ipsummet Christum considerantes. [23] Vir enim præest mulieri, sicut Christus, qui Ecclesiam salvavit,

21. Hæc præcedentibus annectenda non sunt, sed continent generale principium, quod deinde ad singula vitæ domesticæ officia refertur. Invicem : αλληλοις, non significat omnes omnibus, sed aliis alios, puta inferiores superioribus, subjectos esse.

22. " Domus seu familia, ait s. Thom., habet tres connexiones, sine " quibus non est perfecta, sc. viri et mulieris, patris et filii, domini et " servi. " De his tribus jam agitur; et 1° quidem de mutuis officiis viri et uxoris (ex utriusque enim connexione nascitur familia), v. 22-33. In hac autem pericopa tractatio instituitur de matrimonio adeo profunda et accurata, ut quæ umquam hac de re fuerint conscripta longe superet omnia. Exponitur enim mirabilissima similitudo, quæ existit inter conjunctionem viri et mulieris, et inter unionem spiritualem quam Christus cum Ecclesia, sponsa sua, contraxit.

Subditæ sint : in græcis codicibus non habetur, ait s. Hier.; saltem in multis deest. Istud tamen verbum ex v. 21 mente suppleri debet. Viris suis : in textu originali, *viris propriis* (ιδιοις), unaquæque illi quocum juncta est matrimonio. — Sicut Domino, i. e. *Christo* (non *sicut servus domino suo*, s. Thom.), ex timore filiali, non servili; ex animo religioso et fine supernaturali.

23. Caput mulieris : vir relate ad uxorem suam est sicut caput relate ad corpus, quod informat et nutrit, regit et custodit, sicut Christus est relate ad Ecclesiam, quam vivificat et fovet, gubernat et protegit.

Ipse salvator corporis ejus. *Ejus* non est in græco. Græci de viro sententiam exponunt : vir uxorem suam protegit ac servat, sicut caput salutem totius corporis procurat; ideo justum est ut, sicut corpus capiti subjectum est, ita et uxor viro suo. Sed potius de Christo intelligenda

24 ipse, salvator corporis ejus. * Sed
sicut Ecclesia subjecta est
Christo, ita et mulieres viris
suis in omnibus.
25 * Viri diligite uxores vestras,
sicut et Christus dilexit Eccle-
siam, et seipsum tradidit pro
26 ea, * ut illam sanctificaret,
mundans lavacro aquæ in verbo
27 vitæ, * ut exhiberet ipse sibi
gloriosam Ecclesiam, non haben-
tem maculam, aut rugam, aut
aliquid hujusmodi, sed ut sit

ei præest; [24] adeoque sicut Ecclesia (seu singula ejus membra, i. e. christiani omnes) subjecta est et obedit Christo: ita etiam oportet ut mulieres, in omnibus quæ ad familiam spectant, subjecti sint viris, eisque obediant.

[25] Sed viri vicissim sua in uxores officia habent: si, relate ad uxores, sunt sicut Christus relate ad Ecclesiam, debent etiam eas diligere, sicut et Christus Ecclesiam dilexit. Quanta autem sit Christi erga Ecclesiam dilectio agnoscite. Ipse pro ea se tradidit in mortem, [26] ut eam sanctificaret, seu per Baptismum et Evangelii prædicationem mundaret; [27] utque adeo ipse sibi exhiberet Ecclesiam splendidam, sicut sponsam pulcherrimam, nulla inquinatam macula, in flore juventutis, sine rugis aliisque senii vitiis; verbo, ecclesiam sanctam et irreprehensibilem.

sunt Apostoli verba. Quia Christus fons omnis salutis est Ecclesiæ, oportet ut hæc ei subjiciatur.

24. Sed, vim habet subsumptionis, valetque *atqui*. En syllogismum: vir caput est uxoris, sicut Christus Ecclesiæ; atqui Ecclesia Christo est subjecta; ergo etiam uxor sit subjecta viro.

In omnibus, utique cum hac restrictione, ut notat s. Thomas: modo non præcipiatur quidpiam contra Dei voluntatem; nam in hoc casu *Obediendum est Deo magis quam hominibus*. Ceteroquin hæc exceptio jam includitur in verbis *sicut Domino*, v. 22.

26. Lavacro aquæ, i. e. per Baptismum. Videtur Apostolus respicere ad morem qui apud Judæos vigebat, secundum quem sponsa pridie nuptiarum balneo lavabatur. Cf. v. 27.

In verbo vitæ. Vox *vitæ* est glossema: Cat. conc. Trid. p. 2, c. 2, 5 omittit illam. S. Chrys. intelligit verba quæ in Baptismi collatione proferri debent, seu formam Sacramenti. Sed, si Apostolus id significare voluisset, apposuisset articulum: του εν ρηματι. Quare malimus cum s. Aug. et s. Hier. hæc referre ad *sanctificaret*, et explicare: *per Evangelii prædicationem.*

27. Sermo metaphoricus, ex imagine sponsæ deductus. Ecclesiæ splendor ille et sanctitas existit jam in terris, sed in tota plenitudine tunc

28 sancta et immaculata. * Ita et
viri debent diligere uxores suas
ut corpora sua. Qui suam uxo-
29 rem diligit, seipsum diligit. *
Nemo enim umquam carnem
suam odio habuit : sed nutrit,
et fovet eam, sicut et Christus
30 Ecclesiam : * quia membra
sumus corporis ejus, de carne
ejus, et de ossibus ejus.

[28] Eodem modo etiam viri debent diligere uxores suas et se totos eis impendere; quippe quæ sint corpora sua, quemadmodum Ecclesia est Christi corpus. Quare qui suam diligit uxorem, corpus suum et proinde se ipse diligit. [29] Atqui naturæ consentaneum est, ut suum quisque corpus diligat, et proinde illud nutriat et foveat : sicut Christus erga Ecclesiam agit. [30] Hæc enim revera corpus ejus est : et nos omnes, qui ad Ecclesiam pertinemus, membra sumus corporis

apparebit, quando in thalamum cœlestem introducetur sponsa illa Christi spiritualis ; postquam in seculorum consummatione advenerit sponsus ejus gloriosus. Tunc enim fiet quod scriptum est Apoc. XIX, 7 : *Venerunt nuptiæ Agni : et uxor ejus præparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido.*

28. Ita, refertur ad *sicut Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea* : eodem modo viri debent uxores diligere et protegere, etiam cum periculo vitæ, si necesse sit. Sensus non est : sicut Christus sanctificavit Ecclesiam, ita etiam viri in uxorum sanctificatione elaborare debent.

Ut corpora sua. Noli interpretari *quasi essent corpora sua*, sed *tamquam tales quæ sunt sua corpora ;* aliis verbis : quia sunt sua corpora, quia unum cum eis corpus quoddam constituunt.

29. Nemo, puta, sanæ mentis, carnem suam, corpus suum (hic *caro* non habet adnexam notionem peccati, sicut Gal. V, 24, ubi agitur de crucifigenda carne) *odio habet*, simpliciter et quatenus est corpus suum; potest quidem eam odisse qua vitiosam, morbidam aut spiritui rebellem: sed istud odium resolvitur in amorem sui, suique corporis.

Christus Ecclesiam nutrit, verbo suo in s. Scriptura, imo corpore et sanguine suo in ss. Eucharistia ; eam vero fovet Spiritu suo sancto, suæque igne charitatis.

30. De carne ejus et de ossibus ejus. Hæc verba omittuntur in codd. AB, sed leguntur in DEFGKL, et in vers. syriaca; quare a lectione Vulgatæ recedendum non est. Verba autem illa manifesto referuntur ad Gen. II, 23 : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Quod spectat ad eorum sensum, non simpliciter indicant unionem spiritualem, quæ inter Christum et animam justorum existit; quia dictio significan

31 * Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ: et erunt
32 duo in carne una. * Sacramentum hoc magnum est, ego autem

Christi, ex carne ossibusque ejus formati. [31] Sic etiam mulier primitus ex carne et ossibus viri formata est, et per matrimonium redintegratur primitiva unitas, fitque mulier quasi unum corpus cum viro. Quod ex verbis Scripturæ de conjugio primorum parentum liquet. *Propter hoc*, quia mulier, de viro formata, erat os ex ossibus ejus, et caro de carne ejus, et quia hæc utriusque sexus unitas per matrimonium renovatur: ideo *homo* omnia alia *vincula*, etiam arctissima *illa quæ parentes inter et filios exstant, rumpet, ut adhæreat uxori suæ, et cum ipsa unum corpus efficiat.* [32] In his verbis latet magnum mysterium: hæc enim

tior est, et spiritus neque *carnem* neque *ossa* habet. Juxta ss. Hier., Aug., et Thom., intelligitur de Christi Incarnatione seu de assumptione naturæ nostræ humanæ; sed, ut videtur, in tali hypothesi, debuisset Apostolus e contrario dicere: Christum esse de carne nostra et de ossibus nostris. Quamobrem Bisping opinatur illam locutionem referendam esse ad susceptionem ss. Eucharistiæ, qua corpus et sanguinem Christi vere, realiter, et substantialiter participamus; forsitan etiam ad unionem quæ per Baptismum efficitur inter corpus nostrum et corpus Christi gloriosum, vi cujus unionis nostrum etiam corpus suo tempore ad vitam resurget immortalem, atque fiet gloriosum. Cf. 1 Cor. XV, 12 et Hebr. II, 13-15.

31. Propter hoc etc.: sunt verba quæ Gen. II, 24 leguntur, quæque alii tribuunt Moysi scriptori, alii in ore Adami, sicut proxime præcedentia *hoc nunc os* etc., ponunt. — Adhærebit: προσκολληθήσεται *agglutinabitur ad...*, ei firmissimo vinculo conjungetur.

Duo, non legitur in hebræo Geneseos, ubi sic habetur *Erunt in carnem unam;* sed legitur apud 70 Interpr. Ceteroquin ex tota phrasi necessario suppleri debet. In carne una: hebraismus pro *una caro* seu *unum corpus*. Hoc autem, ut notat s. Thom., in animalibus perfectis fit nonnisi transeunter per copulam, dum contra in plantis uterque sexus solet esse in eodem corpore, adeo ut duo sint perpetuo unum corpus.

32. Sacramentum hoc: το μυστηριον τουτο, hoc mysterium est magnum mysterium. Apostolus non tam respicit ad illa: *Relinquet homo patrem et matrem suam,* quam ad: *Adhærebit uxori suæ, et erunt duo in*

dico in Christo et in Ecclesia.

33 * Verumtamen et vos singuli,

unusquisque uxorem suam sicut

unitas viri et uxoris arctissimam conjunctionem Christi cum Ecclesia significat. [33] Quapropter, sicut Christus Ecclesiam tamquam corpus suum diligit, ita etiam vos, viri, debetis singuli uxores vestras ut proprium corpus vestrum diligere. Uxor vicissim virum revereatur

carne una. Quare nolim inquirere quomodo Christus reliquerit Patrem suum cœlestem, quando de cœlis descendit, aut matrem suam, synagogam, quando legem Moysis abrogavit; sed hoc modo intelligo: unio utriusque sexus in matrimonio symbolice repræsentat unionem Christi cum Ecclesia. — In Christo et in Ecclesia. Græce est accus. *in Christum et in Ecclesiam*; sensus est: si referatur ad Christum et ad Ecclesiam.

" Hæc verba, ait Perr., De matr. christ. I, 3, per se satis non evincunt christianorum conjugium vere et proprie esse Sacramentum. " Quod enim dicitur *Sacramentum hoc magnum est*, veritatem habuit ab initio creati generis humani, quum ad illud referantur verba *Propter hoc relinquet* etc.; nec tamen ab eo tempore cœpit matrimonium esse Sacramentum proprie dictum, seu signum efficax gratiæ. Ideo Conc. Trid. hunc textum non attulit ut demonstraret matrimonium esse Sacramentum; sed tantum notat Apostolum id *innuisse*; ait enim, Sess. 26, de Matr. " *Quod Paulus Apostolus* innuit *dicens: Sacramentum hoc* etc. " *Innuit*, non, *docuit*. Eodem modo loquitur Cat. Rom. Parte II, De matr. N° 19.

Sed quæritur nunc qua ratione verba Apostoli id innuant? Resp. Ex doctrina hic tradita habemus talem esse inter christianos unionem conjugalem, qualis est conjunctio Christi cum Ecclesia: atqui conjunctio hæc spiritualis, supernaturalis, perfecta, indissolubilis, gratiarumque omnium operatrix est; igitur conjunctio conjugalis etiam est gratiæ operatrix, et ad ordinem supernaturalem pertinet; adeo ut, quæ exterius fiunt quando matrimonium christianum initur, sint signum sensibile gratiæ interioris quæ confertur; nunc autem talem vim habere non potest nisi per Christi institutionem: ergo adest Sacramentum proprie dictum. Bene animadverte hic agi de matrimonio contrahendo ab iis qui Sacramentorum sunt capaces, sc. a christianis baptizatis.

Quod verba Apostoli *innuunt* et *insinuant*, hoc, ait Perr. ib., accedente catholica interpretatione (sensu Ecclesiæ traditionali) etiam certo demonstrant.

33. Verumtamen: πλὴν, indicat propositionem principalem v. 28 enuntiatam, post parvulam digressionem, v. 30-32, resumi.

seipsum diligat : uxor autem
timeat virum suum.

CAPUT VI.

1 * Filii, obedite parentibus
vestris in Domino : hoc enim
2 justum est. * Honora patrem
tuum, et matrem tuam. Quod
est mandatum primum in pro-
3 missione : * ut bene sit tibi, et
sis longævus super terram.
4 * Et vos patres nolite ad
iracundiam provocare filios ve-

eique subdita sit, sicut Ecclesia Christo, sicut membra corporis capiti subjiciuntur.

[1] Filii, parentibus vestris obedite modo vere christiano, ex animo : hoc enim a Deo præceptum est, [2] his verbis *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Quod est primum decalogi mandatum cui expressa et specialis promissio adjuncta sit, [3] sc. *Ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.*

[4] Et vicissim vos, patres, nolite, per nimiam severitatem, filios vestros ad

1. *Obedire in Domino*, modo vere christiano, adeoque non serviliter et exterius tantum, sed interius ex sincero cordis affectu ; non in omnibus, sed in iis tantum quæ Christus ejusque lex permittit. — Justum : δικαιον, *juxta Dei legem*, quæ nihil mandat nisi *justum*, ait s. Thom.

2. *Honor* includit 1° amorem, 2° reverentiam, 3° obedientiam, et 4° auxilium in rebus temporalibus. — Primum, debet arcte conjungi cum *in promissione* (s. Thom., 2ª expl.). Verum, non solum primum est cui in decalogo annectitur expressa promissio, sed unicum. Quamobrem putandum est Apostolum in mente habuisse seriem universam mandatorum, quæ post decalogum data sunt.

3. Ut, vere finalis est particula. Possumus in operibus nostris intendere mercedem, etiam temporalem, a Deo promissam.

Terra in Deut. V, 16, ubi additur *quam Dominus Deus daturus est tibi*, certo sign. *Terram Promissam*, quæ, quum figura sit cœli, indicat non tantum temporalia bona, sed etiam æterna, filiis probis promitti. Promissio autem longævitatis magnam habet rationis congruentiam : æquum est enim, ut qui eos honorant a quibus vitam temporalem acceperunt, hujus vitæ prorogationem obtineant. Ceteroquin notare vix oportet, bona temporalia non esse bona, ut ait s. Thom., nisi in quantum ad spiritualia conducant ; adeoque et filios obedientes præmatura morte abripi posse, quin divina frustretur promissio. Sic Sap. IV, 11 de justo dicitur : *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus.*

4. Officia parentum, et præsertim patris, qui caput est familiæ, negativo et positivo modo jam describuntur. — Provocare, *ne*, ut additur Col. III, 21, *pusillo animo fiant*, et per impatientiam jugum disciplinæ

stros : sed educate illos in disciplina, et correptione Domini.
5 * Servi obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore, in simplicitate cordis vestri,

iram provocare ; sed educate illos in disciplina et institutione, quæ christiano homini conveniat.
5 Servi, obedite dominis vestris terrenis, tamquam Christo, Domino vestro cœlesti, cujus locum aliquo sensu tenent; adeoque cum magna sollicitudine, et

prorsus abjiciant. Illam prohibitionem valde necessariam fuisse intelligemus, si in memoriam revocamus eo tempore longe majorem quam nunc, imo nonnumquam vere tyrannicam, fuisse patris in filios auctoritatem.

Educate etc. Lege s. Chrys., hom. 21, 2, ubi docet " omnia a nobis " postponenda esse filiorum educationi in disciplina et admonitione Do- " mini. " Maximus thesaurus, ait A Lap., quem parentes filiis relinquunt, est bona educatio.

Disciplina : *παιδεια*, generatim sign. institutionem et informationem puerorum ad honestatem. *Correptio : νουθεσια* (*εν νῳ τιθημι*, *in mentem pono* aliquid alicui, aliquem de aliquo moneo, instruo) *admonitio.* Per utrumque illud *παιδεια* et *νουθεσια* designatur universa puerorum educatio, seu quidquid fit ad pueros honeste instituendos, tum per admonitiones, tum per castigationes. Igitur per totam phrasim Apostolus vult dicere gall. : *Donnez-leur une bonne éducation*, et addit Domini, i. e., *une éducation chrétienne.*

5. Carnalibus, seu, ut græce, *secundum carnem*, i. e. dominis vestris terrenis. Eos ita vocat, ut distinguantur a Domino *secundum spiritum*, qui solus est verus et proprie dictus *dominus.*

Obedite. Notetur vox ! Apostolus, quamvis probe sciat, servitutis institutionem ex peccato ortam esse, adeoque per christianam religionem abolendam, non tamen permittit ut servi rebellionem contra dominos suos ineant, et vincula violenter dirumpant; quod in detrimentum et perturbationem societatis cessisset. Servitutis abrogatio fructus est suavissimus, quem christianismus, sensim excrescens et constanter se evolvens, ad maturitatem tandem perducet; sed oportet ut antea solum præparetur, ut planta irrigetur, viribusque adauctis florescat. Etenim, necessarium est ut externam et civilem emancipationem præcedat interna animarum, per veritatem vitæque sanctitatem, moralis emancipatio. Hæc serio animadvertant viri illi omnes qui, animo generoso et laudabilissimo, in servorum liberatione nostris diebus elaborant. Quod autem attinet ad servitutis abolitionem, vide annot. ad Philem. 16.

Cum timore et tremore : duplex nomen emphasim notat : cum magno et continuo timore.

6 sicut Christo : * non ad oculum
servientes quasi hominibus pla-
centes, sed ut servi Christi,
facientes voluntatem Dei ex
7 animo, * cum bona voluntate
servientes, sicut Domino, et
8 non hominibus : * scientes
quoniam unusquisque quodcum-
que fecerit bonum, hoc recipiet
a Domino, sive servus sive
liber.

9 * Et vos domini eadem facite
illis, remittentes minas : scien-
tes quia et illorum, et vester
dominus est in cœlis : et perso-
narum acceptio non est apud
eum.

ex sincero animo. [6] Proinde non externis solum actibus, in præsentia dominorum, officia vestra observate, ut hominibus tantum, qui interna non vident, placeatis; sed agite quasi Christo serviretis, voluntatemque dominorum vestrorum quasi Dei voluntatem ex animo facite. [7] Igitur bona et hilari mente servite, sicut qui Christo Domino, et non hominibus, serviatis. [8] Ita vos gerite propter spem remunerationis quam in altera vita accipietis, quum sciatis fore ut unusquisque æqualiter, servus fuerit necne, mercedem recipiat a Domino cœlesti (a Christo judice), secundum mensuram boni quod fecerit.

[9] Et vos vicissim, domini, servos vestros benigne tractate; non in eis personam humanam inspicientes, sed eos ut Dei servos habentes; adeoque pœnas quas eis comminati estis condonate, quum sciatis vobis eumdem ac illis esse Dominum in cœlis, cui rationem reddetis vestri agendi modi, et apud quem nulla datur personarum acceptio; a quo proinde vos etiam severe puniemini, si male agatis.

6. Explicat negative et positive quod modo dixit : *In simplicitate cordis vestri.*

9. Eadem, non quæ spectant ad operis naturam, sed ad ejus modum; sensus igitur est : benigni estote erga servos, in eis, non personam humanam respicientes, sed Christum, cujus sunt servi. Lege s. Aug., De civ. Dei 19, 16, ubi inter alia : " Qui veri patresfamilias sunt, ait, omnibus in " familia sua tamquam filiis ad colendum et promerendum Deum con- " sulunt. "

Remittentes minas, i. e. pœnas quas comminati eratis. Vult dicere generatim, eos absque nimia severitate tractandos esse. — Scientes etc. Hæc servorum dominorumque æqualitas coram Deo, supremo omnium judice, principium est ex quo paulatim orta est eorum æqualitas in rebus civilibus; adeo ut pauca illa Apostoli verba contineant, tamquam in semine, servorum emancipationem, per salutarem christianæ religionis efficientiam sensim elaborandam.

Analysis cap. V, 21—VI, 9.

Apostolus seriem tradit admonitionum, quæ ad informandam disciplinam domesticam spectant. Thema proponit v. 21.

Inter varias quæ in familia occurrunt necessitudines, primum locum tenent mutua virum inter et uxorem officia. Hæc primo et fusius exponit. Adeoque :

1^m Punct. Mutua necessitudo quæ inter conjuges exstat, v. 22-33.

1° Officia mulieris, v. 22-24 : debet viro subjici, sicut Ecclesia Christo est subjecta.

2° Officia viri, v. 25-33 : debet uxorem suam diligere, sicut Christus Ecclesiam diligit (atqui maxima fuit Christi dilectio erga Ecclesiam, v. 26 et 27) ; quia sicut Ecclesia est corpus Christi, ita uxor est quasi corpus viri, seu unum corpus cum eo constituit, v. 28-30. Quod probatur ex verbis s. Scripturæ de primorum parentum conjugio, v. 31 et 32.

2^m Punct. Necessitudo inter parentes et filios. Cap. VI, 1-4.

1° Officia filiorum, v. 1-3.

2° Officia parentum, præsertim patris, v. 4.

3^m Punct. Necessitudo inter servos et dominos, v. 5-9.

1° Officia servorum, v. 8.

2° Officia dominorum, v. 9.

§ 4. *Quibus armis ineunda sit pugna spiritualis.*

VI, 10-24.

10 * De cetero fratres confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.

10 Quod superest [fratres], confortamini in Christo, i. e. per magnam ejus potentiam vobis communicatam, ut strenue pugnetis contra animæ hostes.

10. Post monitiones illas circa peculiares status, redit ad generalem adhortationem, omnesque excitat ut adversus hostes animæ strenue pugnent. In potentia virtutis ejus : pleonasmus, quo, more Hebræorum, emphasis significatur. Miles ante omnia debet esse robustus; nam parum

11 * Induite vos armaturam Dei,
ut possitis stare adversus insi-
12 dias diaboli. * Quoniam non est
nobis colluctatio adversus car-
nem et sanguinem : sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tene-

[11] Induite omnia arma ad pugnam requisita, tam ad nocendum, quam ad tegendum; sed talia quæ a Deo veniant, ut diaboli tentationibus resistere valeatis. [12] Diaboli, inquam, nam oportet ut pugnemus, non adversus homines quosvis, qui, quantumvis videantur potentes, ex natura tamen sua infirmi sunt; sed adversus potentissimos quosdam tyrannos, qui in mundum hunc per peccatum originale inquinatum suam

prodessent arma sine corporis viribus; robur autem militis christiani a Deo, sine cujus gratia nihil fieri potest in re salutis, veniat oportet.

11. Dei protectio, et robur animi quod inde oritur, non sufficiunt; nam si quis inermis iret ad bellum, quantumvis rex protegeret eum, quantæcumque essent vires ejus, periculum non evaderet : ideo nunc *arma* describuntur.

ARMATURAM : πανοπλιαν, *integram armaturam*, hoc est, quidquid ad militem armandum pertinet, tum ad defendendum se, quum ad hostem feriendum. — INSIDIAS : μεθοδειας, occultas et fraudulentas machinationes, pravas tentationes. Notat s. Chrys. non dici *pugnas* aut *bella*, quia non aperte, sed ex *insidiis* nos aggreditur inimicus.

12. Quo potentiores et callidiores sunt hostes, eo magis necessaria sunt arma, eoque diligentius oportet se ad bellum præparare : hanc ob causam Apostolus jam hostes nostros describit. NON... ADVERSUS CARNEM ET SANGUINEM. Dictio *caro et sanguis* non significat hic *propriam concupiscentiam peccaminosam;* sed *homines* generatim, adjuncta notione infirmitatis. Cf. Gal. I, 16. Verum quidem est adversus homines aliquando pugnandum esse, sed eatenus tantum quatenus sunt diaboli instrumenta : " Vasa sunt, alius utitur; organa sunt, alius tangit (s. Aug., serm. 67, al. De verbo Dom. 8, 4). "

PRINCIPES ET POTESTATES. Hæc denominatio, quæ supra I, 21 designat bonos angelos, hic dæmones indicat, ut contextus docet. MUNDI RECTORES, κοσμοκρατορες, quod opponitur voci παντοκρατωρ, *omnipotens* (Flandr. *Albeheerscher*). Dæmones autem vocantur *mundi rectores*, quatenus intelligitur mundus malus, peccato originali depravatus, et sub tyrannide diaboli redactus; mundus ille de quo 1 Joan. V, 19 : *Mundus*, ait, *totus in maligno positus est.* Et Joan. XV, 19 : *De mundo non estis, sed ego* (ait Christus) *elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* — TENEBRARUM HARUM etc.

brarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.

13 * Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere

exercent vim et dominationem; nimirum, adversus spiritus nequam, qui in hoc aere, tamquam præcipuo loco unde in terram sæviunt, habitant. [13] Quum igitur contra hujusmodi adversarios vobis sit militia, accipite eam armaturam completam, quam Deus sua gratia vobis subministrat, ut possitis resistere

" Ne male intelligas, exponit quid sit *mundus* cujus sunt illi rectores " (s. Aug. ib. 5). " — Idem, tract. in Ps. 54 (cit. in Brev. Rom. in Cœna Dom.): " *Mundi* dixit, tenebrarum harum; *mundi* dixit, amatorum mundi; " *mundi* dixit, impiorum et iniquorum. " Igitur *tenebræ* vocatur mundus malignus, vel quia tenebris (sensu figurato) ignorantiæ et malitiæ est circumdatus; quo sensu, supra cap. V, 8, ethnico-christianis dixit Apostolus: *Eratis aliquando tenebræ;* vel quia per *has tenebras* quemadmodum (juxta quorumdam sententiam) cap. II, 2 per *aerem hunc* intelligit terram nostram sublunarem, quam veteres putabant infimam universi mundi partem, a regione superiori, quæ lucis est, remotam, adeoque ex natura sua opacam et tenebrosam.

Spiritualia, *τα πνευματικα*, plur. collectivus abstr. pro concr. *spiritus*, quemadmodum *το ιππικον*, equites (Gall. *la cavalerie*). Itaque spiritualia nequitiæ, idem est ac *spiritus nequam*, sed majorem emphasim habet, ut notat s. Thom., *spiritus nequissimi*.

In cœlestibus. Arbitraria prorsus est sententia quorumdam, qui explicant *in cœlestibus* per *pro* (*εν* pro *ὑπερ*) *cœlestibus*, vel *propter cœlestia*, et referunt ad *nobis colluctatio est.* Oportet igitur *in cœlestibus* referre ad *spiritualia nequitiæ*, et sumere præp. *in* secundum ordinariam suam significationem localem. Spiritus autem nequam dicuntur esse *in cœlestibus*, i. e. in hoc cœlo aereo, tamquam in loco unde exercent suam in mundum tyrannidem, hominesque subjacentes circumquaque persequuntur: eodem proinde sensu, quo juxta sententiam s. Thomæ supra II, 2 vocantur *principes aeris hujus.*

13. Postquam hostes descripsit, contra quos pugnandum sit, repetit nunc exhortationem v. 11 inceptam. — In die malo. Non significat universum vitæ tempus, ut putat s. Chrys., nec diem mortis aut judicii, sed horam peculiaris tentationis. — *Resistere* indicat partem certaminis negativam, et quæ sequuntur *omnibus devictis stare* partem ejus positivam designant.

in die malo, et in omnibus perfecti stare.

14 * State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti

in die periculosioris certaminis (seu majoris tentationis), et stare triumphantes, postquam omnia adversariorum conamina debellaveritis.

[14] State ergo parati ad pugnam, lumbos vestros stringentes et per cingulum roborantes : intelligo in re salutis servandam esse ante omnia veritatem et sinceritatem ; deinde loricam

In omnibus perfecti. Forsitan hæc referunt lectionem codicis A : *ἀπαντα κατεργασμενοι*. Sed vera lectio est : *κατεργασαμενοι* (in aoristo), quod s. Hier. vertit : *omnia operati stare*. Sensus est : ut, postquam omnia viceritis seu debellaveritis, possitis *stare*, sc. triumphantes. Apposite s. Chrys. : " Qui rei militaris sunt periti, sciunt quanta sit *standi* peritia. " Notum est illud dictum gall. *L'armée qui couche sur le champ de bataille est réputée victorieuse.*

14. Omnia jam militis christiani arma per partes describit, figura desumpta a milite Romano, quem Apostolus, qui tunc temporis Romæ detinebatur, quotidie coram oculis habebat. Primum enumerat arma quæ ad sui defensionem inserviunt; deinde, quod spectat ad arma quibus hostis feriendus erat, unum tantum indicat gladium, armorum sane præcipuum in veterum militia. Alia, ut telum etc., non memorat, ideo forsitan quod in bello spirituali magis agatur de resistendo quam de aggrediendo : vincitur dæmon eo ipso quod nocere nequeat.

Succincti lumbos. Miles Romanus primo cingulum sumebat satis latum, quod ferrea lamina stanno illita munitum erat ; eo fine ut, lumbos stringendo, firmitudinem huic corporis parti, ceteris debiliori, tribueret; utque eamdem partem, quæ a lorica non protecta, adeoque hostium ictibus exposita erat, tueretur. — Veritas, quæ per cinctorium designatur, est verborum sinceritas in omni conversatione et consuetudine cum proximo. Ita s. Chrys. : " Ergo nullum diligamus " mendacium; res omnes tractemus in veritate. " Cf. supra cap. IV, 25. Respicit enim Apostolus ad Isaiam XI, 5 : *Erit justitia cingulum lumborum ejus : et fides* (apud 70 interpr. *veritas*) *cinctorium renum ejus*. Maxima sane præsto est firmitudo in veritate, maxima quoque tuitio adversus illum qui antonomastice *Mendacii pater* vocatur.

Loricam. Pectus militis tegebatur, vel *thorace* (quæ ænea erat), vel *lorica* (e corio facta). — Justitiæ. Genit. appositionis : thorax est justitia. Videtur autem intelligi *justitia* in operibus, seu generatim vir-

15 loricam justitiæ, * et calceati
pedes in præparatione Evangelii
16 pacis : * in omnibus sumentes
scutum fidei, in quo possitis

induite, sc. sitis semper justi erga proximum; [15] porro pedes calceate, videlicet estote alacri animo, ex pace illa vera quam dat Evangelium. [16] Præter hæc omnia, sumite scutum quo omnes maligni (dæmonis) sagittas

tutes omnes quas exercet ille, qui erga Deum, erga proximum et erga seipsum facit quod facere debet. " Lorica justitiæ, ait s. Chrys., est " catholica et virtute prædita vita. " Justus enim, in tota vocis latitudine, est ille solus qui omnia sua peragit officia, tum religiosa, tum civilia, tum moralia. Sibi igitur concinit Apostolus, quando 1 Thess. V, 8, *fidem et charitatem* simul sumptas vocat christianorum *loricam*. De cetero videtur respicere ad Is. LIX, 17: *Indutus est justitia ut lorica.*

15. In præparatione, non, ut in quibusdam editionibus, *in præparationem*. Hoc autem parallelum est cum *in veritate*, v. 14, et sign. illam *præparationem*, seu potius, juxta græcum ετοιμασια (fl. *bereidwilligheid*), illam animi *alacritatem*, esse quasi calceos sive caligas spirituales. Milites non *sandaliis*, quæ plantam pedis tantum, sed *caligis* vel *ocreis*, quæ pedem totum et tibiam obtegebant, quæque gressum reddebant firmum et expeditum, utebantur. Qui nudipes est, timide et pedetentim incedit, ne pedem alicubi offendat. Notum est quanti momenti sit ut milites in bello bene calceatos habeant pedes: unde Homerus Græcos ευκνημιδας Αχαιους vocare solet. Quis non recogitet infortunium istorum militum Gallorum, qui, in bello Franco-Germanico a. 1870, utebantur ocreis e charta spissiore confectis ?

Evangelii pacis. Potest dupliciter intelligi : alacritas ad Evangelium pacis annuntiandum; vel alacritas quæ ex Evangelio pacis oritur. Ultimum sensum secuti sumus in paraphrasi. Animæ pax, quam efficit Evangelium, reddit hominem in Dei servitio alacrem, ad viam salutis percurrendam expeditum, paratum ad calcandos tribulos et spinas hujusce lacrymarum vallis. Nota in medio *bello pacem* cordis haberi posse, imo vero nonnisi per *pugnam* obtineri *pacem*. De cetero, sancta illa alacritas animi nihil aliud est quam *spiritus fervoris*, qui nos impellit ad *perfectionem* et indefessum in via sanctitatis *progressum*, ut perficiamus quod jubetur Rom. XII, 11 : *Spiritu ferventes, Domino servientes.*

16. In omnibus : επι (cum codd. ADEFGKL, non εν quod est in cod. B) πασιν, *super hæc omnia, præter hæc omnia*, sumite adhuc etc.

Scutum a *clypeo*, qui minor est, omnino discerni debet. Fidei. Quem-

omnia tela nequissimi ignea
17 extinguere : * et galeam salutis
assumite : et gladium spiritus
(quod est verbum Dei)

igneas repellere et extinguere possitis : fidem dico qua, si magna sit, omnes tentationes etiam carnales superamus. [17] Galeam etiam sumite, sc. salutis spem, qua caput in cœlum erectum tenemus ; necnon et gladium, puta illum quem præbet Spiritus sanctus, nimirum Scripturam sacram.

admodum scutum totum tegit corpus, ab eoque omnia hostium tela avertit, sic fides, quatenus radix est spei et charitatis, adeoque quatenus cum duabus aliis virtutibus theologicis conjungitur, militem christianum adversus dæmonum tentationes maxime tuetur. Quid sancti per fidem fecerint, præclarissimo modo describitur Hebr. XI. Quare etiam 1 Joan. V, 4 legitur : *Hœc est victoria, quœ vincit mundum, fides nostra.*

Nequissimi : του πονηρου, *mali* vel *maligni*, sc. κατ' εξοχην (gall. *le méchant par excellence*), i. e. diaboli, de quo in oratione Dominica : *Libera nos a malo.*

Ignea : τα πεπυρωμενα, *ignita* tela, seu *falaricas, malleolos*, i. e. sagittas, in quarum alveis ignis cum aliquo alimento latebat, et quæ, si hæsissent usquam tenaciter, cremabant. Ut autem scuta lignea, quæ illa suscipiebant, non arderent, operiebantur corio, quo ignis exstinguebatur. Per *tela ignea* intelligimus subitas et violentas contra castitatem tentationes, quas oportet præsertim per fidem superare, quippe quæ apta sit tremendas divinæ ultionis pœnas et infinitas Dei remunerationes nobis vividissime coram oculis ponere.

17. Galeam salutis : rursum recordatio Isaiæ LIX, 17 : *galea salutis in capite ejus.* Jam vero *salus*, seu, quod clarius dicitur 1 Thess. V, 8, *salutis spes*, caput nostrum, a quo principium est actionum, illæsum servat et erectum, sine timore hostium, mediis in periculis et oppugnationibus.

Gladium etc. : hucusque de armis *defensivis* (sit venia verbo), nunc autem de *offensivis.* — Verbum Dei, i. e. Scriptura sacra. In tentationibus nihil magis juvat quam sententias quasdam divinarum litterarum mente volvere, et, per modum *orationis jaculatoriœ* ore proferre, quemadmodum et Christus fecit, quando in deserto a diabolo tentatus fuit. Cf. Matth. IV, 3-10. Hoc gladio usi sunt sancti omnes, ut de s. Paula memorat s. Hier. in epist. pulcherrima ad Eustoch., in qua tradit

* per omnem orationem, et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis : * et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum

[18] Præter arma, etiam robur acquirere studete, robur divinum seu Dei gratiam. In hunc finem, orationes et obsecrationes omnis generis, cum interna attentione et devotione, assidue Deo offertote; et ut hoc faciatis, estote vigilantes in omnimoda oratione, in eaque perseverate. Non tantum pro vobis ipsis precamini, sed pro omnibus christianis, [19] etiam pro me, ut mihi fausta detur occasio Evangelium ejusque

epitaphium s. Paulæ, n. 18. Multum commendo sacerdotibus ut eam totam hic legant. Discamus igitur et nos, frequenti exercitatione, illum tractare gladium, ejusque usum fideles diligenter doceamus.

18. Miles christianus, quantumvis sit armatus, felicem pugnæ eventum exspectare non poterit, nisi per assiduas et ferventes preces continuum divinæ gratiæ auxilium imploret. Secus enim non erit *confortatus in Domino et in potentia virtutis ejus*, v. 10. Oratio enim est *cibus*, quo anima nutritur eique vires suffunduntur maximæ. In bello spirituali Deus solus dat victoriam : cujus rei typus fuit quod legitur Ex. XVII, 11 : *Cumque levaret Moses manus* (ad Deum supplices), *vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.*

Dotes sanctæ precationis hic ab Apostolo indicatas, enumeramus infra, in Analysi. Fuse diximus de precatione in Comm. nostro s. Matth. (3ª ed. 1880-1882) ad cap. VII, 7 sqq. Videsis etiam Comm. nostr. in Epist. Cath. (2ª ed. 1887) ad cap. V, 16 sqq. epist. s. Jacobi.

Omni tempore, quod et docuit Christus Salvator, Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* Jam vero semper orat, qui omnia opera ad Deum refert : " Qui bene semper agit, hic semper orat (s. Bas., Hom. in " Julittam Mart.). " — In Spiritu, non sola voce, aut labiis tantum, sed interna animi attentione, et devoto cordis affectu. Cf. Matth. XV, 8, ubi Christus allegat verba Isaiæ: *Hic populus labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me.*

Vigilantes. Græce est *αγρυπνειν* (*α* priv. et *ὕπνος* somnus), vigilare, esse vigilem, sui perfectissime conscium esse; quod requiritur ad devotam orationem. Quare et Christus apud Matth. XXVI, 41 : *Vigilate*, inquit, *et orate, ut non intretis in tentationem.* Instantia : *προσκαρτερησις*, *perseverantia.*

19. Velim ut in Vulgata sit virgula post *oris mei*, non autem post *fiducia.*

fiducia, notum facere mysterium
20 Evangelii : * pro quo legatione
fungor in catena, ita ut in ipso
audeam, prout oportet me, loqui.
21 * Ut autem et vos sciatis quæ
circa me sunt, quid agam : omnia
vobis nota faciet Tychicus, cha-
rissimus frater, et fidelis mini-
22 ster in Domino : * quem misi ad
vos in hoc ipsum, ut cognoscatis
quæ circa nos sunt, et consoletur
corda vestra.

mysteria palam et intrepide hominibus annuntiandi. [20] Horum autem mysteriorum nuntius sum a Christo delegatus ; sed in vinculis jaceo, quum tamquam legatus deberem esse inviolabilis. Orate ut in Evangelii prædicatione audacter et libere agam, prout oportet ut faciam.

[21] Ut autem vos etiam, sicut Colossenses, ad quos paulō ante scripsi, sciatis quæ ad me pertinent, quidve agam, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater in fide, imo et fidelis Christi minister. [22] Eum enim in hunc finem ad vos misi, ut ab eo discatis quomodo res meæ se habeant, utque simul ipse consoletur corda vestra mei causa afflicta.

20. In catena. Pulchram quamdam antithesim exhibet hoc additamentum. Nam *legatus* et *incarceratus* sibi invicem opponuntur, adeo ut jure gentium se mutuo excludant. Persona legati tamquam sacra et inviolabilis apud veteres omnes semper habita est. Et hoc de legatis regum hujus terræ : quid ergo dicendum de legato Dei, regum regis !

Ita, non pertinet ad genuinam Pauli scripturam. Sensus juxta Vulgatam ejusque interpunctionem est : in catena sum, quod probat me in re evangelica loqui audere, prout oportet me loqui. Verum verba græca ita sunt intelligenda : orate ut in hoc (sc. in *notum facere mysterium Evangelii*) *audeam*, i. e. audacter et libere agam, prout oportet ut loquar, ut prædicem Evangelium. Repetitur et explicatur quod statim dictum fuit *cum fiducia*.

Igitur duo pro se exoptat Apostolus : 1° ut detur sibi *sermo in apertione oris sui*, i. e. ut detur sibi fausta occasio prædicandi Evangelium (hic sensus eruitur ex Col. IV, 3 *Orantes pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium sermonis* etc.); 2° ut gratiam habeat prædicandi audacter et intrepide.

21. Et vos, si conferatur cum Col. IV, 8 et 9, significare videtur : ut vos, sicut Colossenses, sciatis etc. Inde concludi potest Apostolum post epistolam ad Colossenses Ephesiis scripsisse.

23 * Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo.
24 * Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

[23] Pax, et charitas fidei conjuncta, a Deo Patre et a Domino Jesu Christo christianis tribuantur.
[24] Gratia sit cum iis omnibus, qui, sancta vitæ castimonia præditi, Dominum nostrum Jesum Christum diligunt! Fiat!

Analysis cap. VI, 10-24.

Ad finem epistolæ, pugna spiritualis, quam adversus salutis hostes sustinere debet miles christianus, præclare describitur: v. 10-18.

Hostes quinam sint: quam potentes, quam callidi! v. 12.

Ad eos devincendos, tria requiruntur:

1° Ut robusti simus, v. 10. Sed hoc non sufficit; nam fortissimus miles armis destitutus facile superatur; adeoque oportet

2° Ut debite simus armati, et quidem

a/ Armis a Deo subministratis, v. 11 et 13;

b/ Et non quibusdam tantum armis, sed omnibus, tum ad defensionem, quum ad oppugnationem, seu armatura completa, v. 11. Hæc autem per partes singulas describitur, v. 14-17:

a/ Arma *defensiva* sunt: cingulum, sc. veritas; lorica, sc. justitia; caligæ, sc. alacritas et pax; scutum, sc. fides: galea, sc. spes salutis.

23. In *pace, fide, charitate,* et *gratia,* consistit universa christianorum vita. Radix est *gratia*; *fides* autem cum *charitate,* seu fides per charitatem operans, est quasi truncus arboris sanctæ; *pax* vero flos est suavissimus fructusque pretiosissimus.

24. IN INCORRUPTIONE: εν αφθαρσιᾳ, probabilius referri debet ad *diligunt;* potestque dupliciter explicari: pure et sancte, cum vitæ castimonia, et absque libidinis corruptelis; vel, quod censent Bisp. et Beel., in perpetuum, cum perseverantia, amore numquam extinguendo.

b/ Arma *offensiva*, inter quæ maxime necessarius est gladius, sc. Scriptura sacra.

Verum ut robur adsit, utque armatura illa completa recte uti valeamus, requiritur

3° Ut per orationem debitis stipatam conditionibus Dei auxilium impetremus, v. 18.

Sequentes conditiones seu dotes orationis indicat Apostolus, v. 18 :

1° Oratio sit multiplex, seu omnis generis : *per omnem* etc.

2° Assidua : *omni tempore.*

3° Attenta et devota : *in spiritu.*

4° Vigilans (*vigilantes*),

5° Perseverans (*in omni instantia*),

6° Universalis, seu *pro omnibus sanctis.*

Finis epistolæ : familiaria quædam. Ephesiorum orationibus se commendat, v. 19 et 20. Nuntios de rebus ejus dabit Tychicus, v. 21 et 22. Apprecatio apostolica, v. 23 et 24.

EPISTOLA

AD PHILIPPENSES.

Charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu. Phil. I, 9.

INTRODUCTIO.

§ 1. De Philippensium Ecclesia.

Urbs Philippi, ad cujus incolas christianos scripta est hæc epistola, civitas erat munita Macedoniæ, in finibus Thraciæ, et haud procul a Neapoli, quæ erat portus maris Ægæi, sita. Octavius, postea dictus Augustus, eam *jure italico* donavit eique privilegia *coloniæ Romanæ* contulit : cf. Act. Ap. XVI, 12, ubi hoc titulo urbs insignitur.

In hac autem urbe s. Paulus ecclesiam christianam fundavit, quæ prima fuit earum omnium quas ipse in Europa constituit. Illud factum est in secundo itinere apostolico : Act. Ap. XVI, 9-40. Quamvis autem pauco tempore ibi morari potuerit, plurimos tamen ad fidem convertit; quorum numerus deinde, opera Lucæ et Timothei, qui Philippis remansisse videntur, auctus fuit.

Novelli christiani suæ indicium charitatis mox dederunt, quando ad Paulum, qui Thessalonicam abierat, subsidia miserunt pecunia-

ria (Phil. IV, 15 et 16), quod pluries deinceps fecerunt : 2 Cor. XI, 9.

Post aliquot annos, eos bis revisit Paulus, in tertio itinere Evangelico, primum quando per Macedoniam transiit, Act. XX, 1 (cf. Comm. nostr. in Act. Ap., 4ª ed.), et iterum ferme tres menses postea, quando Corintho Jerosolymam regressus est : Act. Ap. XX, 6. Cum autem in Judææ metropolim pervenisset, mox in vincula conjectus, Cæsaream et deinde Romam abductus est. His auditis Philippenses, commiseratione amoris plena commoti, Epaphroditum, virum christianum valde præclarum (II, 29), fidei præconem et Pauli commilitonem (II, 25), Philippensibus charissimum (II, 28), forsitan eorum episcopum, cum pecuniario subsidio ad eum ablegaverunt. Illius autem reditus occasionem dedit huic epistolæ scribendæ. Jam vero, ex præclaris laudibus, quæ in ea Philippensibus tribuuntur, certo colligitur illorum ecclesiam tunc temporis fide et charitate in Christo maximopere floruisse.

§ 2. Finis scribentis et argumentum epistolæ.

Finis, quem Apostolus in scribendo sibi proposuit, quadruplex fuisse videtur : 1° Philippensibus animum gratum beneficiique memorem exhibere; 2° hac opportunitate, eos in sancto Dei servitio confirmare, et ad novum excitare fervorem ; 3° eos contra pseudo-doctores judaizantes monere; ac tandem 4° quorumdam superbiam, indeque natam discordiam, corrigere et sanare.

Argumentum generale epistolæ *morale* seu *parœneticum* (exhortatorium) est, ut patet ex iis quæ de fine scribentis statim dicebam.

Præmissa solita salutatione, v. 1 et 2, s. Paulus in testimonium grati animi sui erga eos affirmat se pro eis orare eosque vere diligere, v. 3-11. Deinde eis nota facit quæ ad suam spectant personam; nempe vincula sua Evangelio profuisse, v. 12-24, et spem sibi affulgere proximæ liberationis, qua utetur ad eos invisendos, v. 25 et 26.

Tum inchoat primarium epistolæ argumentum, eosque ad charitatem fraternam et concordiam, humilitate nixam, proposito Jesu Christi humilitatis exemplo, adhortatur; atque etiam ad vitam christianam generatim admonet : I, 27-II, 16.

Sequuntur quidam nuntii, præsertim de Timotheo et Epaphrodito, quos commendat Apostolus, v. 17-30.

Post hæc, eos adversus Judaizantium errores pravosque mores præmunit, et, quoniam isti suam auctoritatem minuebant, sui apologiam facit, suamque vivendi rationem talem esse ostendit, quæ Philippensium imitationi proponi possit. III, 1-IV, 1.

Tandem, peculiari modo duas mulieres ad concordiam, v. 2 et 3, et generaliter omnes ad varias virtutes exhortatus, v. 4-9, gratias eis pro liberalitate agit, v. 10-18. Vota pro more adjungit et salutationes, v. 19-23.

§ 3. Epistolæ divisio.

Hæc autem omnia in quatuor paragraphos distribui possunt.

§ 1. Apostolus amorem suum erga Philippenses testatur, nuntiosque tradit personales. I, 1-26.

§ 2. Monita, præsertim ad concordiam, nuntiique de Timotheo et Epaphrodito. I, 27-II, 30.

§ 3. Contra judaizantes monet eos, et se ipse defendit. III, 1-IV, 1.

§ 4. Monita particularia et generalia. Gratiarum actio, vota et salutationes. IV, 2-23.

Videsis tabulam synopticam in fine hujus introductionis.

§ 4. Authentia.

Nemo umquam, ante exortam nostra ætate malesanam Germanorum quorumdam criticam, hujus epistolæ authentiam in dubium vocavit; quippe quæ invictis nitatur argumentis, tum externis, ex antiquissimæ traditionis testimoniis, tum internis, ex argumento

et scribendi ratione desumptis; nihil enim in stylo, sententiis, animique affectibus occurrit, quod non sit vere Paulinum.

Objicit Baur (in opere *Paulus der Apost. J. C.* 2ª ed. 1867), rationalistarum audacissimus, quædam Gnosticorum placita in hac epistola reperiri, et proinde eam Paulo, qui Gnosticismi ætatem præcessit, tribui non posse. Tria præsertim allegat loca : 1° cap. II, 6, ubi, juxta Bauri versionem, dicitur de Christo : Quamquam erat Deus, non tamen putavit rapiendam sibi esse æqualitatem cum Deo. Atqui, ait iste, hoc insulsum est, et similitudinem habet cum Gnosticorum doctrina, illa nimirum : *Sapientiam* præsumpsisse unum fieri cum *Patre perfecto*, ideoque in *vacuum* delapsam fuisse. 2° Ib. v. 7 : *In similitudinem hominum factus* (Christus) *et habitu inventus ut homo*. Contendit Baur, inde sequi Christum non fuisse hominem verum, sed specie tantum; quæ sententia Docetismo Gnosticorum consentanea est. 3° Ib. v. 10, asseritur Christo subjici cœlestia, terrestria et inferna : hæc, opinatur iste, placita rursum Gnosticorum redolent.

Respondemus breviter ad tres illas objectiones simul sumptas : 1° similitudinem illam cum Gnosticismo falsa verborum niti interpretatione : vide infra suo loco explicationem illorum textuum. 2° Similia habet Paulus in aliis epistolis, quas ipsemet Baur pro genuinis agnoscit. 3° Gnosticismi exordia Apostolorum tempora attingunt, teste s. Irenæo, qui Gnosticismi originem ad Simonem Magum refert.

Pauca sufficiant hæc; qui plura desiderat, consulat præclarissimum commentarium interpretis numquam satis laudati, Ill. et Doctiss. Beelen. Addamus vel ipsummet Renan rationalistam et apostatam fateri (in libro *s. Paul*, 1859) difficultates illas inanes esse, atque indubiam esse epistolæ authentiam.

Fuerunt qui, quamvis epistolam Paulo adscriberent, putarent formam, quam nunc habet in nostris Bibliis, non esse authenticam; sed duas epistolas per negligentiam in unam fuisse conflatas. Censent igitur litteras universo Philippensium cœtui scriptas, nonnisi duobus prioribus nostræ epistolæ capitibus constare;

in duobus autem ultimis aliud agnoscendum esse epistolium, ad certos quosdam Pauli familiares, vel ad solos episcopos et diaconos datum. Verum conjectura est, quæ, quum gratis asseratur, gratis etiam negari possit. S. Polycarpus quidem videtur innuere plures epistolas a s. Paulo ad Philippenses scriptas fuisse : sed inde minime concludendum esset nostram in duas esse separandam; possumus enim admittere alteram epistolam, quæ ante hanc missa fuerit, interiisse, ut nonnulli interpretes colligunt ex III, 1 : *Eadem vobis scribere* etc. Nihil autem hujusmodi opinioni a priori obstat, ut monuimus in Intr. gen. ad ep. Paul. § 2 ; contra, inde firmius refelluntur qui docent Scripturam sacram unicam esse fidei regulam, fontemque divinæ revelationis unicum.

§ 5. De loco et tempore scriptionis.

Romæ scriptam fuisse epistolam, habemus ex IV, 22 : *Salutant vos... qui de Cæsaris domo sunt ;* deinde etiam ex I, 13, ubi de *Prætorio* mentio fit ; tandem, quæ dicit Paulus cap. I, 12 sqq. de sui conditione carceris, plane conveniunt cum iis quæ leguntur in Act. Ap. XXVIII, 16, 30, 31. Adde hanc de loco scriptionis sententiam inter antiquos unanimem esse.

Quod autem spectat ad tempus, in primis vinculis Romanis exarata est. Namque Apostolus I, 25 spem enuntiat fore ut mox liberetur, nec est cur credamus eum hac in re deceptum fuisse ; quin imo verum dixisse innuitur 2 Tim. IV, 16, 17. Ceteroquin idem censent s. Chrys., Euseb. etc.

Quum tamen hic (II, 17 et I, 20) de sua liberatione non tam certus videatur quam in epist. ad Philem., v. 22, ubi petit sibi jam hospitium parari : conjicimus epistolam ad Phillippenses missam fuisse ante epistolam ad Philemonem ; adeoque etiam ante epist. ad Ephesios et ad Colossenses ; nam, ut dixi in Intr. ad ep. ad Eph., tres illæ ultimæ eodem tempore compositæ fuerunt. Rem autem propius determinare, valde difficile est, et minoris certe momenti.

§ 6. De stylo et meritis literariis.

Inter omnes Pauli epistolas hæc styli facilitate atque affectuum teneritudine præcipue eminet : amantissimum Apostoli cor sese totum pandit, omnesque legentes in admirationem et dilectionem trahit ; ubique spirat ineffabilem quamdam animi jucunditatem, mentis sinceritatem, et intimam scribendi familiaritatem. Illud autem perfectissime congruit iis quæ de statu istius Ecclesiæ, et de necessitudine quam cum eadem habuit s. Paulus, diximus supra § 1.

Metaphoras quasdam, peculiari elegantia exornatas, indicabimus.

I, 7 et 8. Pro eo quod dicat : impensissime vos diligo, *Vos*, ait, *in corde habeo*, imo vero, quod magis est, *cupio vos in visceribus Jesu Christi*.

I, 21. Ut significet se ad vitam et ad mortem esse æqualiter paratum : *Mihi*, inquit, *vivere Christus est* (quanta vis in illa dictione !) *et mori lucrum*..

I, 23. Mori, quid est ? Fremit natura humana, et respondere non audet. Sed s. Paulus quid censet ? Mori, inquit, nihil aliud est quam *Dissolvi* a vinculis *et esse cum Christo :* e carcere ad regnum educi, liberari ab omni miseria, et omni bono perfrui !

II, 7. Incarnatio Filii Dei vocatur *exinanitio*. Quid est homo ante Deum ? Quasi *nihilum*.

II, 15. Christiani, in medio gentilium, comparantur cum *luminariis*, quia lumen habent veritatis et sanctitatis, quod in eis a sole æterno et intelligibili, Deo, per divinam gratiam accenditur ; quodque, cum sui lenta consumptione, abnegantes seipsos et proximo impendentes, in alios sine intermissione et circumquaque diffundunt.

II, 17. Fidei prædicatio est sacrificium quoddam spirituale, Deo oblatum ; et, si accidat ut propter illud opus evangelicum quis occidatur, sanguis ejus est quasi *libamen* sacrificio superfusum.

II, 25. Adjutor in Evangelio, vocatur *commilito*. Operosa sane et periculosissima erat ea tempestate prædicationis militia !

III, 7 et 8. Quanta utitur verborum vi, ne dicam loquendi audacia, adeo quidem ut antiquarum ingenio linguarum fere excusanda videatur, quando prærogativas Judaicas in comparatione gratiarum, quas per Christum obtinuit, inutiles, imo vero potius nocivas prædicat : *Quæ fuerunt mihi lucra*, ait, *hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta ;* et non tantum nocivas, sed contemnendas, et tamquam sordes repellendas et respuendas : (ea) *arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam !*

III, 11-14. Suos ad salutem indefessos conatus pulcherrima allegoria depingit. *Currit* in *via* perfectionis ; *currit post Christum*, qui eum præcessit ; iter accelerat, ut Christum *assequatur* et *apprehendat*, aliis verbis, ut æternam beatitudinem, quæ in possessione Dei et Christi consistit, obtineat ; sed solus non currit, nam divina gratia *trahitur*, quasi manu ductus. Ne vana gloria tardet ejus celeritatem, numquam *quæ retro sunt respicit*, nec viam jam peractam metitur ; ab altera parte, ut longo et aspero non defatigetur itinere, arrecto extensoque capite constanter intuetur mercedem coram se positam, tamquam coronam illam quæ, in ludis publicis, cursorum oculis exponebatur super metam, quamque auferebat qui primus scopum attigerat.

III, 19. Gulosos, quasi inusto stigmate, omnium exponit contemptui, brevissima sed vigorosissima dictione : *Quorum deus venter est !* Ventrem nimis curant, eumque præ omnibus colunt, imo vero ei serviunt tamquam unico domino ; nec satis dictum fuit : ventrem, abjectissimam corporis humani partem, vix in honesta conversatione nominandam, ut divinitatem supremam adorant !

III, 20. Christianorum his in terris sanctitas, felicitas spiritualis, animi libertas et magnitudo, necnon eorum excellentia et dignitas, rebusque terrenis perfectissima exsuperantia : hæc omnia paucis nervose exprimuntur : *Conversatio nostra in cœlis est*, i. e. in hac lacrymarum valle, in terra nostra perversa, vivimus eodem

jam modo quo in cœlis quondam vivemus. Et quam profundissimæ hoc sit veritatis facile perspiciet, qui secum reputaverit *gratiam* esse *gloriæ semen*, adeoque statum gratiæ esse veram cœli inchoatam fruitionem; unde etiam dicere possumus, in sacra Eucharistiæ susceptione anticipatum cœlestis suavitatis gaudium nobis quodammodo conferri.

Cap. IV, 1, suos in Christo fidelissimos discipulos eleganter vocat *coronam suam*, quippe quorum conversio ad fidem et perseverantia sibi futura sit uberrima meritorum causa.

IV, 3. De iis, quos Deus ob egregia facta cœlesti gloria dignos habet, asseritur *eorum nomina esse in libro vitæ*.

IV, 13. Sublime quid invenitur in exclamatione, qua concludit ea quæ de fortunæ suæ vicissitudinibus scripsit : *Omnia possum in eo qui me confortat !* Nota artem constructionis, qua utitur in bellissima illa antithesi : quando dicit *Omnia possum !* videtur inani gloria superbire; sed quum addat, *In eo qui me confortat*, profundissimæ exhibet humilitatis indicium.

IV, 18 et 19. Jucundissime ludit in verbis, quum, post illa *repletus sum*, sc. bonis temporalibus, mox subjungat : *Deus autem* vicissim... *impleat omne desiderium vestrum, secundum divitias suas*, i. e. et ditissimos quidem vos faciat, sc. bonis spiritualibus.

IV, 18. Loquens de pecunia quam acceperat, eam non semel suo nomine designat (eo enim magis invisum est nomen, quo dulcior habetur res ipsa); sed vario circumscribit circuitu verborum, quorum venustissimus est : *Odor suavitatis, hostia accepta, placens Deo*. Et jure quidem merito eleemosyna sancta dici potest sacrificium Deo gratissimum; ideo præsertim quod oblatio pauperibus aut Dei ministris facta, censeatur ipsimet Christo consecrata : Matth. X, 40-42.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES.

Inscriptio et salutatio : I, 1 et 2.

Epistola fere tota est *moralis* seu *parænetica*.

- S. Paulus animum gratum beneficiique memorem eis exhibet : I, 3-11.
- Deinde nota facit quæ spectant ad suam personam : I, 12-25.
- Monet ad charitatem fraternam et concordiam, et proinde ad humilitatem juxta exemplum Christi : I, 27-II, 16.
- Commendantur Timotheus et Epaphroditus : II, 17-30.
- Contra Judaizantes Apostolus sui apologiam facit : III, 1-14.
- Philippenses adhortatur ut, suum imitantes exemplum, a pravis Judaizantium moribus abstineant : III, 15-IV, 1.
- Monitum duplex :
  - *Particulare*, ad duas mulieres, ut eas ad concordiam invitet : IV, 2, 3.
  - *Generale*, ad omnes, in quo gaudium, benignitatem, orationem, et vitam sanctam commendat : v. 4-9.
- Gratiarum actiones iterum refert pro pecunia accepta, v. 10-19.

Conclusio epistolæ.

- Doxologia, v. 20 ;
- Salutationes, v. 21 et 22 ;
- Gratiæ apprecatio, v. 23.

§ 1. *Amorem testatur, nuntiosque tradit personales.*

I, 1-26.

1 * Paulus, et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum episcopis, et diaconibus.

2 * Gratia vobis, et pax a Deo

[1] Ego Paulus et Timotheus, ambo ministri Jesu Christi in Evangelio prædicando, scribimus christianis omnibus qui sunt Philippis, eorumque clero universo.

[2] Gratia vobis et omne bonum salu-

1. Timotheum sibi adjungit, non ideo quod hic etiam auctor sit epistolæ, sed quod Philippensibus notus (Act. Ap. XVI), et brevi ad eos ablegandus sit (infra II, 19). — Servi J. C.: cf. annot. Rom. I, 1. Nullam autem aliam suæ auctoritatis aut dignitatis mentionem facit, quod tamen in plerisque epistolis solet; quia, ut videtur, illud Philippensibus, sibi devotissimis, nec necessarium nec utile reputabat. Idem factum est in utraque epist. ad Thess.

Cum episcopis et diaconibus. Scribit, non tantum fidelium communitati, sed etiam eorum rectoribus et superioribus, sacrisque ministris omnibus; aliis verbis, tum ad populum fidelem, quum ad universum clerum. Nomine *Episcoporum* intelliguntur quicumque, in cœtu christianorum Philippensium, simplicibus fidelibus erant præfecti; adeoque rectores quivis, sacerdotes et primi et secundi ordinis, seu, ut nunc vocantur, episcopi et presbyteri stricte dicti (ita s. Thom.). Videsis excurs. peculiar. quem de signific. scripturist. vocum *episcopi* et *presbyteri* conscripsimus ad Act. Ap. XX. 17 (4ª ed.), in Appendice Comm. nostri.

Diaconi, non sunt ministri laici, quibus cura tantum pauperum, ægrotorum peregrinorumque committebatur, ut contendunt Protestantes; sed intelliguntur ministri ecclesiastici, qui membra sunt hierarchiæ ecclesiasticæ. Hoc dedita opera demonstrare conatus sum in Dissert. speciali *De diaconis*, ad Act. Ap. VI: cf. 4ᵐ ed. comm. nostri, in Append. Sub voce autem *Diaconi* comprehendi solummodo diaconos stricte dictos, qui ordine sacro Diaconatus insigniti sunt, certo affirmari posse non putem; eo vel magis, quod in græco articulus ante subst. *diaconis* non adsit.

Quare hanc solam epistolam s. Paulus inscribit etiam clero? Respondet s. Chrys.: quia clerus ille eleemosynam, quam per Epaphroditum miserat, collegerat.

2. Cf. annot. Rom. I, 7.

Patre nostro, et Domino Jesu
Christo.
3 * Gratias ago Deo meo in
4 omni memoria vestri, * semper
in cunctis orationibus meis pro
omnibus vobis, cum gaudio de-
5 precationem faciens, * super
communicatione vestra in Evan-
gelio Christi a prima die usque
6 nunc. * Confidens hoc ipsum,
quia qui cœpit in vobis opus

tare a Deo patre nostro, et a Domino J. C. tribuantur.

3 4 Quotiescumque vestri pie recordor (semper autem, et in singulis orationibus meis, pro omnibus vobis gaudens deprecor), toties gratias ago Deo meo, 5 propter subsidia quæ mihi ad faciliorem Evangelii prædicationem, tam sæpe, ab initio conversionis vestræ usque ad præsentem diem, contulistis. 6 Et confido fore ut Deus, qui vos sua gratia ad opus bonum excitavit et adju-

3. Epist. ad Rom., binæ ad Cor., hæc ad Phil., ad Col., binæ ad Thess., 2ª ad Tim. et ad Philem., a gratiarum actione incipiunt omnes. De hac virtute plura notavi Eph. V, 20. — Objectum autem gratiarum actionis exprimitur v. 5, adeo ut verba *super communicatione* etc. jungenda sint cum *gratias ago:* quod ut melius pateat, verba interposita per parenthesim sejungit paraphrasis.

Vestri: ὑμων, genit. *objecti :* mea *de vobis* recordatio; non autem genit. *subj. :* recordatio *vestra* de me.

5. Super communicatione etc. Plerique interpretes latini, qui Vulgatæ soli, neglecto textu originali, attendunt, hunc sensum tradunt : gratias ago quia Evangelii participes facti estis, i. e. quia facti estis christiani. Sed obstat id quod sequitur : *A prima die usque nunc,* quæ verba non facile possunt cum v. 6 conjungi ; deinde non dicitur : *Super communicatione vestra Evangelii,* sed *ad Evangelium :* εις το ευαγγελιον : adeo ut Græcorum tenendus sit sensus : quia me adjuvistis in re evangelica promovenda, puta, quum pecuniaria mihi subsidia dederitis. — A prima die etc. Non autem semel id fecistis, sed pluries, et ab initio quidem conversionis vestræ. Cf. infra IV, 10 sqq.

6. Confidens : πεποιθως (part. perf. med.), quod hic moralem et fiducialem tantum indicat certitudinem (ut Hebr. VI, 9), non autem (sicut 2 Tim. I, 12, et Rom. XIV, 14) eam certitudinem quæ fallere nequeat ; quare hic vertit Vulgata *confidere,* quum alibi (loco indic. ad Tim.) idem verbum reddat per *certo scire.* — Qui cœpit etc. Intelligitur Deus, non autem primarius nescio quem Philippensium, qui primus se ad fidem convertisset. — Opus bonum. Quamvis cogitet Apostolus illam pecuniæ collationem, græce tamen non adest art. (Flandr. *een goed werk*), quia illud *opus bonum* est simul

bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.

7 * Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis : eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione,

vit, id facere pergat, usque ad finem vitæ vestræ.

[7] Æquum est ut sperem vos omnes in bono perseveraturos esse, quoniam impense vos diligo; vos, inquam, qui participetis omnes gratiam quam accepi patiendi pro Christo, necnon et merita

regimen verbi *perficiet,* quod restringi non potest ad opus aliquod bonum particulare.

Perficiet. Gratiæ soli tribuitur perseverantia, etsi ad hanc requiratur etiam liberi arbitrii concursus (*esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam gloriæ,* Apoc. II, 10); ideo certe quod primas partes teneat Dei gratia. Sensus igitur est : confido fore ut, quod per Dei gratiam incepistis, per eamdem perficiatis. Quantam inde nobis ingeritur solatium ! " In Dei " auxilio, ait Trid., sess. 6, cap. 13, firmissimam spem collocare et reponere " omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit " opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. "

Ex hoc v. 6 etiam colligitur gratiam requiri, non tantum ad singula opera bona, sed etiam ad finalem in bonis operibus perseverantiam. Hoc demonstravi 1 Cor. I, 8. — De necessitate autem perseverantiæ vide Hebr. III, 14 annot.; et Comm. nostr. in s. Matth. q. 324 (3ª edit.). Adde s. Bern. (ep. ad Januen.): " Perseverantia, ait, virtutum consummatio " est..., propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam ; nec obsequium " mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. "

Dies J. C., dies adventus Jesu Christi (1 Cor. I, 8), puta secundi adventus, ad judicium. Quum autem 2 Thess. II, 2, moneat non tremendum esse *quasi instet dies Domini,* minimeque admitti possit s. Paulum ex errore putasse proximum tunc fuisse mundi finem (cf. not. ad 1 Cor. X, 11), ideo agnoscere oportet hujusmodi dictionem *Dies Domini* indicare tempus quo quisque moriturus sit et a Christo judicandus. Cf. ann. 1 Thess. V, 2.

7. Justum. Rationi, seu rei naturæ consentaneum est, ut bonam habeamus opinionem de iis quos diligimus : 1 Cor. XIII, 7, *Charitas.... omnia sperat.* — Sentire : φρονειν, de cordis affectu, potius quam de intellectus judicio, hic dicitur.

Et in vinculis meis, non ad præcedentia refertur, quasi diceret : Diligo vos semper, etiam in vinculis meis, seu mediis in tribulationibus meis ; sed ad sequentia : *Socios vos esse gratiæ meæ,* sc. quam habeam in vinculis meis.

et confirmatione Evangelii, socios gaudii mei omnes vos esse.
8 * Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in
9 visceribus Jesu Christi. * Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia,

quæ per Evangelii defensionem et demonstrationem obtinere possim.

[8] Juro enim per Deum, maximam mihi esse dilectionem erga vos omnes, et talem quidem qualis est in ipso Jesu Christo. [9] Et ex eo amore oro Deum, ut ad vestram charitatem major indies accedat scientia, et omnimoda prudentia

Quare autem Philippenses gratiam, quam acceperat Paulus patiendi pro Christo, participasse dicuntur? Quia ipsi etiam pro fide persecutiones passi fuerant (infra v. 29).

Et in defensione etc. Per pecuniæ subministrationem participant gratiam qua s. Paulus Evangelium prædicat et propugnat, adeoque etiam merita quæ inde sibi acquirit; nam, ut eruitur ex Matth. X, 40 sqq., quicumque ministris Evangelii sustentationem tribuunt, mercedis eorum participes fiunt.

Gaudii. Vulgatæ auctor in suo codice legit χαρας; sed probabilior est lectio χαριτος *gratiæ*. Magis perspicuus fuisset sensus, si Vulgata dixisset *quod... socii gaudii mei sitis vos omnes*, quemadmodum supra dixit *quod habeam*.

8. Confirmat, interposito jurejurando, quod modo dixit: *Habeo vos in corde*. — Quomodo: ὡς, sign. *quantopere* (ut Act. X, 28), et indicat *quantitatem* amoris. — In visceribus etc., amoris *qualitatem* notat. *Viscera* Hebræis sunt sedes affectuum. *In* localem suam notionem etiam hic obtinet: Apostolus vivit in Christo, cor ejus in Christi corde est inclusus, adeoque Christi sensa induit omnia; et proinde tali affectu discipulos suos diligit, quali Christus suos diligebat et nunc diligit; amor ejus non est naturalis aut humanus, sed supernaturalis et divinus: verbo, amor vere christianus, in sensu vocis eminentiore.

9. Supra v. 4 dixerat se pro eis semper orare, hic, v. 9-11, jam dicit quid petat; inde conjunctio *et* initio versiculi. — Charitas, non intelligitur s. Paulo exhibita, de qua v. 5 *super communicatione vestra*, sed charitas erga Deum, ex qua amor proximi et beneficentia profluunt.

Scientia, puta, cognitio theoretica. — Sensus, sc. cognitio practica, i. e. prudentia, judicium, discretio. Animadverte quid ante omnia et super omnia a Deo petat pro ipsis: in hoc enim reperitur primaria et fundamentalis materia hujus epistolæ: huc tendunt omnia quæ scribit Apostolus.

10 et in omni sensu : * ut probetis
potiora, ut sitis sinceri, et sine
11 offensa in diem Christi, * repleti
fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam et laudem Dei.
12 * Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt,
magis ad profectum venerunt
13 Evangelii : * ita ut vincula mea

in rebus fidei; [10] in eum finem ut agnoscatis ea quæ bona ac laude digna sint; utque per horum observantiam, vos ad diem judicii extremi præparantes, sitis vita integri et sine peccato, [11] imo vero bonis operibus, quæ justitiæ fructus sunt, per Christi gratiam repleti; quod quidem in gloriam et laudem Dei cedet.

[12] Nunc autem, fratres, quod attinet ad res meas, scire vos volo, ea quæ mihi acciderunt, rei evangelicæ profuisse potius quam obfuisse. [13] Nam per uni-

Ideo verba hæc in epigraphen elegi, et introductioni præposui, supra p. 85.

10 et 11. Ut probetis, *et* (supple) *perficiatis*, finis proximus; ut sitis... sine offensa in diem Christi, finis remotus; in gloriam... Dei, finis ultimus. — Ut probetis, et post probationem agnoscatis, et perficiatis, potiora seu præstantiora (τα διαφεροντα), i. e. quæ bona et sancta sunt. Nota non esse hic vim comparativi (cf. Rom. II, 18): ideo addit repleti fructu justitiæ. Inde concludimus contra Protestantes, solam fidem non sufficere : " Id est, ait s. Chrys., una cum dogmatibus vitam quoque rectam " habentes. "

12. Hactenus suam testatus est dilectionem, animumque gratum pro beneficio accepto exhibuit, quod dum fecit, aptum quoddam peritumque epistolæ exordium scripsit, in quo per modum insinuationis lectorum benevolentiam solerter captat. Nunc incipit Philippensium levare solicitudinem, qua timebant ne vincula Pauli, vel rei evangelicæ detrimentum, vel nimiam ipsimet Apostolo inferrent tristitiam. Autem : δε, transeuntis est particula. — Magis : alterum comparationis membrum reticetur : *magis ad profectum, quam ad detrimentum*. S. Aug., De civ. Dei 14, 27 : " Deus, inquit, non solum bonis, verum etiam malis bene uti novit. "

13. Explicat jam quo modo vincula sua profuerint : nimirum ex duplici eventu. — In Christo, tamquam talia quæ in Christo essent, seu tamquam vincula hominis in Christo viventis, hominis christiani. Sensus eodem recidit, si *in Christo* referamus ad *manifesta fierent*. Vult dicere : publice innotuit me in vincula conjectum fuisse, hanc solam ob causam, quod Christi religionem prædicarem; et proinde fama de nova illa religione

manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in ceteris om-
14 nibus ; * et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.
15 * Quidam quidem et propter invidiam, et contentionem : quidam autem et propter bonam

versa castra prætoriana, ceterisque omnibus Romæ incolis, innotuit me propter solam fidem christianam in vincula conjectum fuisse ; [14] et plerique ex christianis, propter vincula mea, per Dei gratiam animosiores effecti, magis audent Christum sine timore prædicare, quam ausi fuissent si nullam sustinuissem persecutionem.

[15] Verum quidem est a nonnullis ex invidia et studio contentionis Christum prædicari, sed sunt etiam qui ex benevolentia erga me idem faciant :

percrebuit. — Prætorium, non sign. imperatoris palatium, ut opinati sunt s. Chrys., Estius, Allioli ; nam illud, infra IV, 22, *Cæsaris domus* vocatur. *Prætorium* proprie est cohors militum cui custodia ipsius imperatoris commissa erat ; per metonymiam sign. castra horum militum : ita Winer acath. (in Bibl. RWB., *Richthaus*), Beel., Bisp., Drach etc. — In ceteris : nullus codex græcus habet istud *in*.

14. Plures : τους πλειονας, quod sign. *plerosque*, quia adest artic. — In Domino, non refero ad *fratribus* cum Estio, quia additamentum esset superfluum ; sed verbo *confidentes* jungo : per Dei gratiam animosiores facti. — Confidentes. Græce non est partic. præsens, sed præteritum; quare oportebat vertere : *confisi*, *freti*.

Abundantius, junge cum *auderent*, hoc sensu: magis audebant, quam ausi fuissent, si Paulus vincula non subiisset. Noli itaque *abundantius* referre ad *sine timore*, vel ad *loqui*. Animosiores fiebant, quia, nisi divina esset Pauli prædicatio, sane pro ea noluisset ipse vincula subire; præsertim ea non sustineret læto animo.

15. Quidam quidem... quidem autem. Falso putaret quis in duas classes distribui eos de quibus v. 14 dixerat : plerique e christianis majore cum audacia fidem prædicant. Sed bonos illos christianos, qui animosiores facti sunt, et qui ex benevolentia et charitate erga Paulum prædicabant, opponit aliis quibusdam christianis, puta, doctoribus Judæis, qui non erant quidem stricte Judaizantes, seu falsæ doctrinæ præcones (obstat enim v. 18), sed erant Apostolo infensi et vanæ gloriæ cupidi ; ideo, ex invidia et inimicitia adversus ipsum, Christum nuntiabant. — S. Hier. (ep. ad Eustoch. *Si cuncta*) : " Semper virtutes sequitur invidia, *feriuntque*

voluntatem Christum prædi-
16 cant : * quidam ex charitate : scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum.
17 * Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.
18 * Quid enim ? Dum omni modo, sive per occasionem, sive

[16] adeoque ex charitate, ut quod ego nunc peragere nequeam, ipsi suppleant, quum sciant me a Deo constitutum esse ad Evangelium prædicandum atque defendendum. [17] Alii autem, ut modo dicebam, ex contentionis studio Christum annuntiant et ex malo fine, quippe qui existiment mihi vincto afflictionem ita inferri.

[18] Sed quid inde ? An ideo falsum est quod asserui, vincula mea Evangelio profuisse ? Nequaquam, nam quovis fiat modo, sive ex falso prætextu et

" *summos Fulgura montes* (Hor.)... Dominus noster Pharisæorum zelo " est crucifixus, et omnes sancti æmulos habuerunt; in paradiso quo- " que serpens fuit, cujus invidia mors introivit in orbem terræ (Sap. " II, 24). " De *invidia* vide ann. Gal. V, 26. Plura exempla hujus vitii ex Scriptura indicavi in Comm. s. Matth. 3ª ed., q. 692, simulque pœnam ideo divinitus immissam annotavi. — *Bona voluntas* : *ευδοκια*, melius *benevolentia*, idem ac *charitas*, v. seq.

16. Ed. Complut. ordinem invertit duorum vers. 16 et 17, et verba quæ in Vulgata, v. 17, postponuntur, præponit hoc modo : *Quidam quidem ex contentione Christum annuntiant, non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis; quidam vero ex charitate, scientes quod in defensionem Evangelii positus sum.* Sed longe probabilior est Vulgatæ lectio, quippe quæ in codd. uncialib. ABD * (prima manu) EFG reperiatur.

17. Pressuram. Conantur gloriam sibi per prædicationem acquirere, et, quum me sibi similem existiment, putant splendore gloriæ suæ mihi tormentum invidiæ inferri. Sanctus autem Chrys. opinatur eos intendisse per prædicationes suas iram Neronis contra christianos magis excitare, atque ita Pauli vinculis novam inferre pressuram. Verum, ut notat Estius, hoc minus probabile est; namque primum adversus se ipsimet concitassent persecutionem. — Vinculis : O crudelitatem invidiæ! exclamat s. Chrys. : afflictionem addere vult afflicto.

18. Quid enim, inservit removendæ objectioni tacitæ. Cf. Rom. III, 3. — Per occasionem : *προφασει*, ex prætextu, sc. prætexebant se Christo servire, sed sibimet ipsi serviebant, et Paulo nocere volebant. — *Veritas* hic est *sinceritas* mentis in loquente, non *veritas* doctrinæ in fidei prædicatore; nam voci *προφασις*, *prætextus*, non autem *falsitati* opponitur.

per veritatem, Christus annuntietur: et in hoc gaudeo, sed et
19 gaudebo. * Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, et subministrationem Spiritus Jesu
20 Christi: * secundum exspectationem, et spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in cor-

prava intentione, sive ex vero et sincero animo, tamen Christus annuntiatur; et de hoc gaudeo. Et non tantum nunc gaudeo, sed etiam in posterum gaudebo: [19] certo enim spero fore ut pressuræ istæ mihi illatæ utiles mihi sint et salutares, cum auxilio orationis vestræ, et cum gratia Spiritus sancti, quæ a Jesu Christo per preces obtinetur. [20] Exspecto videlicet et spero fore ut nullo in casu confundar et ab officio deficiam, sed ut, summa agens intrepiditate, Christum, sicut hucusque semper, ita et

Apostolus enim de eorum prædicatione gaudere non potuisset, si falsam sparsissent doctrinam; quamobrem non intelligit Judaizantes proprie dictos, quos infra III, 18 *inimicos crucis Christi* vocat. S. Aug., cit. a s. Thoma: " Pastor, ait, qui propter veritatem annuntiat, est amandus; " mercenarius, qui propter lucrum, est tolerandus; qui falsus, expel- " lendus. "

Et in hoc gaudeo. Quam pura igitur erat semper Pauli intentio, qui non suam umquam, sed Christi tantum, quærebat gloriam! Quam alienus ab invidia! " Magnum, ait s. Chrys., ac philosophicum animum " nihil earum rerum quæ in hac vita tristes accidunt molestare potest...: " quasi enim in excelsum montis cacumen receptus, a quoquam eorum, " quibus ab imo subjectæ telluris impetitur, prehendi nequit. " Efficax remedium contra invidiam est unius Dei gloriam quærere. — Sed et gaudebo refero ad v. seq.; atque ideo a punctuatione Vulgatæ recedo.

19. Scio, i. e. confido, nam hoc v. 20 explicatur per *secundum exspectationem et spem.* — Proveniet ad salutem. Salutares sunt afflictiones, præsertim illæ quæ Christi causa inferuntur; nam, ut habetur v. 20, adjuvant nos ad perseverantiam finalem; puta, quia gratias abundantiores nobis a Deo impetrant, deinde quia reddunt nos Christo similes, firmiorem constantioremque efficiunt nostram sanctitatem, dum spem gloriæ nobis adaugent etc. Cf. Rom. V, 3 sqq. — Spiritus Jesu Christi. Locutio hæc innuit Christum Deum esse, ac Spiritum sanctum a *Filio* etiam procedere: cf. ann. Rom. VIII, 9.

20. Fiducia: παρρησια, dicendi vel agendi libertas. — Sicut semper et nunc, hebraismus, pro: *sicut semper, ita et nunc.* — In corpore meo,

pore meo, sive per vitam, sive
21 per mortem. * Mihi enim vi-
vere Christus est, et mori lu-
crum.

22 * Quod si vivere in carne, hic
mihi fructus operis est, et quid
23 eligam ignoro. * Coarctor au-
tem e duobus : desiderium ha-
bens dissolvi, et esse cum

deinceps, celebrem et colam in corpore meo, sive persecutionibus nunc succumbam, sive diutius vivam. [21] Utrumque enim Christi gloriam promovere potest ; nam, quidquid sentiant alii, mihi quidem vita unice pro Christo censetur impendenda ; et, si moriar, pro ipso moriar, quod adhuc melius foret.

[22] Quum autem vita temporalis, pro Christo transacta, mihi fructus afferat laboris apostolici, ignoro jam quid ut melius eligam ; an vivere, an mori præferam. [23] Ut autem verum dicam, teneor hinc et inde, quippe qui ab una parte desiderem mori et Christo in

ait, non *in me*, quia corpus solum persecutionibus et morti subjectum est.

21. Explicat quo modo Christum, tum per vitam, quum per mortem, possit glorificare. MIHI, initio sententiæ ponitur, emphasis causa : meo judicio, quidquid censeant alii. VIVERE CHRISTUS EST : dictio significantissima, cujus sensum sæpius explicavi ; cf. Gal. III, 27. Paucis dicam : vivere mihi nihil aliud est, quam Christum cogitare, eum diligere, ei arctissime conjungi sicut membra capiti, in eo habere principium vitæ sicut palmes in vite, in eo omnes actiones meas peragere, adeoque illi inservire, eumque laudare, prædicare etc. MORI LUCRUM, tum mihi, quia morerer pro Christo, quod maximum est hominis bonum ; tum etiam aliis, quia Christum per mortem meam clarificarem. Nolim cum Beelen solum intelligere de Christo glorificando per mortem, quia ss. Patres priorem sensum communi sententia tradunt.

22. Retractat aliquatenus, more oratorum, quod modo dixerat ; melius esse mori.

23. Hæret inter id quod dulcius sibi est (*mori et esse cum Christo*), et id quod magis necessarium aliis videtur (*diutius vivere et ad salutem proximi laborare*). Miremur cor Pauli, in quo amor Christi et proximi sancto quodam duello confligunt. COARCTOR : συνέχομαι, hinc et inde teneor. DESIDERIUM HABENS DISSOLVI. Loquitur de voluntate rationali, quæ per divinam gratiam ad heroicum hujusmodi sensum elevatur ; quapropter secum non pugnat 2 Cor. V, 4 : *Nolumus exspoliari*, quod

Christo, multo magis melius:	gloria conjungi, quod nempe multo melius est mihi quam diutius vivere;

de voluntate naturali dictum est. — Esse cum Christo. 2 Cor. V, 8 : *Bonam voluntatem habemus* (gr. cupimus) *magis peregrinari a corpore et præsentes esse ad Dominum.* Ex utroque illo loco eruitur, ut notat s. Thom. : animas sanctorum, ante generalem resurrectionem, beata Dei visione frui; innuitur etiam id fieri statim post mortem, puta, in gratiam illorum quibus nihil luendum supersit: quod est de fide contra Græcos schismaticos. Cf. Perr., De Deo creat., 633 sqq. S. Hier. (In Eccl., c. 9) docet: " Ante " adventum Christi, quamvis sanctos, omnes inferni lege detentos. Porro " quod sancti post resurrectionem Domini nequaquam teneantur in inferno, " testatur Apostolus dicens : *Dissolvi et esse* etc.

Inde etiam concludimus christianis mortem timendam non esse: quod fuse demonstrat s. Cypr. in tract. de mortalit. : " Renuntiavimus, ait, " mundo, et tamquam hospites et peregrini hic interim degimus. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo... Magnus illic nos " charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos " et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc " de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire " quanta et illis et nobis in communi lætitia est!... Illic apostolorum " gloriosus chorus, illic Prophetarum exultantium numerus, illic martyrum etc. " Idem argumentum dedita opera exponit s. Ambr. in libro De bono mortis. S. Ignat. M. (in ep. ad Rom.) pulcherrime : " Triticum Dei sum ego, ait, et bestiarum dentibus molar, ut purus Dei " panis reperiar... Utinam fruar bestiis illis!... quas velim mihi veloces " reperiri, quas etiam alliciam..., ultro eis vim inferam ! " Ergo " Mala " mors putanda non est, ait s. Aug. (De Civ. Dei 1, 11), quam bona " vita præcesserit: neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur " mortem. " Igitur non mors, sed peccatum timere oportet. Mors esset vere terribilis, si Christus pro nobis moriens mortem non devicisset : Hebr. II, 15.

Ex illis omnibus aliud etiam colligitur: sc. fratres mortuos non esse nimis lugendos : 1 Thess. IV, 12 *Ut non contristemini* (de dormientibus) *sicut et ceteri qui spem non habent* etc. Quid faciendum? " Juvemus eos, " ait s. Chrys. (hic in mor. hom. 3), pro viribus... Precantes [pro eis], " adhortemur et alios ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro " illis eleemosynas demus. "

24 * permanere autem in carne, necessarium propter vos.
25 * Et hoc confidens scio quia manebo, et permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum
26 et gaudium fidei : * ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos.

[24] sed ab altera parte, vobis magis necessarium est ut diutius in hac vita maneam, propter salutem vestram.

[25] Qua de re persuasus, confido fore ut in vita adhuc maneam, et diu vobiscum omnibus permaneam, et ad profectum vestrum spiritualem, et ad augendum gaudium quod ex fide hauritis : [26] ut per me, sc. per iteratum meum ad vos adventum, vobis christianis, major sit jubilandi materia.

Analysis I, 1-26.

Inscriptio, v. 1, et gratiæ apprecatio, v. 2.

Apostolus grati animi sensa pro subsidiis acceptis primum testatur, v. 3-11 : nempe

1° Semper gratias hac de re Deo agit, v. 3.

2° Sine intermissione pro eis Deum precatur, pretiosissima salutis bona eis exoptans, v. 3-6, et 9-11.

3° Eos vehementer diligit, v. 7 et 8.

4° Eximiam a Deo recipient mercedem, v. 7.

Deinde, ut Philippenses suos charissimos ea liberet sollicitudine, qua putabant per ejus vincula impeditam fuisse Evangelii

24. S. Thom. : " Ostendit se esse perfectioris charitatis, quasi sit paratus, " propter amorem Dei et gloriam, carere delectatione visionis Dei. " Propter vos. Non intendit alios excludere, sed solos nominat Philippenses, ex quodam exquisito charitatis sensu.

Simile quid huic, quod dicit v. 23, 24, legitur de s. Martino (in Brev. Rom. 11 Nov.) : precabatur ut e mortali carcere liberaretur, sed mox addidit : Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

26. Gratulatio : καυχημα, gloriatio, lætitia, jubilatio, sc. vestra de me. — In Christo Jesu, refer ad *abundet*. *In* designat elementum in quo quis constitutus poterit gaudere : quapropter indicat gaudium eis adventurum vere christianum et spirituale.

prædicationem, notum eis facit, nihil inde damni, sed multum potius utilitatis provenisse, tum religioni, v. 12-18, quum sibimetipsi, v. 19 et 20. Hæc de se addit, ut aliam eorum auferat sollicitudinem : eam nempe qua sibi patienti condolebant. In eumdem finem, ut eos magis consoletur, sensa cordis intima eis pandit, quod spectat ad persecutiones quas sustinet : ostendit se Dei voluntati perfecte consentientem, æque paratum ad mortem vel ad vitæ labores. V. 21-23.

Ingeniose tamen monet se velle diutius vivere, et sperat illud desiderium adimplendum esse, eo fine ut possit eos invisere, atque ita eis majus afferre sanctitatis incrementum et gaudium spirituale: v. 24-26. Hoc autem, ut quisque facile videt, aliud includit argumentum, quo sua eis grati animi sensa comprobet. Imo vero, nuntii illi, quos de rebus suis supra dedit, etiam dici possunt quoddam suæ charitatis indicium.

Si velimus totum hoc caput I analytice perscrutari, sequentia inveniemus puncta, quibus Apostolus gratam accepti beneficii memoriam testatur :

1° Sæpe ea de re gratias Deo agit ;

2° Assidue orat pro eis ;

3° Utilissimum est illud subsidium ;

4° Jam pluries id renovarunt ;

5° Ad hoc faciendum fuerunt divina gratia excitati ;

6° Hujusmodi opera bona juvant ad perseverantiam finalem ;

7° Eos omnium Apostoli meritorum participes reddunt ;

8° Singulari dilectione eos prosequitur, sc. *in visceribus Jesu Christi ;*

9° Omnimoda et maxima eis exoptat bona spiritualia ;

10° Eorum liberalitas in ipsam Dei gloriam et laudem cedit.

11° Charitate motus, eos ab omni sollicitudine liberare conatur ;

12° Vellet eos invisere, ut ad perfectionem eos magis excitaret, atque gaudio repleret.

§ 2. *Monet eos, præsertim ad concordiam, eisque Timotheum et Epaphroditum commendat.*

I, 27-II,

27 * Tantum digne Evangelio
Christi conversamini : ut sive
cum venero, et videro vos,
sive absens audiam de vobis
quia statis in uno spiritu unani-
mes, collaborantes fidei Evan-
28 gelii : et in nullo terreamini ab
adversariis : quæ illis est causa
perditionis, vobis autem salutis,
29 et hoc a Deo : * quia vobis dona-

27 Interim hoc unum peto, ut digne
Evangelio Christi vivatis ; ut, sive cum
venero et videro vos, sive cum absens
sim, audiam vos perseverare in ani-
morum concordia, uno omnes spiritu
mecum pro evangelica fide certantes,
28 et nulla prorsus de causa ab adver-
sariis terrefacti. Nam hujusmodi animus
impavidus adversariis vestris indicium
est perditionis, vobis autem salutis. Et
hic effectus unice a Deo repetendus
est ; 29 nam ex gratuito Dei dono vobis

27. Audiam etc. Non est cur illud *audiam* ad *absens* tantum referamus, quasi scriptum fuisset : ut sive veniens videam vos, sive absens audiam de vobis. Poterat enim Apostolus, etiam quando præsens erat, ab eorum clero rerum statum audire. — Unanimes, refer ab sequentia, non ad præcedentia. — Collaborantes : *συναθλουντες, simul certantes.* Metaphora a re militari desumpta, quemadmodum *state.* Obiter notemus hujus generis figuras a s. Paulo sæpissime usurpatas fuisse.

28. Quæ : *ἥτις, quippe quæ.* Relativum logice referendum est ad *non terreri,* sed grammatice pertinet ad vocem sequentem *causa.* Hujusmodi constructiones explicat Beelen in *Gramm. græc. N. T.* § 24, 3. — Causa : *ενδειξις, ostensio, indicium.* Sensus est : non terreri ab hostibus, indicium est victoriæ de iis referendæ ; seu, intrepiditas vestra argumentum erit, adversarios vestros in prælio cessuros et perituros, vos autem salvos futuros esse et victores. — Nonnulli interpretes istud *quæ* referunt ad persecutionem, seu oppugnationem, quæ ex verbis *in nullo terreamini ab adversariis* intelligitur ; dein *ενδειξις* vertunt cum Vulgata per *causa,* hoc sensu : quippe quæ persecutio illis causa sit perditionis, vobis autem salutis. Sed violentum videtur istud *quæ* referre ad *persecutionem,* potius quam ad *non terreri.*

29. Donatum est : ergo pati pro Christo donum Dei est ; namque signum est prædestinationis : Rom. V, 3 sqq. Quam utile sit pati pro Christo fuse exponitur Rom. VIII, 17 sqq. Vide supra, analysim Rom. VIII. — Non

tum est pro Christo, non solum
ut in eum credatis, sed ut etiam
30 pro illo patiamini: * idem certa-
men habentes, quale et vidistis
in me, et nunc audistis de me.

1 * Si qua ergo consolatio in
Christo, si quod solatium chari-
tatis, si qua societas spiritus,
si qua viscera miserationis:
2 * implete gaudium meum ut
idem sapiatis, eamdem charita-
tem habentes, unanimes, idip-

contingit, non solum ut in Christum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini; [30] quum idem habeatis pro fide certamen, quale olim me habere vidistis, et nunc auditis me rursum subire.

CAPUT II.

[1] Itaque, si quis vobis est affectus christianus ad recreandos afflictos, si quod veræ charitatis solatium a vobis exspectari potest, si quod habetis mecum Spiritus sancti consortium, tandem si quæ sensa misericordiæ tenerrima fovetis : [2] quæso, summo gaudio me afficite, per hoc quod concordes sitis, æquali charitate vos mutuo prosequa-

SOLUM etc. Volebat tantum dicere: vobis donatum est pro Christo pati; sed, quando scribebat *vobis donatum est pro Christo,* in mentem ejus incidit cogitatio hæc, illis etiam donatum esse credere in Christum: quam sententiam inserit antequam phrasim inchoatam absolvat. Ideo constructio est irregularis, et pleonastice additur *pro illo.* — DONATUM EST... UT IN EUM CREDATIS: textus dogmaticus contra Pelagianos et Semi-Pelagianos.

30. VIDISTIS. Cf. Act. Ap. XVI, 16 sqq. et 1 Thess. II, 2. AUDISTIS: ακουετε, *auditis,* in præsenti, quia indicatur actus continuus. — DE ME. Græce in omnibus codicibus: εν εμοι, *in me,* quod (ut modo *vidistis in me*) sign.: auditis mihi obvenire. Flandr. *aan mij.*

1. Sequens adhortatio ad concordiam cum v. 27, tamquam conclusio aliqua (ουν, *ergo*), arcte nectitur. — SI QUA etc. Protasis est, quæ quatuor continet rationes, per quas obtestatur eos Apostolus: apodosis autem est in v. 2 et 3. — CONSOLATIO, supple *vobis est,* et intellige consolationem quam aliis afferre possunt Philippenses; nam omnia, quæ hoc versu dicuntur, ad eosdem spectant, ut patet ex *implete.*

SPIRITUS. Cum ss. Chrys. et Aug. intelligo Spiritum sanctum, quo christiani, in statu gratiæ constituti, tamquam totidem ejusdem corporis mystici membra, in unitatem coalescunt omnes. Ideo vellem ut Vulgata haberet literam grandem *Spiritus.* VISCERA MISERATIONIS. Græce: *Viscera et miserationes,* quod est hendiadys.

2. UT IDEM SAPIATIS. Exponit quo modo velit se gaudio impleri. *Sapere* φρονειν, non de consensu in fide et dogmatibus, verum de animorum concordia hic sumi debet. Cf. 2 Cor. XIII, 11. De concordia cf. Eph. IV,

3 sum sentientes, * nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitran-
4 tes, * non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.

mini, unum idemque sentiatis, quasi vobis omnibus esset anima una. [3] Adeoque nihil ex invidia aut inani gloria agatis; sed ex humilitate quisque alium arbitretur sibi superiorem; [4] nec sua tantum, sed aliorum quoque commoda singuli curent.

3 sqq. Notum est illud Micipsæ ad Jugurtham (ap. Sallustium): " Concordia res parvæ crescunt, discordia maxumæ dilabuntur." Eccl. IV, 12 *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Legesis Lafontaine, *la fable: Le vieillard et ses enfants.*

3. Concordia duplici nititur virtute: humilitate et abnegatione sui, seu privatorum oblivione commodorum.

Superiores arbitrantes: s. Aug. (De div. quæst. 71, 5): " Non existimare " fingamus, sed vere existimemus aliquid occultum esse posse in alio, quo " nobis superior sit." S. Thom.: " Nullus est sic bonus, quin in eo sit " aliquis defectus; et nullus est sic malus, quin habeat aliquid boni." Igitur hæc cogitatio non est veritati contraria; secus, ad virtutem humilitatis non pertineret; nam, ut ait s. Aug., De nat. et gr., cap. 34: *Humilitas collocanda est in parte veritatis, non in parte falsitatis.* Videsis s. Thom. *Summ. Th.* 2ª 2æ, q. 161, a. 3. In ista parva existimatione de nobismet ipsis, qua alios habemus superiores nobis ipsis, consistit essentia humilitatis. Hæc enim definitur a s. Bern. (De grad. humilit., cap. I): " Virtus qua homo *verissima* [notetur verbum] sui agnitione sibi " ipsi vilescit."

De *Humilitate* plurima dixi in Comm. s. Matth. (vide indicem XIV, in ed. 3ª, 1880-1882), imprimis Christi exemplum proponens, de quo Apostolus, hic v. 5, tam nervose loquitur. Hoc autem adeo præclarum est, ut s. Hier. (ep. ad Pamm., *Sanato*) exclamet: " Quantumcumque te " dejeceris, humilior Christo non eris!" Imo s. Bas. (hom. de humil.): " Comperimus, ait, Domini gesta omnia nos ad humilitatem instruere." De necessitate hujus virtutis audi s. Aug. (ep. 118, al. 56, n. 22): " Ad " obtinendam veritatem, prima via est humilitas, secunda humilitas, tertia " humilitas: et quoties interrogares, hoc dicerem; quia... nisi humilitas " omnia bene quæcumque facimus et præcesserit, et comitetur, et consecuta " fuerit..., jam nobis totam extorquet de manu superbia." — Idem (serm. 2 de verbis Apost.): " Gratia pluvia est: non in montes, sed in valles, id est " in humiles, descendit."

5 * Hoc enim sentite in vobis,
6 quod et in Christo Jesu : * qui
cum in forma Dei esset, non
rapinam arbitratus et esse se

[5] Christi exemplum vos provocet : eadem enim debent esse sensa in vobis, quæ fuerunt in Christo Jesu ; [6] qui, cum in cœlis Deus esset gloriosus, et pleno jure sibi perfectam cum Deo Patre

5. Quod modo dixit de colenda humilitate suique ipsius abnegatione, id nunc per admirabile Christi exemplum confirmat : inde γαρ, *enim*.

6. Forma : μορφη, sign. proprie et directe : id quod quis vel quid præ se fert. Filius, seu secunda ss. Trinitatis persona, dicitur esse *in forma Dei*, eodem sensu quo 2 Cor. IV, 4 et Col. I, 15 vocatur *Imago Dei* (Patris), et Hebr. I, 3 *Splendor gloriæ* (Dei Patris) *et figura substantiæ ejus;* i. e. quatenus est *lumen de lumine* (conc. Nicæn.), seu Verbum (Λογος) Patris, quo Deus Pater seipsum cognoscit, et affirmat. Quamobrem locutio illa forma Dei indivulse connotat naturam divinam, et consubstantialitatem Filii cum Patre; adeoque Christi divinitas inde invicte demonstrari potest, ut contra Arianos passim fecerunt ss. Patres (1). Vehementer igitur improbo sensum quem huic loco tribuit Erasmus : quum (Christus) in vita sua terrena speciem et majestatem divinam præ se ferret, i. e. quum universa agendi ratione se Deum esse declararet, puta, mortuos resuscitando, aliaque patrando miracula : tamen non rapuit sibi (proprie *non raptum sibi duxit*, non rapiendum esse putavit) æqualitatem cum Deo, i. e. non sibi per inanem gloriam vindicavit ut haberetur æqualis Deo, sed potius duxit vitam humilem ac contemptibilem. Istam vero interpretationem theologice et philologice damnandam censemus : *theologice*, quia pugnat cum unanima fere ss. Patrum sententia, qui docent s. Paulum de natura Christi divina et æterna, non autem de vita ejus mortali in terris, loqui ; *philologice*, quia plane contorta est explicatio verborum : *non rapinam* etc.

Non rapinam etc. *Rapina :* ἁρπαγμος, *actus rapiendi*, seu *raptus* (non proprie *præda*, nam hæc est ἁρπαγμα). Sensus igitur est : non putavit, non judicavit, non duxit (ἡγησατο), esse raptum aliquem, hoc sc. quod esset Deo æqualis, seu æqualitatem cum Deo sibi vindicaret ; aliis verbis, æqualitatem cum Deo pleno jure sibi adscripsit. Quod autem attinet ad verborum

(1) Alia loca, in quibus Apostolus Christi divinitatem vel demonstrat vel innuit, sedulo colligere utilissimum foret. Hac occasione liceat mihi consilium dare ut sacerdos, Paulinarum Epistolarum lector assiduus, sibi conficiat *indicem rerum generalem*, in quo analytice conglobet, omnia et singula quæ de variis argumentis, tum dogmaticis, quum moralibus, sparsa reperiantur. Si Deus tempus opportunum mihi quondam concedat, laborem istum suscipiam ipsemet ego, illumque typis vulgabo libentissime.

7 æqualem Deo: * sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inven-

æqualitatem vindicaret, [7] attamen, assumpta servi forma, semetipsum exinanivit, humanam indutus naturam nostræ similem, et in omnibus tamquam verus

constructionem, duo sunt phraseos membra quæ sine conjunctione nectuntur, et quæ oportet in unum contrahere; quasi loco *dum in cœlis erat Deus, jure merito sibi æqualitatem cum Patre vindicabat; sed* etc., scriptum fuisset: quamvis in cœlis esset Deus ab æterno, adeoque perfectam sibi cum Patre vindicaret æqualitatem, factus est tamen homo in tempore; quod est perfectissimæ exemplum humilitatis.

7. Exinanivit: vim verbi nota: natura humana, utpote ex nihilo creata, *inane* quid et vere nihilum est ex semetipsa. Quam pulchre s. Cypr. (Tract. de eleem.) ait: " Filius hominis esse voluit, ut nos filios Dei faceret; humi-" liavit se, ut populum, qui prius jacebat, erigeret; vulneratus est, ut " vulnera nostra sanaret; servivit, ut ad libertatem servientes extraheret; " mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. " — Servi, ait, non *hominis*, quia vult significare ipsum factum esse *Dei Servum*, sc. incarnatum esse ut opus Redemptionis perficeret; quo sensu Isaias LII, 13 Messiam *Servum Jehovæ* vocat. — Accipiens... factus... inventus. Explicat quo modo Dei Filius se exinanivit.

In similitudinem etc. Elucidat illa *formam servi accipiens*. Sensus est: similis hominibus factus est, puta, humanam naturam assumendo; quæ, quum in eo fuerit absque peccato, eatenus non *æqualis* sed *similis* tantum nostræ fuit naturæ. Cf. Rom. VIII, 3. Adeoque similitudo non intelligitur apparens aut ficta, quasi non fuisset verus homo, sed phantasticus, uti volunt *Docetæ*. Quamobrem sanctus Chrys. (Hom. 7, 3) hanc dat rationem, quare Filius incarnatus dicitur *in similitudine hominum factus*, potius quam *homo factus*: " Quia non omnia sunt æqualia [nostram inter et humanam " Christi naturam], utpote quod Christus non ex commixtione corporum, " quod sine peccato, quod minime nudus homo. " Hebr. IV, 15, de Christo pontifice nostro dicitur, ipsum nobis similem fuisse, *absque peccato*. — In similitudinem. Græce ἐν cum dat.: *in similitudine*.

Et habitu etc. Aliis verbis repetit quod dixit *in similitudine* etc. *Habitus*, est universa cujuspiam conditio externa, conspicua in forma corporis, vultu, gestu, etc. (s. Thom.). — Ut homo. Noli putare per particulam *ut* (ὡς) indicari Christum non fuisse verum hominem, sed exterius visum fuisse hominem; igitur *ut* veritatis est nota (Estius), non nudæ similitudinis;

8 tus ut homo. * Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

9 * Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi no-

homo deprehensus. [8] Et ut homo quidem abjectissimus; etenim humiliavit semetipsum, factus Deo Patri obediens, eousque ut mortem, imo vero crucis mortem acerbissimam, subierit.

[9] Propter quam obedientiam, Deus Pater eum, qua hominem, vicissim ad summam exaltavit sublimitatem, nimi-

sign. *tamquam talis qui erat reipsa verus homo.* Eodem sensu sumitur ὡς apud Joan. I, 14: *Quasi unigeniti a Patre.* — INVENTUS, tamquam talis deprehensus, agnitus.

Ex v. 6 et 7 confutantur, ut docte notat s. Thom., 1° Ariani, qui consubstantialitatem Verbi negabant, dicebantque Christum Patre minorem esse. 2° Sabelliani, qui personarum pluralitatem in Deo non admittebant. 3° Nestoriani, qui contendebant in Christo duas esse personas, adeoque alium esse filium hominis, alium Filium Dei. 4° Eutychiani, juxta quos una tantum natura est in Christo. 5° Docetæ, qui, ut dixi, putabant corpus Christi phantasticum fuisse, vel de cœlo allatum, non e sinu Mariæ natum. 6° Tandem Apollinaris, qui contendit animam ejus non fuisse similem nostræ.

8. Gradatio: tantopere se humiliavit, ut ad mortem usque crudelissimam et ignominiosissimam obedierit. " Modus humiliationis, et signum humi- " litatis est *obedientia,* quia proprium superborum est sequi propriam " voluntatem (s. Thom.). "

9. Addit quid sibi Jesus per humilitatem promeruit, ut Philippenses, non solum per exemplum quod ipse dedit, sed etiam per spem similis mercedis obtinendæ, ad ejus imitationem adhortetur. — PROPTER QUOD : διὸ, invicte demonstrat Christum suis operibus merita stricte dicta acquisivisse. — ET DEUS. *Et,* valet *vicissim,* ut Rom. I, 24, in græco. — EXALTAVIT. Græce *superexaltavit;* pro demissione profundissima, in summam eum evexit sublimitatem. Hæc autem exaltatio de naturæ Christi humanæ ad dextram Dei Patris elevatione, in glorioso ejus ascensu, intelligenda est.

ET DONAVIT : *et* potius explicat quam copulet. — DONAVIT ILLI NOMEN etc. Sensus est : Deus eum, tamquam hominem, super omnes creaturas evexit, adeo ut nomen (quodcumque tandem sit), quo eum appellemus, designet aliquem altiorem et gloriosiorem, quam quodvis nomen creaturis datum. — NOMEN. Igitur non oportet hic sollicite inquirere, quod recte observat Bisping, an Apostolus respiciat nomen *Jesu,* an *Filii Dei,* an *Dei,* an *Domini*

men, quod est super omne no-
10 men : * ut in nomine Jesu omne
genu flectatur cœlestium, ter-
11 restrium, et infernorum, * et
omnis lingua confiteatur quia
Dominus Jesus Christus in glo-
ria est Dei Patris.
12 * Itaque charissimi mei (sicut

rum, eum super omnes creaturas evexit; [10] in eum finem ut, invocato ejus nomine, eum adorent eique se subjiciant omnes omnino creaturæ rationales, tam eæ quæ in cœlo sunt, quam quæ in terra, et in inferno; [11] atque ita omnes confiteantur ipsum esse Dominum ac Deum; quæ confessio cedit in gloriam Dei Patris.

[12] Itaque, charissimi mei, adhortor

etc., nam illa omnia cogitat nomina quæ ipsum designant Verbum Dei incarnatum. Animadvertendum tamen est, nomen *Jesu* (Deus Salvator) ceteris nominibus magis proprium et adæquatum esse: ideoque huic nomini specialem quamdam venerationem ab Ecclesia et a fidelibus devotis merito tribui.

10. Ut, *ἵνα*, finem indicat (*in eum finem ut*), non eventum (*adeo ut*). Deus eum super omnes creaturas evexit, in eum finem ut omnes eum adorarent, eique obedirent. — In nomine Jesu, simul ac ejus nomen invocetur, vel enuntietur, omnes se ei tamquam Deo et Domino suo subjiciant. — Omne genu flectatur. Metaphora pro: omnes eum adorent, eique se submittant. — Cœlestium, i. e. *angelorum*; terrestrium, *hominum*; infernorum autem, scil. *dæmonum* (nam dæmones divinitatem Christi vel inviti confitentur: *dæmones credunt et contremiscunt* Jac. II, 19). Alii nomine *infernorum* intelligunt justos qui, ante Christi ascensionem, in limbo patrum detinebantur.

De *ss. nomine Jesu* videsis Comm. nostr. s. Matth. 3ª ed. q. 32, ubi pulcherrimum sermonem s. Bernardi indicavi. "Hoc nomen, ait s. Aug. "(Conf. 3, 4), in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum pie biberat "et alte retinebat." Id parentibus in exemplum sæpe proponamus.

11. Lingua, per figuram spiritibus tribuitur. Quia Dominus etc. Sensus Vulgatæ est: omnes confiteantur Dominum Jesum Christum esse in gloria Dei Patris, i. e. habere gloriam eamdem cum Patre, utpote quem agnoscunt verum Deum, Patri æqualem. Sed textus græcus, secundum unanimem Græcorum interpretationem, sign.: omnes confiteantur Jesum Christum esse Dominum, i. e. Deum, idque in gloriam Dei Patris (cedit). Nam loco *in gloria*, est *εἰς* cum acc.: *in gloriam, ad gloriam.*

Totus hic locus, v. 6-11, ut jam dixi v. 7, valde insignis est in re dogmatica ad probandam Christi divinitatem; quare passim ss. Patres illum hæreticis, Arianis et Sabellianis etc., merito objiciebant.

12. Itaque. Conclusionem moralem, per modum adhortationis, ex

semper obedistis), non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram

vos ut, illa Christi obedientia et remuneratione excitati, quemadmodum semper hucusque Deo obedistis ita deinceps obedire pergatis. Adeoque salutem vestram sedulo operamini, non tantum quando præsens sum, et eo modo quo id fecistis me præsente; sed nunc illud ipsum agite in mea absentia, imo etiam multo majori cum timore et sollicitudine.

Christi exemplo et præmio deducit. SICUT SEMPER OBEDISTIS. Hæc verba non sunt inter parenthesim ponenda, quum ita sequentibus nectantur, ut *protasim* sententiæ efficiant. Nuda phrasis est: Sicut hucusque semper obedistis (Deo), ita porro pergite Deo obedire: sed alterum membrum seu *apodosis* variato sermone hoc modo exprimitur: *cum metu et tremore salutem operamini.*

NON IN PRÆSENTIA MEI TANTUM, etc. Hoc, ab una parte, non sign. solummodo: quasi id faceretis in præsentia mea tantum, i. e. ad oculum servientes; quia, si hic esset solus sensus, periret antithesis cum sequentibus: *sed multo magis nunc in absentia mea;* nec, ab altera parte, simpliciter sign.: non tantum eo modo quo id fecistis me præsente, sed multo majore cum sollicitudine; nam, in tali supposito, adv. *tantum* debuisset poni post *non*, nempe: *non tantum, ut in præsentia fecistis, sed multo magis nunc* etc. Dicendum itaque haberi duplicem oppositionem in unam conflatam, nempe 1° inter servilem, et sinceram obedientiam, 2° inter minorem et majorem sollicitudinem. Quasi dixisset Apostolus: Deo obedite, non in præsentia mea tantum, quasi mihi præsenti placere studeretis, sed in absentia etiam ut evidens fiat vestram obedientiam esse sinceram, ex animo præstitam; præterea Deo obedite, non tantum eo modo quo id fecistis in præsentia mea, sed nunc in absentia multo majore cum sollicitudine.

CUM TIMORE... OPERAMINI: κατεργαζεσθε. Nota verbum compositum: κατα vim auget: " id est, non quovis modo operamini, sed accurate magnoque cum studio (s. Chrys.). " Timebat sibi Paulus, quanto magis nos timere debemus! Ait enim 1 Cor. IX, 27: *Ne forte... ipse reprobus efficiar.* Quot exempla in s. Literis! Ceciderunt Angeli non pauci, proto-parentes, Saul, David, Salomon, Judas, Petrus, etc.: quis non metuat? Nec virtutes nostræ possunt securos nos reddere: " Onusta incedis auro, lepide scribit s. Hier. " ad Eustochium virginem (ep. *Audi, filia*), latro tibi vitandus est... Nemo " inter serpentes et scorpiones secure ingreditur. Magnis inimicorum " circumdamur agminibus, etc. "

13 salutem operamini. * Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.

[13] Cum timore, inquam, nam salutem operari pendet, non a propriis viribus, sed a Dei gratia; Deus enim, in re salutis, operatur in vobis et velle et facere bonum, secundum suam erga vos benevolentiam.

Quatuor ex illis Pauli verbis confirmari possunt dogmata : 1° perseverantiam esse incertam : Trid., sess. 6, De justif. cap. XIII et can. 16. Videsis ann. 1 Cor. I, 8. — 2° Solam fidem non sufficere ad salutem, sed opera requiri : Trid. ib., can. 19-21. Cf. ann. Rom. I, 17. — 3° Opera posse valere ad salutem promerendam : Trid., ib. can. 24, 31 et 32. Cf. ann. 1 Cor. XV, 58. — 4° Tandem in hujusmodi operibus liberum esse homini arbitrium : Trid., ib. can. 4.

13. Enim, reddit rationem alicujus quod præcedit. Juxta s. Chrys., Apostolus rationem dat ob quam eos adhortetur ad salutem operandam, quasi diceret : macti animo, adest vobis auxiliator Deus, qui in actibus internis et externis sua vos gratia adjuvat. Sanctus autem August. refert istud *enim* ad *cum timore et tremore*, hoc sensu : cum timore et humilitate oportet salutem operari, quia neque *velle*, neque *perficere*, in vestra est potestate : utrumque enim in re salutis pendet ab auxilio gratiæ. Hæc autem sententia ideo videtur probabilior, quod tota hæc epistolæ pars agat de suadenda humilitate et modestia.

Deus... operatur in vobis. Docetur necessitas *gratiæ internæ*, quam Pelagius negabat; sequitur etiam, contra Semi-Pelagianos, gratiam requiri ad initium fidei salutaris. " Gratia, ait s. Aug. (ep. 217, al. 107, n. 5), præ-" venit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, " sed facit. " Sed, quum modo dictum fuerit : *Cum timore... salutem vestram operamini*, gratia libertatem hominis non destruit ; quod est contra Lutherum, et Jansenistas. " Non enim, inquit s. Aug. (De gr. et lib. 9), quia " dixit Apostolus *Deus* etc., ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. " Quod si ita esset, superius non dixisset *cum timore* etc. " Nos ergo, ait idem Doctor, volumus, sed Deus in nobis operatur et velle ; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur et operari.

Et velle et perficere. Loco *perficere* est in græco ενεργειν, *operari*. Istud *velle* probat necessitatem gratiæ *prævenientis* seu excitantis, quæ et intellectum et voluntatem afficiat. — Pro bona voluntate, non *vestra*, ut voluit Pelagius, et ut explicat Erasmus, quasi Philippensium bona voluntas esset causa gratiæ; sed intelligitur bona *Dei* voluntas (ευδοκια, *benevolentia*) erga Philippenses; adeo ut doceatur gratiam esse prorsus gratuitam. Cf. Rom. IX, 16 *Non volentis, neque currentis* etc.

14 * Omnia autem facite sine
murmurationibus, et hæsitatio-
15 nibus: * ut sitis sine querela,
et simplices filii Dei, sine repre-
hensione in medio nationis pra-
væ, et perversæ: inter quos lu-
cetis sicut luminaria in mundo,
16 * verbum vitæ continentes ad
gloriam meam in die Christi,
quia non in vacuum cucurri,
neque in vacuum laboravi.
17 * Sed et si immolor supra

[14] Omnia autem in opere salutis facite sine obmurmuratione et prompto animo, [15] ut sitis irreprehensibiles et vita integri, tamquam filii Dei immaculati, in medio gentilium pravorum et perversorum; inter quos, sicut astra in mundo, lucetis; [16] vos, inquam, qui Evangelium lucis ac sanctitatis fontem intra vos possidetis. Id præstetis, ut de vobis possim in judicio extremo gloriari, utque constet me non absque præmio et successu inter vos laborasse.

[17] Hac spe fretus, lætus laboro; sed si vel hoc accidat, ut laborare amplius non possim, sc. ut jussu Neronis occidar, utque sanguis meus velut libamen aliquod effundatur supra sacrificium quod Deo offero, sacrificium nempe

14. Omnia, illa quæ ad salutem operandam (v. 12) necessaria sunt. — *Murmurationes.* Quidam intelligunt eas quæ contra superiores humanos fiunt; sed murmurationes contra Deum probabilius indicantur. Cf. 1 Cor. X, 10: *Neque murmuraveritis, sicut quidam* etc. " Noli servire cum mur-" mure, ait s. Aug. in Ps. 99; non enim id agunt murmura tua ut non " servias, sed ut malus servus servias. "

15. Sine querela: αμεμπτοι, *irreprehensibiles.* Simplices, puri atque integri (s. Chrys.). Sine reprehensione: αμωμητα, *non vituperandi.* — Inter quos. *Quos* refertur ad nomen collectivum *natio:* constructio ad sensum: cf. Beel., Gram. græc. n. T. § 21, 1. — In medio nationis pravæ... lucetis. Ad sanctitatem adhortatur eos hac ratione: ut exemplo suo gentiles ad meliorem frugem convertant. — Lucetis: Matth. V, 16 *Sic luceat lux vestra coram* etc.

16. Ad gloriam etc. Refer ea, non ad proxime præcedentia, sed ad *ut sitis irreprehensibiles* etc. — In die Christi: græce, *ad diem;* flandr. *voor den dag.* — In vacuum, *incassum, sine fructu:* 2 Petr. I, 8 *Non vacuos nec sine fructu.* — Cucurri. Metaphora a publicis ludis desumpta (1 Cor. IX, 26), quæ explicatur per *laboravi.*

17. Sed et si..., varie a variis cum præcedentibus nectuntur; nos vero ita nexum cogitamus: spero fore ut labor meus pro vobis impensus non sit infructuosus, et gaudeo ob hanc fiduciam; sed, et si accidat ut amplius laborare non valeam, puta, si a Nerone occidar, equidem gaudeo. — Immolor: σπενδομαι, *delibor*, ut bene reddidit Vulgata 2 Tim. IV, 6; dicitur

sacrificium et obsequium fidei
vestræ, gaudeo, et congratulor
18 omnibus vobis. * Idipsum autem
et vos gaudete, et congratulamini mihi.

19 * Spero autem in Domino
Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos : ut et ego bono
animo sim, cognitis quæ circa

fidei, quam per meam profitemini prædicationem : equidem gaudeo quod possim pro Christo mori, et congratulor omnibus vobis quod tam felicem habeatis fidei ministrum. [18] Similiter vos etiam vicissim de eo gaudete, et congratulamini mihi.

[19] Attamen non tam brevi mortem sane subibo; spero, per gratiam Jesu Christi, fore ut Timotheum ad vos cito mittam, ut, sicut vos gaudebitis ad adventum ejus, ego vicissim hilari animo sim ad reditum ejus, cum res vestras

de vino quod in sacrificiis (v. gr. Judaicis, Num. XV, 5 et XXVIII, 7) victimæ solebat affundi. — Supra sacrificium et obsequium (λειτουργια, *oblationem*, seu actum offerendi) fidei vestræ, i. e. quod est fides vestra. Apostolus opus ministerii sacri quod perficit, seu prædicationem fidei, considerat tamquam aliquam victimam (θυσια) Deo a se oblatam; super quam, si martyrium subeat, sanguis suus effundetur. Et re quidem vera, fidei prædicatio est sacerdotale quoddam ministerium, seu liturgia sacra; objectum fidei primarium est ipsemet Christus, qui, in prædicatione, hominibus offertur et traditur, modo spirituali, ut in eorum animis recipiatur : quemadmodum in sacrificio Missæ (*Liturgia* proprie dicta) idem ille Christus fidelibus datur, modo corporali, cum in sancta Communione vere, realiter ac substantialiter suscipiatur. Cf. Rom. XV, 16. — Gaudeo, nam ita mori *lucrum est* (supra I, 21), ideo cupit *dissolvi et esse cum Christo* (ib. v. 23).

18. Gaudete : " Non igitur lacrymis dignus est justorum obitus, sed " lætitia (s. Chrys. Hom. 8). " 1 Thess. IV, 12 : *De dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent.* Videsis ann. ad ill. loc. Cf. etiam Apoc. XIV, 13 : *Beati mortui qui in Domino moriuntur* etc. A fortiori beati qui *pro* Domino moriuntur, de qua morte loquitur Apostolus hic ad Phil.

19. Autem. Iis, quæ modo dicebat de morte forsitan subeunda, opponit fiduciam longioris vitæ, imo et futuræ suæ liberationis, v. 24. Et ego. Istud *et* sensu non vacat; sign. sicut vos gaudebitis, cognitis per Timotheum quæ circa me sunt, ita vicissim ego etc.; sed prius illud membrum *sicut vos gaudebitis* etc. vix innuit Paulus per conj. *et*, quod absque ingenii acumine factum non est.

20 vos sunt. * Neminem enim
habeo tam unanimem, qui sin-
cera affectione pro vobis solli-
21 citus sit. * Omnes enim quæ
sua sunt quærunt, non quæ sunt
22 Jesu Christi. * Experimentum
autem ejus cognoscite, quia sicut
patri filius mecum servivit in
23 Evangelio. * Hunc igitur spero
me mittere ad vos, mox ut vi-
24 dero quæ circa me sunt. * Con-
fido autem in Domino quoniam
et ipse veniam ad vos cito.
25 * Necessarium autem existi-

cognovero. [20] Illum potius quam alium quemquam mittam, quia neminem, præter hunc, alium mecum habeo, qui erga vos sensa foveat eadem ac ego, quique adeo fideliter et studiose res vestras curaturus sit. [21] Omnes enim alii Evangelii ministri, quos mittere nunc possem, magis sua quærunt commoda, quam Jesu Christi gloriam. [22] Probatam autem Timothei virtutem, longe ab istorum venalitate diversam, cognoscitis; scitis enim eum, sicut patri filius inservire solet, ita mihi in re evangelica serviisse et mecum laborasse. [23] Hunc igitur spero mittere ad vos, simul ac rerum mearum exitum perspexero; [24] sed confido fore ut, Deo dante, et ipse veniam ad vos cito.

[25] Interim autem necessarium exi-

20. Tam, in textu originali non legitur.

21. Omnes, puta, quos nunc mittere possem, qui aliunde impediti non sunt; adeoque non oportet cogitare omnes fidei ministros, tunc temporis Romæ degentes, fuisse malos; hoc enim pugnaret cum I, 15 et 16. Probabiliter tunc absentes erant illi de quibus Col. IV, 10 sqq. mentio fit. Certe absens etiam erat s. Petrus, Romanorum episcopus.

22. Experimentum ejus : την δε δοκιμην αυτου, *probatam ejus virtutem.* Cognoscite : γινωσκετε, quod præfero in indicativo sumere, *cognoscitis,* cum s. Chrys. Timotheus enim jam ab eis cognitus erat : cf. Act. Ap. XVI, 1, 3, 12; XVII, 14. Quia, ὁτι quod latine per acc. cum inf. verti debet. Mecum. Adest *oratio variata;* nam Apostolus voluit scribere : sicut patri filius servit, ita mihi servivit Timotheus; sed quum subito occurreret cogitatio Timotheum esse suum adjutorem, ideo loco *mihi* posuit *mecum.* Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 64, III, 1.

23. Videro, απιδω, vel ut in plurib. codd. αφιδω, sign. *prospicere e longinquo.* Flandr. *afzien.*

25. Autem, δε, opponit quod *in præsenti* facit. Necessarium, propter causam v. 26 indicatam. Existimavi, pro *existimo,* præteritum est quod *epistolare* vocari posset : id adhibet scriptor, quando respicit illud temporis punctum, quo legenda sit epistola. Sic etiam v. 28 *misi* pro *mitto.*

mavi Epaphroditum fratrem, et
cooperatorem, et commilitonem
meum, vestrum autem aposto-
lum, et ministrum necessitatis
26 meæ, mittere ad vos : * quoniam
quidem omnes vos desiderabat :
et mœstus erat, propterea quod
audieratis illum infirmatum.
27 * Nam et infirmatus est usque
ad mortem : sed Deus misertus
est ejus : non solum autem ejus,
verum etiam et mei, ne tristi-
tiam super tristitiam haberem.
28 * Festinantius ergo misi illum,
ut viso eo iterum gaudeatis, et
29 ego sine tristitia sim. * Exci-
pite itaque illum cum omni
gaudio in Domino, et ejusmodi

stimo Epaphroditum, hominem christianum, meum in re evangelica adjutorem et commilitonem, vestrum vero legatum, per quem publico nomine necessaria vitæ subsidia mihi subministrastis, ad vos remittere; [26] siquidem omnes vos videre magnopere desiderabat, et mœstus erat, propterea qaod audieratis illum ægrotasse, nec dubitabat vos illo nuntio fuisse contristatos. [27] Et re quidem vera ægrotavit, adeo ut morti proximus esset; sed Deus misertus est ejus; nec ejus solum, verum etiam mei, ne tristitiam super tristitiam haberem, tum ex vinculis meis, tum ex morte tanti viri. [28] Ergo festinantius quam alias fecissem, mitto illum, ut, viso eo, iterum gaudeatis, et ego minori in tristitia sim. [29] Itaque, excipite illum summo cum gaudio et affectu vere christiano. Ejusmodi enim virum magni

Apostolum. Satis probabilis est sententia Bispingii, quam suadent verba sequentia, vocem αποστολος in nativa sua significatione usurpari, sc. *missus, legatus* (απο et στελλω); flandr. *afgezant.* Ministrum : λειτουργον (λειτος *publicum*, et εργον *opus*), publicum ministrum. Vox illa sensu lato sumitur hic de quocumque publico ministerio; alibi vero sensu strictiore de sacrorum ministro dicitur.

26. Desiderabat : επιποθων ην : circa quod observa tria : 1° præp. επι auget vim : *valde desiderans erat;* 2° ην, *erat*, pro *est*, respicit tempus quo legenda erat epistola; 3° part. cum verbo subst. (*desiderans erat,* loco *desiderabat*) actum notat continuum. Propterea quod etc. refertur etiam a l *desiderabat vos*, et non ad solum *mœstus erat.*

27. Nam et, *nam revera.* Non inani rumore id audieratis, nam revera ægrotavit. Tristitiam super tristitiam. S. Chrys. explicat : ne præter tristitiam de morbo ejus, tristitiam de morte ejus haberem. Verum propter comparativum αλυποτερος v. 28, nobis magis arridet sensus quem in paraphrasi dedimus.

28. Sine tristitia. Græce est compar. αλυποτερος : vide paraphr.

30 cum honore habetote : * quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

æstimate ; [30] quoniam propter solam Evangelii causam proximum mortis periculum subiit, vitæ non parcens, ut, ministrans mihi, suppleret id quod vos absentes exhibere mihi non poteratis, sc. publicum charitatis vestræ erga me officium.

Analysis I, 27 - II.

In ultima parte præcedentis paragraphi, Apostolus, in testimonium grati et benevoli animi, desiderium expresserat invisendi eos, ut ad majorem sanctitatem eos excitaret. Hac usus sententia, transit ad monitiones quas eis tradere volebat, præsertim circa animorum concordiam.

Ad hanc autem concordiæ virtutem eos adhortatur :

1° Obtestans eos per persecutiones a seipso et ab eis pro fide toleratas, v. 27-30;

2° Per virtutes omnes et gratias, quæ hucusque in eis repertæ sunt, cap. II, 1;

3° Id si peragant 2-4, summum Apostolo afferent gaudium, v. 2.

4° Ad hoc ipsum eos provocat per eximium Christi exemplum, qui ex humilitate et charitate (quæ ambæ sunt concordiæ fundamentum et origo) semet ipse in Incarnatione exinanivit, v. 5-8.

5° Eos etiam excitare debet præclara gloria, quam Christus hoc

30. Tradens : duplex habetur lectio, quarum prior παραϐολευσαμενος (*tradens* in Vulg.) majore gaudet auctoritate. Vox autem illa derivatur a παραϐολος, *audax, sui periclitator*, et sign. sui factus periclitator, ψυχη, quod spectat ad vitam suam ; verbo, qui vitæ subit periculum. Altera lectio est παραϐουλευσαμενος, i. e. male consulens vitæ suæ. Sensus eodem recidit : sed hæc posterior lectio videtur prioris correctio, quia verbum παραϐολευομαι nusquam occurrit.

Id quod ex vobis deerat, *in re officii vestri publici erga me*, puta, non quasi insufficiens fuisset pecuniarium subsidium quod Philippenses Paulo miserant; sed quia, si potuissent, præter pecuniam, varia charitatis officia libentissime ei præstitissent.

modo obtinuit, quamque Philippenses etiam participabunt, si Christi exempla imitentur, v. 9-11.

6° Ad hujus aliarumque virtutum exercitationem adjuvabit eos divina gratia, quæ adeo est efficax ut operetur et velle et perficere bonum, v. 12-14.

7° Oportet ut, concordiam servantes, sint irreprehensibiles in omni agendi ratione, eo quod inter gentiles vivant, eosque sua sanctitate ad Christum convertere debeant, v. 15; deinde etiam intus habent lucem fidei, quæ, sicut lux quævis, nata est alios illustrare, v. 16.

8° Præterea, si secus facerent, Apostolus non haberet unde de eis in extremo judicio gloriaretur; nam labor ejus apud eos fructu vacuus redderetur, adeoque minorem mercedem acciperet: v. 16.

9° Reddant autem se Apostolo dignos, quia ipse se dignum eorum ministrum exhibet evangelicum, quippe qui pro fidei prædicatione mortem libentissime velit subire, v. 17 et 18.

Post illa monita, transit ad aliud epistolæ argumentum, quod, quantumvis sit diversum, sine connexione adjungit, libertate usus epistolari. Nimirum eis duos commendat adjutores, Timotheum et Epaphroditum : v. 19-30.

Timotheus commendatur :

1° Magis quam alii eos amat, eosque juvabit;

2° Non sua quærit commoda, sed Jesu Christi gloriam;

3° Fidelissime Paulo auxiliatus est; quod ipsimet norunt Philippenses.

Epaphroditus commendatur :

1° Pauli est commilito, Philippensium autem episcopus;

2° Eos multum diligit, v. 26;

3° Maturius non rediit ad eos, quia periculose ægrotavit, v. 27;

4° Eos suo adventu lætos reddet, v. 28;

5° Magna est æstimatione dignus, v. 29;

6° Eximium virtutis dedit documentum, quando, cum vitæ periculo, Romam venit, ut, Philippensium vice, Paulum adjuvaret et consolaretur, v. 30.

§ 3. *Præmunit eos contra judaizantium doctrinas et mores, suique apologiam facit.*

III, 1-IV, 1.

1 * De cetero fratres mei gaudete in Domino.

Eadem vobis scribere, mihi

[1] Ceterum, fratres mei, sive in adventu Epaphroditi, sive in aliis rerum adjunctis, gaudete, gaudio spirituali, tamquam veri christiani, Christo uniti.

Sed antequam finem scribendi faciam, oportet vobis tradere monita quædam contra Judaizantes, de quibus jam ante in alia epistola egi. Eadem vobis scri-

1. De cetero : το λοιπον, ut plerumque, formula est ad finem properantis. Volebat jam Apostolus, post gratiarum actionem de accepta pecunia, quæ infra IV, 8 sqq. legitur, epistolam concludere. Sed subito incidit cogitatio de Judaizantibus, qui doctrina falsa pravisque moribus Philippenses seducere poterant : ideo inchoatam abrumpit conclusionem, et contra pseudodoctores istos monita quædam inserit. Parænesim autem *gaudete in Domino,* resumit infra IV, 4.

In Domino, idem ac *in Spiritu sancto,* Rom. XIV, 17: gaudium enim illud de quo loquitur Apostolus, alibi, sc. Gal. V, 22, inter *fructus Spiritus sancti* recensetur; ergo intelligitur gaudium *spirituale,* quod oritur ex *amore Dei :* de hoc gaudio scribit s. Thom. 2ª 2æ, q. 28. Gaudium est quasi compendium Evangelii (hæc vox proprie sign. *lætum nuntium*), ut patet ex Luc. II, 10 *Evangelizo vobis gaudium magnum* etc. Unde " gaudium proprie dictum " bonorum et piorum est (s. Aug., De civ. Dei 14, 8), " illorum nempe in quibus præsens est Deus, qui solus est bonum verum, ex cujus præsentia oritur omnis lætitia vera. Gaudium istud auferre non possunt tribulationes hujus vitæ : quare s. Paulus 2 Cor. VII, 4 : *Superabundo gaudio,* ait, *in omni tribulatione nostra !* Et Apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. V, 41). Ideo Christus prædixit Apostolis, in sermone post Cœnam Joan. XVI, 20, fore ut *flerent,* sed simul asseveravit tristitiam eorum *convertendam* esse *in gaudium.* Sancta lætitia utilissima est viro christiano : *Secura mens quasi juge convivium* (Prov. XV, 15); contra *in mœrore animi dejicitur spiritus* (ib. 13).

Eadem. Noli referre ad præcedentia hoc sensu : rursum, ut jam feci (II, 18), vos ad gaudendum adhortor; sed refer ad sequentia : rursum volo vos contra Judaizantes monere. *Rursum,* juxta Allioli nectitur cum I, 27-30;

quidem non pigrum, vobis autem necessarium.

3 * Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

bere me quidem non piget, vobis autem confirmandis aptum est.

[2] Cavete a Judaizantibus, qui canibus sunt similes; cavete a malis istis operariis; cavete ab illis pseudo-Judæis non

s. Thom. autem ita: ut feci quando vobis prædicavi, vel (quod addit Estius) quando ad alios, v. g. ad Romanos, ad Galatas, scripsi. Sed sensus probabilior est: ut feci in præcedenti quadam epistola; puta, in epistola quæ fuerit deperdita: ita Beel., Bisp., Reischl. Nec sane mirum videri debet s. Paulum, qui pecuniæ subsidium ab eis jam bis (cf. IV, 16) acceperat, ante hanc epistolam grati animi benevolentiam scripto testatum fuisse. Sic 1 Cor. V, 9 notavimus epistolam aliquam ad Corinthios etiam periisse. Cf. intr. gener. in ep. Paul. § 2. — Necessarium : ασφαλες, *tutum*, sc. activo sensu : *utile ad vos tutandos.*

2. Hæc verba acerbissima a dulcissimo totius epistolæ sermone adeo aliena sunt, atque tam abrupte illabuntur, ut probabile sit ea desumpta fuisse ex deperdita illa epistola.

Videte, βλεπετε, non vertendum erat per *cavete,* quia non construitur cum απο. Ceterum in paraphrasi (quæ, natura sua, multum a *versione* differt) sensus recte exprimitur per *cavete :* non enim ob aliam rationem eos attendere debebant, quam ut ab eis caverent. Trina repetitio vocis *videte* orationis vim adauget.

Canes. Judæi, gens sancta, quibus canis erat animal impurum, eo nomine designabant gentiles, utpote tales qui non essent de gente sancta. Cf. Matth. XV, 26. Similiter, qui ad Ecclesiam non pertinent, sunt profani, et proin *canes* hoc sensu dici possunt (Apoc. XXII, 15 *foris canes*) : atqui Judaizantes, propter gravissimum errorem in quo versabantur, extra Christum (Gal. V, 4) et extra Ecclesiam erant, et ideo ab Apostolo *canes* vocantur. Præterea, apud omnes gentes canis habitus fuit tamquam symbolum hominis impudentis, mordacis, ad furorem et invidiam proni: tales autem fuisse Judaizantes, ex variis N. T. locis eruitur. *Mali operarii,* iidem intelliguntur ac *canes* isti : merito ita appellantur qui domum Dei suo opere destruebant, potius quam ædificarent. Etenim Ecclesiæ fundamentum, quod est Christus, evertebant, quum negarent ab ipso pendere salutem nostram.

Concisionem, abstr. pro concreto, i. e. *concisos.* Eos vocat *concisos,* loco *circumcisos,* per contemptum, utens paronomasia quæ ironia non vacat. *Male circumcisi* erant isti, quia circumcisio vera, bona, sancta, salutaris, ea erat quam Apostolus alibi (Rom. II, 29) vocat *cordis circumcisionem,* quam

3 * Nos enim sumus circumcisio,
qui spiritu servimus Deo, et
gloriamur in Christo Jesu, et
non in carne fiduciam habentes.
4 * Quamquam ego habeam
confidentiam et in carne. Si
quis alius videtur confidere in
5 carne, ego magis, * circumcisus

recte circumcisis. [3] Etenim nos soli sumus circumcisi veri; nos, qui per Spiritum s. ex animo, non ut isti, externis legalium observantiis, Deum colimus; et qui in Christo Jesu, salutis nostræ causa, adeoque fiduciæ auctore, gloriamur; et proinde, non, ut isti, in carnali circumcisione fiduciam ponimus, quasi ex ea pendeat salus nostra.

[4] Non ita loquor, quia prærogativas illas carnales non habeo; nam mihi quidem, etiam hac in parte, causa gloriandi minime deest, quum eas magis quam alius quispiam possideam. [5] Nimirum

habebant ii qui per Christum in Baptismo erant renati et sanctificati : hujus enim sanctificationis internæ nonnisi figura erat circumcisio Judæorum carnalis; sed, ubi advenit res ipsa seu veritas, cessavit figura; quamobrem mala erat circumcisio, si, post Christum promulgatum, quis sanctificationem animæ et salutem æternam ex ea adhuc quærere volebat : hoc autem faciebant Judaizantes, et ideo dicuntur *prave circumcisi* seu *concisi* (Flandr. *niet besneden maar versneden*). " Cum legitimum non sit quod " faciunt, nihil aliud est quam carnis *sectio* et *concisio* (s. Chrys.). " *Circumcisio*, ait Estius post s. Chrys., arte fit ad rem purgandam et exspoliandam, *concisio* vero temere et cum destructione rei. Similis reperitur paronomasia Gal. V, 12, ubi optat Apostolus ut Judaizantes non solum *circumcidantur*, sed *abscindantur*, i. e. evirentur.

3. Nos, initio sententiæ, emphasim habet : *non isti, sed nos, et nos soli.* — Circumcisio vera: Rom. II, 28 *Non enim qui in manifesto, Judæus est* etc.

Spiritu servimus Deo. Huic Vulgatæ lectioni concinit textus græcus Receptus, seu editio Complut. : sed longe probabilior est lectio : Πνευματι Θεου (loco Θεῳ), quod vertendum est *Spiritu Dei servimus;* non *Spiritui Dei servimus;* adeo ut πνευματι sit dat. instrumenti, non regimen verbi *servire.* Sensus igitur est : *per Spiritum sanctum servimus* supple *Deo :* qui quidem sensus cum Vulgata convenit. Vult dicere: Deo tribuendum esse cultum illum, quem Spiritus sanctus in nobis operatur : Rom. VIII, 14.

4. Solent fere homines in aliis contemnere quæ ipsi nesciunt aut non habent. Ideo Apostolus hæc addit, ut talem suspicionem præoccupet et auferat. Simul hanc arripit occasionem, ut adversus istos Judaizantes criminatores suos, sui apologiam faciat.

5. Octavo die, ergo non proselytus. Ex genere Israel, ergo non ex

octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pha-
6 risæus, * secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela.
7 * Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Chri-

circumcisus sum, et quidem legali modo, die post ortum octavo, non tamquam proselytus aliquis provectiore demum ætate; nec proselyti erant parentes mei, nam progenitus sum e stirpe Israelitica, et ex tribu fidelissima Benjamin; Judæus sum hebraice loquens, ex parentibus hebraice loquentibus, non autem hellenista, a moribus patriæ alienus; præterea, legis Mosaicæ rigorosissimus interpres et observator, utpote Pharisæus; [6] imo vero, ex Legis zelo christianos persecutus sum, nullaque in re, quod attinet ad justitiam legalem, reprehensione dignus sum.

[7] Sed, in iis salutis spem non repono : omnes istiusmodi prærogativas, Christi

parentibus proselytis : ita s. Chrys. — Israel, qui et *Jacob*, pater erat gentis Judææ. De tribu Benjamin, quæ in scissione regni Judaici, post Salomonis mortem, tribui tam regiæ (Judæ), quam sacerdotali (Levi), perpetuo manserat unita. — Hebræus ex Hebræis. Nolim interpretari, *natus Hebræus ex utroque parente Hebræo*, quia id jam comprehenditur in verbis *ex genere Israel :* esset igitur tautologia quædam. Sed, ut videre est in paraphrasi, sequor s. Chrys. : " Poterat quis Israelita esse, nec tamen Hebræus ex " Hebræis : multi enim jam et rem ipsam corruperant, et linguam non " tenebant, aliis admixti gentibus. "

Secundum legem. Hactenus de Pauli ευγενεια, seu originis præstantia; nunc de vitæ ejus instituto. Pharisæus. Pharisæi erant magis orthodoxi quam Sadducæi, quia legem Mosaicam multo religiosius interpretabantur quam illi, eamque majore cum diligentia observabant; ideo etiam apud universam Judæorum gentem majore honore digni habebantur. Cf. Act. Ap. XXIII; 6; XXVI, 5. Videsis not. ad Act. Ap. IV, 1 (4ª ed.). De instituto *Pharisæorum* plura dixi in Comm. s. Matth. (3ª ed.) q. 150-162.

6. Sine querela : αμεμπτος, *irreprehensibilis*.

7. Detrimenta : nam hujusmodi prærogativæ Judæos ad superbiam sæpe excitabant, et causa erant quare isti fidem Christi amplecti nollent. S. Chrys.: " Cum Lex nos abducit a Christo, tunc damnum est : quod si " adducat, non item. Propterea inquit *propter Christum.* "

8 stum detrimenta. * Verumtamen
existimo omnia detrimentum
esse propter eminentem scien-
tiam Jesu Christi Domini mei:
propter quem omnia detrimen-
tum feci, et arbitror ut stercora,
9 ut Christum lucrifaciam, * et
inveniar in illo non habens
meam justitiam, quæ ex lege
est, sed illam, quæ ex fide est
Christi Jesu: quæ ex Deo est
10 justitia in fide * ad cognoscen-

causa, ut in ipsum solum sperarem, inutiles, imo noxias, reputavi. [8] Et, non tantum id existimavi olim, sed et nunc quidem illa omnia abjicio, ut bona assequar præstantissima, quæ sola confert cognitio Jesu Christi Domini mei dilectissimi. Etenim omnium illorum jacturam feci, imo tamquam stercora contemno, Christi causa, ut ipsum possideam, et magis magisque eo fruar; [9] ut membrum fiam corporis ejus mystici; adeoque ut justificer, non per Legis observantiam, quæ justificare non valet, sed per fidem in Christum, quæ sola vim habet divinam nos justificandi; [10] utque tandem eum cognoscam, seu fruar

8. Verumtamen: αλλα μεν ουν (γε non additur in majore parte codicum). Particula αλλα opponit præsens *existimo* præterito *arbitratus sum.* Existimo: græce præponit *και, et existimo,* quæ particula vim auget. — *Scientia* non mere speculativa intelligitur, sed experimentalis, quæ possessionem saltem inchoatam objecti sui continet; nam mox idem clarius dicitur: *ut Christum lucrifaciam.*

9. *Justificatio* quomodo *per fidem* obtineatur, explicavi Rom. I, 17. — Quæ ex Deo est, sc. tamquam e *causa efficiente.* Præclarissime Conc. Trid. sess. 6, cap. 7, varias indicat justificationis causas: " Causa, ait, finalis est gloria " Dei et Christi, ac vita æterna; efficiens vero misericors Deus; meritoria " autem, Dominus noster Jesus Christus; instrumentalis item sacramentum " baptismi, quod est sacramentum fidei; demum unica formalis causa est " justitia Dei, non, qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. "

10. Ad cognoscendum etc. Nonnulli cum s. Chrys. hæc ad proxime præcedentia referunt, adeo ut finis sit propter quem velit Apostolus *inveniri in Christo, habens justitiam ex fide;* sed melius contextui convenit, ut referamus ad v. 8, *omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora;* adeo ut *ad cognoscendum* sit parallelum cum *ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo;* et, in tali supposito, resumitur et explicatur illud v. 8: *propter eminentem scientiam J. C.* — Cognoscendum. Rursum, ut v. 8, intelligitur cognitio experimentalis.

dum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius: configuratus
11 morti ejus: * si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.
12 * Non quod jam acceperim,

bonis quæ ejus cognitio affert, et potentiam accipiam illam supernaturalem, quæ in resurrectione ejus se ostendit. Auxilium dico divinæ gratiæ, quo fretus, cum ipso et pro ipso pati, ipsiusque morientis imaginem in me referre valeam; [11] in eum finem ut, si quo modo possim, ad beatam resurrectionem perveniam.

[12] Quamvis affirmem me omnia abjecisse privilegia Judaica, ut Christum lucrifaciam, non tamen dico me jam accepisse eximium illud bonum, aut

Et virtutum etc. Vera Christi cognitio in eo consistit, ut sciamus eum a mortuis propria sua potestate resurrexisse; similiter vera Christi possessio (seu ejusdem scientia actuosa) consistit in participatione illius potentiæ, quæ in resurrectione ejus præcipue se manifestavit; aliis verbis, in gratia, tum habituali seu sanctificante, tum actuali. Ad Rom. IV, 25 notavimus Paulum ita loqui solere, ut gratiam, seu partem justificationis positivam, Christi tribuat *resurrectioni*, remissionem vero peccatorum, seu partem justificationis negativam, *morti* Christi adscribat.

11. Si quo modo etc. Quia oportet pati cum Christo, si velimus cum ipso glorificari; Rom. VIII, 17. Loquitur dubitans (*si quo modo*), et inde confirmatur doctrina Ecclesiæ de perseverantiæ incertitudine, de qua Trid. sess. 6, cap. 13, et can. 15 et 16. Cf. ann. 1 Cor. I, 8. Adhuc fortius exprimit dubium 1 Cor. IX, 27: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Pariter 1 Cor. X, 12: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

12. Non quod, locutio elliptica: *non dico quod* etc. Quamvis affirmaverim, v. 7-11, me renuntiasse omnibus Judaicis prærogativis, ut Christum lucrifacerem, utque in eo invenirer habens justitiam veram etc., nondum tamen id omne accepi quod in Christo est; nondum omnem possideo perfectionem quæ ex justificatione oritur. S. Aug. (serm. 169, 16): " Si nescio quid mihi desit, nescio quid adsit. " — Acceperim: verbi regimen mente supplendum est, et ex v. 7-11 facile colligitur: nondum accepi id omne propter quod privilegia Judaica abjeci, adeoque Christum nondum plene lucratus sum, ejus scientiam, justitiam et gratiam; nondum perfecte consecutus sum similitudinem cum eo in passione et in glorificatione etc. Itaque, non loquitur proprie et directe de præmio gloriæ cœlestis; illud tamen includit,

aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus
13 sum a Christo Jesu. * Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea

metam perfectionis attigisse, verum continuo cursu Christum persequor, tentans si forte possim eum apprehendere; eo quod ipsemet ego apprehensus fui a Christo Jesu, quando me procul ab ipso errantem quasi manu apprehendit, sc. me gratiæ suæ potentia subegit, et sibi devinxit. [13] Repeto, fratres, ego non duco me illo jam potiri; sed id unum ago: obliviscens quidem quæ hucusque bona perfeci, seu quæ a tergo sunt, ad

quum ultima perfectio nonnisi in cœlo obtinenda sit, v. 14. Hæc autem addit ut Philippenses, suo exemplo, ad humilitatem atque sollicitudinem in re salutis adhortetur.

Perfectus sim : τετελειωμαι. Hoc verbum apud Græcos proprium est de cursoribus in stadio, qui metam contigerant, vel de athletis qui superiores in certamine evaserant, ac, victores declarati, propositis præmiis ornabantur. Sensus absque figura est : nondum perfectionem christianam plene assecutus sum.

Sequor : διωκω, *curro post*, supple, illud eximium bonum, propter quod omnia detrimentum feci, quodque in Christi possessione consistit. Itaque *curro post Christum*, qui nempe suæ exemplo vitæ sanctissimæ me in via perfectionis præcedit, necnon et in gloriæ fruitione; eum imitari conor, ut cum ipso fiam perfectus, et in vitæ sanctitate, et in gloria cœlesti.

Comprehendam. Græce est verb. καταλαμβανω, manu apprehendere, et firmiter tenere. — In quo : εφ' ᾡ, hic, ut Rom. V, 12 et 2 Cor. V, 4, sign. *eo quod, propterea quod, quia* etc. — Et comprehensus etc. : *et* sensu non vacat. Quum ego primus a Christo comprehensus sim, decet sane ut *vicissim* coner Christum apprehendere. Comprehensus sum. Valde elegans est hæc ejusdem verbi repetitio in vicinia, sed sub diversa significatione : vide paraphr.

13. Repetit quæ modo dixit, ut ea magis asseveret. Unum autem, supple, *facio* ποιεω. Quæ retro seu a tergo sunt obliviscens, sicut cursor " non quot spatia confecerit cogitat, sed quot adhuc restent " (ait s. Chrys.); namque illud emetiri nihil importat, et interim impetus relaxaretur : sic in via christianæ perfectionis non oportet computare bona opera hactenus adimpleta, aut passiones hucusque toleratas, nam ea Deus non obliviscetur, et

vero, quæ sunt priora, extendens
14 meipsum, * ad destinatum per-

ea vero quæ a fronte sunt protendens caput, i. e. ea tantum considerans, quæ in opere salutis adhuc præstanda sunt,
14 celerrime curro, per Christi gratiam,

nos inde retardaremur, excitato forsitan inanis gloriæ aut superbiæ sensu; forte etiam, dum semper præterita respicimus, futurorum immemores, putaremus nos satis laborasse et processisse; et, eo ipso momento quo id cogitaremus, a recta via deflecteremur: nam verissimum est illud ascetarum dictum: *Non progredi regredi est.* S. Hier. (ep. ad Celant.): " Beati, " ait, qui non sibi de præterita justitia blandientes, secundum Apostolum " (Eph. IV, 23; Col. III, 10) per dies singulos, in virtute renovantur... Ne " de præterita justitia confidens, remissior efficiaris: sed, sicut ait Apost., " *Posteriora obliviscens* etc. " Ad eumdem idearum ordinem spectant verba Christi, apud s. Luc. IX, 62: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Oportet semper *respicere finem* ad quem tenditur, sicut nauta oculos in velum scaphæ defigere debet (fl. *d'oog in 't zeil*). Huc etiam refer s. Aug. (Serm. 50 de temp.): " Ipsa est perfectio hominis " invenisse se non esse perfectum. " Idem (serm. 15 De verbis Apost. juxta A Lap., verum Drach citat Serm. 169, 18): " Proficite semper... Semper " tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi " tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris *Sufficit*, et peristi. " — Idem (De Cant. novo, c. 4): " Tria sunt genera hominum quæ odit (Deus): " remanentem, retro redeuntem, et aberrantem. " — S. Greg. (Hom. 3 in Ezech.): " Sanctorum *incedere* est *mente ire semper ad meliora.* " Sed omnes illas commendationes longe superant ipsa Scripturæ verba (Prov. IV, 18): *Justorum semita, quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.*

EXTENDENS MEIPSUM: επεκτεινομενος (flandr. *voorwaarts uitgestrekt*), pulcherrime depingit cursorem, qui, manibus colloque protensis, et quasi præcipite corpore, ad metam ruit, sine intermissione respiciens *ad ea quæ sunt priora,* et computans spatium quod superest, ut quanto propius sit scopo, eo magis intendat vires cursumque acceleret, seseque viso præmio contra fatigationem roboret et ad novos excitet conatus. Sic in studio religiosæ perfectionis nihil utilius est, quam frequenter coram oculis mentis habere finem excellentissimum ad quem tendimus, seu bravium salutis quod nobis promittitur et quasi conspiciendum nobis ostenditur. Qui *respicit finem non peccabit in æternum,* imo vero in sanctitate quotidie majore cum divina gratia proficiet atque perseverabit.

14. DESTINATUM: σκοπον. *Scopus* autem est Christus; ejus possessio per

sequor, ad bravium supernæ vo-
cationis Dei in Christo Jesu.
15 * Quicumque ergo perfecti
sumus, hoc sentiamus : et si
quid aliter sapitis, et hoc vobis
16 Deus revelabit. * Verumtamen
ad quod pervenimus ut idem

ad metam, i. e. ad præmium ad quod Deus me cœlitus vocavit.

[15] Quicumque ergo inter perfectiores sumus, ita sentiamus de perfectione constanter augenda. Si autem hucusque aliter censuistis, spero fore ut Deus etiam hanc veritatem vobis revelet, sicut jam plures alias vos edocuit. [16] In-

gratiam est perfectissima sanctitas, ejusque possessio in gloria cœlesti, felicitas maxima; qua in re consistit bravium salutis.

In Christo Jesu, refero ad *persequor* cum s. Chrys. : " In Christo Jesu, " ait, hoc facio. Non enim sine illius impulsu tantum spatii conficere fas " est ; multo opus est auxilio. " Potest etiam necti cum *vocationis Dei*, hoc sensu : curro ad bravium, ad quod Deus me in Christo manentem, seu in Christo viventem, vocavit.

15. Perfecti, non eodem sensu ac v. 12 *perfectus*, nam secum pugnaret Apostolus; adeoque intelligitur perfectio quædam relativa, quam habent ii christiani, qui non sunt amplius parvuli in Christo, sed jam facti sunt spirituales, quasi adulti in Christo. Cf. 1 Cor. II, 6; XIV, 20.

Si quid aliter sapitis, si existimatis vos eam perfectionem jam attigisse, ulteriusque proficiendum non esse. Et hoc vobis Deus revelabit : vide paraphr. Comiter et affectuose loquitur; simul docet humilem sui æstimationem esse Dei donum.

16. Probabilior hujus versiculi lectio est : πλην εις ὁ εφθασαμεν, τῳ αυτῳ στοιχειν, *interim, ad quam perfectionem jam pervenimus, secundum hanc incedamus ;* i. e. interea temporis, antequam Deus ostendat novum sanctitatis gradum, ad quem oporteat ascendere, perseveremus fideliter in ea vitæ perfectione quam jam cognoscimus. Verbum στοιχειν est infin. loco imperativi : Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 45, 7. Hanc lectionem referunt codd. AB, vers. coptica, sahidica, æthiopica etc. Verum codd. DEFG addunt το αυτο φρονειν, quod videtur glossema ex II, 3. Editio Complutensis addit præterea vocabulum κανονι post στοιχειν, quod certe ex Gal. VI, 16 desumptum fuit. Cum hac ultima lectione concinit Vulgata, nisi quod ordinem verborum mutet; nam *idem sapiamus* ponit ante *in eadem permaneamus regula.*

Ut idem sapiamus, non videtur ad rem, quia monitum generale de studio perfectionis traditur. Quare, ut modo diximus, opinamur esse glossema, quo quis voluerit explicare verba : *in eadem permaneamus regula.*

sapiamus, et in eadem permaneamus regula.
17 * Imitatores mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam
18 nostram. * Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) ini-
19 micos crucis Christi : * quorum finis interitus : quorum Deus

terim vivatis secundum eam cognitionis rationem ad quam jam pervenistis.

[17] Me, sicut alii faciunt, imitamini, fratres, et observate eos qui vitam instituunt meæ agendi rationi consentaneam, eosque sequimini. [18] Bona illorum inspicite exempla, ut malis aliorum exemplis non seducamini. Dantur enim multi qui, ut sæpe vobis dixi et nunc cum lacrymis rursum dico, per vitam mollem et lautam, constituunt se Christi crucifixi adversarios; [19] quorum finis erit æterna damnatio, quia ventri suo tamquam

17. IMITATORES. Græce *co-imitatores.* Vide paraphr. Pastores debent prælucere bono exemplo : 1 Tim. IV, 12 *Exemplum esto fidelium in verbo* etc. Pariter 1 Petr. V, 3 *Forma facti gregis ex animo.* — SICUT HABETIS. Græce *sicut nos habetis exemplum ;* ad exemplum quod vobis præbemus, et olim præbuimus, quando apud vos eramus. In plurali loquitur (*nos* ἡμας), forsitan ideo quod alios adjutores, v. g. Timotheum, sibi consociet. Cf. not. in 2 Cor. I, 4.

18. ENIM. Ratio, quare bona exempla Apostoli aliorumque inspicere debeant, hæc est, illis non deesse exempla mala. — AMBULANT. Supplet Estius *longe aliter,* sed verbum *ambulant* absolute ponitur; post *flens dico,* supple esse, et junge cum *inimicos Christi.* — SÆPE DICEBAM, puta, quando vobis aderam. — FLENS DICO. Quam tenerrima Pauli erga eos sollicitudo ! " Ne videatur ex odio dicere, præmittit suam affectionem (s. Thom.). "

INIMICOS CRUCIS. Græce cum articulo : istos inimicos crucis. Non intelligit tales qui Christo crucifixo in doctrina sunt oppositi, adeoque non Judaizantes istos, de quibus supra v. 2 loquitur, et contra quos scribit in ep. ad Galatas, qui negabant salutem per merita mortis Christi obtinendam esse : sed, ut patet ex verbis sequentibus, vult eos significare qui, per vitam luxuriosam, Christo in cruce morienti, ejus passionibus, mortificationibus, humiliationibus etc., *practice* adversantur : verbo, malos christianos (Beel., Bisp.).

19. QUORUM FINIS INTERITUS. Statim ab initio solerter exprimit id quod magis terrere potest. — DEUS VENTER EST, quorum summum bonum consistit in ventris expletione : Rom. XVI, 18 *Hujusmodi... Domino... non*

venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.
20 * Nostra autem conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum
21 nostrum Jesum Christum, * qui reformabit corpus humilitatis

deo cuidam inserviunt, et gloriam suam in rebus turpissimis collocant, et nonnisi terrenos habent affectus.

[20] Altera deinde ratio, quare nos imitari debeatis hæc est : quia tamquam cœlorum cives vivimus; non autem terreni sumus, ut isti perversi; adeoque nonnisi bonis cœlestibus inhiamus. Et jure quidem merito, quum etiam e cœlo nostrum exspectemus salvatorem, Dominum N. J. C., [21] qui corpus nostrum humile, vile, et corruptibile transfor-

serviunt, sed suo ventri. — In confusione. S. Chrys.: " In quibus oportebat eos pudore suffundi, seque occultare, in his se efferunt; " gloriantur de vita sua molli, voluptuosa, quum de ea erubescere deberent.

20. Autem. Græce *γαρ, enim;* altera ratio quare Apostolum ejusque æquales debeant imitari. Prima ratio datur v. 18, ut notavimus ibi. — Conversatio : *πολιτευμα, municipatus,* vel *municipium;* idem est ac civitas nostra veri nominis, patria nostra vera.

In cœlis est. Indicatur vel *Jerusalem* illa *spiritualis,* de qua Gal. IV, 26, vel *civitas futura,* de qua Hebr. XIII, 14, seu Ecclesia triumphans. Ad hanc autem jam inchoative pertinent omnes qui in statu gratiæ vivunt, quia *gloriæ semen est gratia.* Vult igitur dicere : nos imitemini, quia nos vivimus tamquam cives civitatis cœlestis; terrenorum omnium quasi obliti, nonnisi bona illius civitatis cupimus, vitamque prorsus sanctam, ut cœlorum incolæ, ducimus. S. Bern. (De præc. et dispens. 20, 60) : " Spe jam " in cœlestibus habitamus, cum adhuc reipsa in terris peregrinamur... " Neque enim præsentior spiritus noster est ubi animat, quam ubi amat; " nisi forte putetur esse magis, ubi invitus et ex necessitate tenetur, quam " quo sponte et alacri fertur voluntate. Denique *ubi est et thesaurus tuus,* " *ibi est et cor tuum.* "

Unde etiam exspectamus etc. Hæc addit ut eos ad imitationem suam magis incitet; quasi diceret : verum est nos malis sæpe affligi et deprimi, sed hæc ab imitatione nostra vos deterrere non debent; nam e cœlo exspectamus eum qui nos aliquando glorificabit.

21. Reformabit : *μετασχηματισει, transformabit, transfigurabit,* corporis habitum (*σχημα*) penitus immutabit : nota tamen illud corpus transformatum et glorificatum futurum esse idem numero ac corpus quod nunc

nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

mabit, suoque corpori glorioso simile reddet : quod faciet per potentiam illam, qua potest sibi omnia subjicere, adeoque et omnia in melius transformare.

CAPUT IV.

1 * Itaque fratres mei charissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea : sic state in Domino, charissimi.

[1] Itaque, quum gloriosa resurrectio et æterna felicitas finis sit vitæ vere christianæ, et contra, impii in perditionem ruant : obsecro vos, fratres mei dilectissimi ac desideratissimi, vos qui causa estis gaudii mei, et cœlestis meæ remunerationis, perseverate in illa, quam dixi, vita vere christiana, charissimi !

Analysis cap. III, 1-IV, 1.

Apostolus, hac usus opportunitate, Philippenses monet contra pseudo-doctores Judaizantes, qui negabant Christum esse salutis

gerimus, substantia ejus eadem permanebit, sed dotes seu qualitates longe meliores erunt : nunc corpus est corruptibile, ignobile, infirmum et animale, tunc vero erit impassibile, clarum, agile et spiritale. Cf. not. in 1 Cor. XV, 35-50.

Corpus humilitatis nostræ : *της ταπεινωσεως ἡμων*, humiliationis, afflictionis nostræ, i. e. corpus nostrum persecutionibus hominum, ac miseriis naturæ humanæ obnoxium, corpus humile, vile, ignobile, passibile, afflictum, etc. Hoc autem opponitur *corpori claritatis*, i. e. corpori glorioso.

Configuratum etc. : non utique quoad gloriæ *quantitatem*, sed quoad *qualitatem* solummodo (Theod.). — Secundum, etc. Christus justorum corpora in forma gloriosa a mortuis suscitabit, quando omnes adversarios suos penitus sibi subjiciet et destruet; ergo, quando plene destruet peccatum ejusque effectus omnes. Cf. 1 Cor. XV, 25 sqq.

IV, 1. Itaque : *ὡστε*, hunc versiculum, per modum conclusionis, præcedentibus arcte annectit; jam absolvitur adhortatio quæ III, 17 inchoata fuit : *Imitatores mei estote, fratres.* — Sic, sicut me, et eos qui me imitantur, scitis ambulare; sicut vivimus, nos qui cives sumus cœlorum, etc. — State : de perseverantia cf. supra I, 6. — Charissimi, ex tenerrimo amore repetitur.

auctorem, omnemque salutis spem in legis Mosaicæ observantia collocabant; quorum mores etiam pessimi erant, et viro christiano prorsus indigni. Igitur fideles ab istorum errore ac mala vivendi ratione avertere conatur; et, quum ab istis Judaizantibus dignitas sua et auctoritas impugnentur, nonnulla etiam inserit quibus sui ipsius apologiam faciat.

Incipit per oratoriam cautionem, v. 1.

Judaizantes graphice depingit tamquam doctores falsos et pravos, v. 2 et 3.

Suimetipsius apologiam facit adversus eos, v. 4-14; et, dum se ostendit irreprehensibilem, vita vere sancta et perfecta viventem, Philippenses ad sui imitationem adhortatur; adeoque eos a pravis Judaizantium moribus avertit : v. 15-18.

Ut autem illud efficacius obtineat, in memoriam revocat ab una parte perditionem æternam malorum, et ab altera parte justorum gloriosam resurrectionem : v. 19-21. Conclusio IV, 1.

Si velimus varia recolligere morum præcepta vitæque sanctioris documenta, quæ in hoc capite sparsa reperiuntur, sequentia distinguenda erunt :

1° Cavendum est ab iis qui falsa docent, vel prave vivunt, v. 2.

2° Cultus divinus sit vere interior; non autem in solis actibus aut ceremoniis exterioribus consistat, v. 3.

3° Ut Christum lucrifaciamus, parati simus rei cujusvis terrenæ jacturam facere, v. 7 et 8.

4° Adjuvante Dei gratia, debemus pati cum Christo, ut cum ipso quondam gloriemur, v. 10 et 11.

5° In via perfectionis quotidie progredi oportet; qui dicit : Sufficit, deficit : v. 12-14.

6° Observemus christianos sanctioris vitæ, ut eos imitemur, v. 17.

7° Expellamus affectus terrenos, qui ad gulam et impudicitiam conducunt; contra, cœlestia induamus desideria, et quemadmodum cœlorum incolæ vivere conemur : v. 19 et 20.

§ 4. *Monita varia, et gratiarum actio.*

IV, 2-23.

2 *Evodiam rogo, et Syntychen deprecor idipsum sapere in Do-
3 mino. *Etiam rogo et te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adju-

[2] Evodiam pariterque Syntychen adhortor, ut ambæ concordiam servent vere christianam. [3] Næ, te etiam rogo, o mi germane collega, qui apud Philippenses apostolatum meum prosequeris, eas ad concordiam adjuva; illæ enim mulieres tuo dignæ sunt obsequio speciali; nam ad Evangelii propagationem mecum laborarunt, quemadmodum et

2. Evodiam et Syntychen, duas mulieres; patet ex v. 3 *illas*. Fuerintne diaconissæ, non certo constat, attamen videtur aliquatenus innui v. 3. Nescimus quare duas illas singulariter moneat Apostolus, quum supra I, 27 et II, 2 sqq. jam omnes ad concordiam exhortatus sit; forsitan istæ causa erant discordiarum. — Rogo.. deprecor. Græce bis idem legitur verbum παρακαλω: hoc innuere videtur utramque in culpa fuisse.

3. Etiam, refert lectionem και, sed oportet legere ναι, *næ*, cum omnibus codicibus uncialibus. Confirmat (*næ*) monitionem, collegæ sui auxilium expostulans.

Compar: συζυγος. Quum hæc vox adhibeatur etiam de feminis, Clemens Alex. aliique intellexerunt Pauli conjugem: sed obstat tum adj. mascul. γνησιε (non γνησια, quod foret femin.), tum 1 Cor. VII, 8, tum traditio constans de Pauli cœlibatu. Igitur, designatur aliquis Pauli collega insignis, forsitan nomine *Syzygus*, qui dicitur *germanus*, i. e. reipsa talis quem significat appellatio ejus, verus consors seu socius (συν et ζυγος). Alii intelligunt illum qui Philippensium ecclesiæ præerat, cujusque nomen ignoramus. Probabile mihi non videtur Epaphroditum, epistolæ hujus latorem, indicari; nam, vel rem ei commendasset oretenus, vel, si auctoritatem in hunc finem apud Philippenses ei tribuere intendisset, expressius sane id significasset.

Quæ, αἵτινες, *quippe quæ:* ratio suggeritur. Mecum laboraverunt: συνηθλησαν, *pugnaverunt;* nam labor ille erat verum certamen, cum adversarios impugnare oporteret. — Cum Clemente, refer ad *laboraverunt*, non ad *adjuva;* ut colligitur ex ipso vocabulorum ordine. Jam vero *Clemens* ille, secundum antiquam traditionem, est s. Clemens Romanus, Roma-

toribus meis, quorum nomina
sunt in libro vitæ.
4 * Gaudete in Domino semper:
5 iterum dico gaudete. * Modestia
vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus prope est.

Clemens ceterique adjutores mei, quorum nomina hic non scribo, quia, quod melius est, scripta sunt in libro vitæ.
[4] Gaudete semper in Christo, cui incorporati estis, quique fons est veri gaudii; iterum dico, gaudete. [5] Benignitas vestra sese manifestet erga omnes absque discrimine.

norum Pontificum quartus: quare hic locus in Missali Romano et in Brev. die festo s. Clementis recitatur.

QUORUM NOMINA etc. Vult dicere: Deus eos omnes novit, eosque, propter fidelitatem eorum, æternæ destinat felicitati.

LIBER VITÆ, per metaphoram, dicitur divina prædestinatio ad vitam; quum autem hæc prædestinatio possit esse absoluta et completa, de iis qui in statu gratiæ certo morituri sunt, et vitam obtenturi æternam (sic Apoc. XX, 15; XXI, 27), vel inchoata tantum, de iis qui vivunt in statu gratiæ et adhuc in Christo militant: ideo *liber vitæ* complectitur nomina, tum prædestinatorum ad gloriam, tum prædestinatorum ad gratiam sanctificantem; quorum priora deleri non possunt, posteriora vero delentur per peccatum mortale. Hic sane intelligitur liber eorum qui gratiam justificantem per Baptisma susceperunt. Eodem sensu adhibetur apud Luc. X, 20; et juxta multos in Ps. LXVII, 29. — Sensu figurato dicitur Deus *scribere in libro* istorum nomina, sicut explicat s. Augustinus (De civ. Dei, 20, 15) : " *Neque enim nescit Deus, et in hoc libro legit ut sciat; sed* " *potius ipsa ejus præscientia de illis* (prædestinatis), *quæ falli non potest,* " *liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est ante præcogniti.* "

4. Recipit Apostolus, et majore cum vi repetit, quod dicere inceperat supra III, 1 (vide annot. ib.), quodque ex improviso abruperat.

5. MODESTIA : *το επιεικες*, sign. proprie dispositionem illius qui facile cedit alteri (*επι* et *εικω* *cedo*), qui mitis est, lenis, clemens etc. erga proximum. Minus recte vertit Vulgata per *modestia*. S. Bern. (De div., serm. 18, 2) : " Quid modestia nostra, nisi mansuetudo et patientia est? " Ex hoc loco videmus rigorismum, duramque agendi rationem in proximum, a mente s. Pauli maximopere aliena fuisse. NOTA SIT : *γνωσθητω, innotescat*, puta, experimentaliter.

DOMINUS PROPE EST. Multi hoc referunt ad præcedentia; nimirum vel a/ ad v. 4, quod facit s. Thom. : " Agitur, ait, causa nostri gaudii : homo gaudet de propinquitate amici. " Vel b/ ad ea quæ statim præcedunt : *Modestia vestra* etc., adeo ut ratio sit benignitatis proximo exhibendæ, hoc

6 * Nihil solliciti sitis : sed in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud
7 Deum. * Et pax Dei, quæ ex-

Christus paratus est vos adjuvare, [6] itaque nulla de re sitis anxie solliciti; sed in omni perturbatione, per orationes varias gratiarumque actiones ferventer ac devote Dei auxilium petite; [7] et mox, a sollicitudine liberati, pace, et perfectissima quidem, fruemini; pax enim Dei, quæ, quum divina sit, omne quod

sensu : Christus judex appropinquat, ut nostram humanitatem remuneretur : ita Bisping. Sed, quum ad supremum judicium indicandum plerumque adhibeatur locutio *dies Domini* (1 Cor. III, 13; V, 5; 2 Cor. I, 14; Phil. I, 6, 10; II, 16; 1 Thess. V, 2; 2 Thess. II, 2), sententia Beelen, qui ad sequentia illud refert, probabilior nobis videtur.

6. Sed in omni, sc. *re;* non, *in omni oratione;* nam græce est εν παντι, τη προσευχη, non εν παση προσευχη. Igitur in Vulgata ponendum esset comma post *omni.* — Oratione et obsecratione. Duas adhibet voces synonymas, cum duplici articulo, ut omnis generis preces significet.

Cum gratiarum actione. Christianorum preces ita fieri debent, ut simul gratiæ agantur de beneficiis acceptis, et nova pro futuro petantur auxilia. Animi gratitudo vim postulationum multopere adauget : atque e contrario, " qui ingratus est de beneficiis acceptis, indignus est ut alia accipiat " (s. Th.). " De gratiarum actione cf. Eph. V, 20.

Innotescant. Dicitur Deus *cognoscere* quæ probat, *nescire* vero quæ improbat (Estius) : innuitur itaque preces fervidas ac devotas esse debere. Quare addidi in paraphrasi *ferventer ac devote.*

7. Pax Dei, qua Deus ipse fruitur, quamque participant ii qui per gratiam sanctificantem in Deo vivunt. Pax autem illa, quum spiritualis sit et interna, imo vero supernaturalis et divina, omnem superat sensum; adeo quidem ut in pace perpetua et perfecta tota beatorum felicitas consistat : quod plenius et fusius demonstrat s. Aug., De civ. Dei, 19, 11 sqq., inter alia dicens : " Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque " mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, " nihil postremo possit melius inveniri. " *Pax* a s. Aug. definitur *tranquillitas ordinis :* inde sequitur veram pacem consistere in ipsius Dei possessione, inchoata in terris, in cœlis vero consummata; namque idem s. Aug. (Conf. I, 1) : " *Inquietum* est, ait, cor nostrum donec *requiescat* in te, Deus. " Et ratio est quam addit : *Fecisti nos ad te* (gall. dicam, si liceat : *Dieu est le centre de gravité de notre âme : c'est en lui seul qu'elle a son équilibre et son repos*). Igitur homo " quanto magis est sanctus, tanto minus patitur

superat omnem sensum, custo-
diat corda vestra, et intelligen-
tias vestras in Christo Jesu.
8 * De cetero fratres, quæcum-
que sunt vera, quæcumque pu-
dica, quæcumque justa, quæ-
cumque sancta, quæcumque
amabilia, quæcumque bonæ
famæ, si qua virtus, si qua laus
9 disciplinæ, hæc cogitate. * Quæ

excogitari aut gustari possit superat voluntates et intelligentias vestras faciet permanenter in Christo esse, ejusque voluntati et intellectui consentaneas reddet.

[8] De cetero, fratres, meditamini et fideliter peragere studete quidquid verum, honestum, justum, pudicum est; quidquid nos amabiles reddit, nobisque bonam famam conciliat; quidquid tandem in numero virtutum habetur, et laude dignum censetur; [9] verbo dicam: quæ didicistis et accepistis a me, quando

perturbationem mentis (s. Th.)." Ideo etiam *non est pax impiis*, Is. XLVIII, 22. Quæ quum ita sint, nemini certe mirum videbitur, in Scriptura s. tam sæpe doceri pacis excellentiam et necessitatem: imprimis Christus in Evangelio, et Apostoli in epistolis suis, pacem semper apprecantur, eamque cum gratia et charitate conjungere solent.

Custodiat: φρουρησει (futurum), *custodiet:* indicatur fructus pacis illius ineffabilis, quæ per sanctas precationes obtinetur. *Et*, non simpliciter conjungit, sed concludit: *atque ita*. Φρουρειν, vox est *militaris*, significans: præsidio militari munio, appositis militibus custodio. Cogitatur vita christiana tamquam militia, ob adversariorum impugnationes. *Pax* autem *Dei* merito dicitur *animum* nostrum *in Christo* et in sanctitate *munire* ac *custodire:* namque " virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, appro-" batur in victoria (s. Bern. Epist. ad episc. Aquit.). "

8. De cetero. Ad finem properans Apostolus summatim tradit omnia salutis monita. — Quæcumque. Sexies repetitur, emphasis gratia. Vera, ad mores spectat, quum omnia sequentia ad mores referantur; adeoque ea intelliguntur, quæ a mendacio et virtutis simulatione aliena sunt. Pudica: σεμνα, honesta, decora, sancta gravitate plena. Justa, ne lædatur jus alterius. Sancta: in textu originali est αγνα, *casta;* Vulgata videtur legisse αγια. Virtus, complectitur *vera, honesta, justa, casta*. Laus vero refertur ad *amabilia* et *bonæ famæ*. Disciplinæ, refert lectionem επιστημης, quod in codd. D*E*FG post *laus* (επαινος) additur: sed glossema est. Hæc cogitate: est apodosis, seu alterum membrum sententiæ. Sensus est: hæc meditamini et facite; cf. v. 9.

9. Eos adhortatur per rationem e sua doctrina suisque exemplis deductam.

et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite : et Deus pacis erit vobiscum.

10 * Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro

docui vos, vel quæ ab aliis de me audistis referre, vel quæ ipsimet vidistis a me agi, ea facite; et Deus pacis auctor erit vobiscum, adjuvans vos pacemque tribuens.

10 Magnopere autem gavisus sum, non more hominum, sed modo spirituali et christiano, quod tandem aliquando, quasi post ariditatem revirescentes, iterum de me solliciti estis; seu, ut accuratius loquar, quod potuistis mihi succurrere; nam semper eratis quidem

10. Autem, δε, transit ad gratiarum actiones ob subsidium pecuniarium acceptum. — Refloruistis pro me sentire : ανεθαλετε το ὑπερ εμου φρονειν. Vulgata sumpsit αναθαλλειν pro verbo transitivo cujus regimen est *pro me sentire,* hoc sensu : *revirescere fecistis illud vestrum sentire pro me.* Sed adesset tunc tacita quædam reprehensio, quæ tali in re a Pauli ingenio abhorret, et pugnat cum contextu; nam mox dicendo : *occupati eratis,* significat absque eorum culpa factum fuisse quod subsidia non misissent. Quare oportet verbum αναθαλλειν *intransitive* (tamquam verbum neutrum) sumere, uti semper apud scriptores bene græcos adhibetur. Sensus est : refloruistis nunc, *quod attinet ad* mei curam habendam.

Reflorescere, seu (quod proprie sign. verbum græcum) *revirescere,* iterum pullulare et germinare, est imago desumpta ab arbore, quæ hieme marcuit et tempore verno rursum germinat, folia, flores fructusque producit, vel ab agris qui post hiemem revirescunt. Hiems illa, quæ liberalitatem exsiccavit, sicut frigus succum plantarum inhibet, quæque impedivit quominus Philippenses consuetos darent Apostolo flores (seu fructus) suæ charitatis, intelligitur tempus durum et adversum in quo non erat eis rerum abundantia. Vox *reflorescere,* ut acute notat s. Chrys., indicat dantes esse qui maximum quæstum faciant : eleemosyna magis utilis est largienti quam recipienti. Cf. ann. in 2 Cor. VIII, 10.

Sicut : εφ' ᾧ, *de quo,* seu *qua de re* (sc. de mei cura habenda) eratis quidem solliciti, sed deerat occasio seu facultas me adjuvandi. Vis est in imperfecto *eratis,* quasi illud opponeret perfecto *refloruistis,* hoc sensu : dico vos iterum de me sollicitos *fuisse,* sed improprie loquor, nam *eratis* antea mei solliciti.

Occupati eratis : ηκαιρεισθε, *opportunitas vobis non erat* (α priv. et καιρος),

me sentire, sicut et sentiebatis: occupati autem eratis.

11 * Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.
12 * Scio et humiliari, scio et abundare (ubique et in omnibus institutus sum), et satiari

de me solliciti, sed propter penuriam vestram deerat vobis facultas me adjuvandi.

[11] Non hæc ideo dico, quod velim queri de meo statu, quasi egestatem passus fuerim: ego enim experientia didici iis quæ habeam contentus esse. [12] Scio, cum eodem animi gaudio, et egestate deprimi, et in abundantia versari; in omnibus usquequaque assuefactus sum et satiari et esurire, abundare

vel opportunitas mittendi (Estius), vel potius opportunitas dandi ob vestram penuriam (s. Chrys.). Non recte vertitur ap. Drach: *vous étiez occupés.* Melius ap. Carrières: *vous n'aviez pas d'occasion de faire paraître vos sentiments de charité.* Præferrem: *les circonstances ne vous le permettaient pas.* Optime Beel. flandr. *het kwam u niet gelegen.*

11. Hæc addit, ne forte putaret quis ejus gaudium ex nimio amore suimet ipsius (ex *egoismo,* ut dicimus) oriri; non, ait, propter me, quia sublevata est egestas mea, sed propter vos, quia opus bonum et meritorium perfecistis, gaudeo.

Sufficiens: αυταρκης (αυτος et αρκεω *sufficit mihi*), qui sibi sufficit, puta, in iis quæ ad vitam sustentandam pertinent; qui aliorum non indiget auxilio; inde, qui sua sorte est contentus, qui contentus est iis quæ habet. Qui ita est animatus, pace cordis et felicitate vera constanter fruitur: nam, ut ait proverbium, *Contentement passe richesse.* Ditissimus hominum ille est qui pauciora ceteris habet desideria. Quo minus egemus, eo magis Deo (qui solus est αυταρκης sensu proprio et stricto) similes sumus, et ad ipsum appropinquamus. Vicissim, quanto magis ad Deum accedimus per pietatem, tanto ditiores reddimur: unde 1 Tim. VI, 6 *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia.*

12. Humiliari, utpote in antithesi cum *abundare,* sign. *inopia affligi.* — Ubique etc. Non sunt pro parenthesi habenda: nam *et satiari* etc. pendent tamquam accus. objecti a verbo *institutus sum.* — Ubique et in omnibus: εν παντι και εν πασι, non pertinent ad *institutus sum,* sed adverbialiter debent sumi: *usquequaque.*

Institutus sum: μεμυημαι, *initiatus sum* in hoc mysterio abnegationis et mortificationis. Nota gradationem in *didici, scio, initiatus sum.* Præclare s. Aug. (De bono conj. 21, 25): " Penuriam pati, ait, quorumque hominum

et esurire, et abundare et penu-
13 riam pati. * Omnia possum in
eo, qui me confortat.
14 * Verumtamen bene fecistis,
communicantes tribulationi meæ.
15 * Scitis autem et vos, Philip-
penses, quod in principio Evan-
gelii, quando profectus sum a
Macedonia, nulla mihi Ecclesia
communicavit in ratione dati et

æque ac penuriam pati; [13] omnia possum in unione cum Christo, qui me gratia intus corroborat.

[14] Attamen bene egistis, quando, de paucis vestris bonis mihi tribuentes, et perinde vos ipsos necessariis fere spoliantes, in societatem venistis meæ afflictionis. [15] Et hoc non semel fecistis, sed olim jam me adjuvistis. Vos, Philippenses, nostis sicut ego, nullam ecclesiam, præter vos solos, mihi succurrisse, aut subsidium dedisse pro ministerio iis impenso, quando in vestra regione Evangelium prædicare incipiebam et

" est, sed *scire* penuriam pati, magnorum est. Sic et abundare quis non " potest? *Scire* autem et abundare, nonnisi eorum est quos abundantia " non corrumpit. "

13. Omnia: *παντα,* non *τα παντα,* quasi sermo esset tantum de *illis* omnibus quæ v. 12 indicavit. — Triumphantis hæc est exclamatio. Audi s. Bern. (In Cant. serm. 85, 5): " Quantæ fiduciæ vox! Nihil omnipotentiam Verbi " clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in se spe- " rant. " — In fine hujus vers. codices D***EFG (FG Χριστου) KL, vers. goth. et syr. addunt Χριστῳ, sicut etiam textus Receptus: glossema videtur ex 1 Tim. I, 12.

14. Hæc addit, ne Philippenses rem supervacaneam, aut parum gratam, fecisse putarent. — Communicantes etc. Miremur hanc ingeniosam scribendi artem. Vide paraphr.

15. Autem, δε, a præsenti beneficio transit ad recolenda præterita, ut tanto magis ostendat se gratum et memorem esse. — Et vos: *et* sign. *etiam vos, sicut ego.* — Quando profectus sum etc. Distinctius explicat tempus quod voluit indicare per verba *in principio Evangelii.* Intelligit autem primum suum e Macedonia discessum, de quo Act. Ap. XVII, 14. — Nulla ecclesia: 2 Cor. XI, 9.

In ratione dati et accepti: locutio venusta, per metaphoram a re mercatoria deducta. Solent enim mercatores, quando cum aliquo commercium mutuum ineunt, sub ejus nomine inscribere ab una parte res datas, et ab altera parte res acceptas. Gall. *Vous seuls eûtes avec moi un compte-courant d'actif et de passif; les autres n'ont que du passif: ils n'ont fait que*

16 accepti, nisi vos soli : * quia et
Thessalonicam semel et bis in
usum mihi misistis.
17 * Non quia quæro datum, sed
requiro fructum abundantem in
ratione vestra.
18 * Habeo autem omnia, et
abundo : repletus sum, acceptis
ab Epaphrodito quæ misistis,
odorem suavitatis, hostiam acceptam,
placentem Deo.
19 * Deus autem meus impleat

Macedoniam relinquebam; [16] imo vero, quum adhuc Thessalonicæ essem, jam semel et iterum vos mihi ministrastis victus subsidia.

[17] Hæc autem non ideo dico quod vestra exspectem dona ; sed studiose quæro ut, quando Deus rationes vobiscum inibit, magnam recipiatis mercedem.

[18] Nunc autem, ad me quod attinet, plenissime habeo omnia quæ necessaria sunt, imo abundo planeque sum repletus, postquam ab Epaphrodito accepi quæ ad me misistis : hæc vero gratissima sunt Deo, velut incensum suavissimum, sacrificiumque acceptissimum.

[19] Deus autem meus, qui bono hujus-

recevoir, sans rien me donner. Vult dicere ipsos solos pro ministerio verbi stipendia temporalia dedisse. Alibi (1 Cor. IX, 11) de hujusmodi subsidio loquitur per metaphoram ex agricultura desumptam.

16. Semel et bis. Non dicit simpliciter *bis;* verum, ut vim augeat : *non tantum semel*, ait, *sed bis.*

17. Laudavit illorum liberalitatem, non sui ipsius causa, ut nova acciperet dona, sed ob eorum utilitatem. Requiro : επιζητω (επι auget vim), *studiose quæro.* — Fructum. Quod mihi dedistis est quasi summa principalis (gall. *un capital*), quam ego ita impendam, ut largam pro ea accipiatis usuram : puta, abundantem meritorum mercedem. — In ratione vestra : persistit in metaphora v. 15 de libro computi. Recte dicimus ad exemplum Apostoli, singulos christianos suis factis sibi librum rationum cum Deo conficere.

18. Habeo omnia, abundo, repletus sum : gradatio. — Odorem... Deo : en Apostolum, qui omnia semper ad Deum refert. Quod dedistis, ait, non mihi dedistis, sed Deo. Cf. Matth. X, 40-42 *Qui recipit vos, me recipit* etc. Videsis Comm. nostr. ad h. l. — Odorem suavitatis : cf. Ephes. V, 2, ubi explicavi hanc metaphoram. — Hostiam. Cf. Hebr. XIII, 16; 2 Cor. IX, 12 *Ministerium hujus officii*, i. e. hujus sacrificii : vide annot. ib. Unde s. Aug. (De civ. Dei 10, 24, 2) : " Profecto, ait, ipsa opera misericordiæ " sunt sacrificia quibus placetur Deus. " De *eleemosyna* longe lateque disputavi 2 Cor. VIII et IX.

19. Deus meus. *Meus*, ait, quia ipse Apostolus donum accepit; ejus igitur

omne desiderium vestrum secundum divitias suas in gloria in Christo Jesu.

20 * Deo autem et Patri nostro gloria in secula seculorum : Amen.

21 * Salutate omnem sanctum

modi opere multum delectatur, pro eo quod me temporalibus replevistis, vos vicissim, secundum abundantissimam suam misericordiam et largitatem, iis omnibus quibus indigetis, per Jesum Christum perfectissime repleat.

[20] Deo autem, qui pater est noster, debita sit laus in universam æternitatem ! Fiat !

[21] Salutate meo nomine, more chri-

Deus id remunerabitur. — IMPLEAT : majorem auctoritatem habet lectio *implebit.* Alludit ad *repletus sum :* vide paraphr. — DESIDERIUM : χρειαν, *necessitatem.* S. Chrys. : " Vide quid precetur. Non dixit : Faciat divites ac " valde opulentos.., sed Ut ne egeatis, sed habeatis quæ vobis opus sunt. "

IN GLORIA, necte cum *implebit,* et sume adverbialiter : splendide, largiter. Forsitan referri potest ad *divitias suas,* quæ sunt *in gloria,* i. e. splendidæ, abundantissimæ, et in persona Christi concessæ. Hæc ultima interpretatio verborum ordini magis convenit, sed accurata constructio postularet articulum του ante εν δοξη.

20. Apostolus ad finem epistolarum sæpe ponit doxologiam (Rom., 1 Tim., 2 Tim., Hebr.). AUTEM, δε, particula transeuntis, non autem adversativa. GLORIA. Græce adest articulus : gloria illa, quæ Deo debetur.

IN SECULA SECULORUM. Notio abstracta æternitatis concrete exhibetur tamquam indefinita quædam seculorum series. Hujusmodi geminatio emphasim denotat. *Secula seculorum,* secula remotissima ; *canticum canticorum,* canticum pulcherrimum ; *sancta sanctorum,* sanctissimum ; *cœli cœlorum,* altissimi cœli ; *vanitas vanitatum,* vanitas maxima. Confer : *amen amen,* verissime, certissime ; *plorans ploravit,* vehementer ploravit ; *exspectans exspectavit,* diu exspectavit ; et similia : *morieris et non vives,* certo morieris ; *eris cæcus et non videns solem,* perfecta cæcitate percutieris etc. — AMEN. Explicatur in Comm. nostro s. Matth. VI, 13 (3ª ed. 1880-1882, 4 vol. in-8).

21. Salutationes tradit in fine omnium epistolarum, exceptis ad Gal., Ephes., 2 ad Thess. et 1 ad Tim.

OMNEM (in sing.) valet : unumquemque, nemine excepto. SANCTUM, christianum ; puta, peregrinum omnem qui forte Philippis commoraretur ; nisi dicamus ad Ecclesiæ ministros sermonem fieri, eisque juberi ut singulis fidelibus salutem dicant.

22 in Christo Jesu. * Salutant vos, qui mecum sunt, fratres. Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt.

23 * Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

stiano (bona spiritualia apprecantes), singulos cœtus vestri christianos. [22] Salutant vos fratres seu amici et adjutores mei, necnon et omnes christiani qui hic Romæ mecum sunt; maxime vero ii qui de Imperatoris (Neronis) domo sunt.

[23] Gratia D. N. J. C. sit cum spiritu vestro! Fiat!

Analysis IV, 2-fin.

Ad finem epistolæ, adhuc tradit varia monita, et gratias agit pro subsidio pecuniario quod Philippenses miserant. Igitur hic paragraphus duas habet partes : I monita, II gratiarum actiones.

I. *Monita*, v. 2-9. Primum dat monitum particulare, quo duas quasdam mulieres ad concordiam adhortatur, v. 2 et 3. Forsitan

In Christo, non ut supra I, 1 cum *sanctum* junge; nam ibi in inscriptione servit ad accuratiorem personarum ad quas scribit designationem; hic autem esset tautologia. Quare referre oportet ad *salutate*, quod suadent Rom. XVI, 22 et 1 Cor. XVI, 19; sensum vide in paraphrasi.

22. Qui mecum sunt fratres. Quum non dicat *adjutores*, ut Rom. XVI, 3, 9 etc., intelligimus, non tantum socios ejus in Evangelico ministerio, sed illos quibus familiarius utebatur.

Qui de domo Cæsaris sunt. Probabiliter indicat quosdam e Neronis famulis aut familiaribus; nam quominus cogitemus Neronis *cognatos*, obstat ex historia compertum non esse quosdam eorum fidem amplexos fuisse. Nec Seneca philosophus, quamvis doctrinæ Pauli non penitus fuerit ignarus, ad christianam religionem se convertisse dicendus est. Cf. Franz de Champagny, *Les Césars*. T. 2, 1, 4, ch. 2. Opinatur s. Chrys. eos fuisse peculiariter nominatos, ut Philippenses, audientes fidem usque in Imperatoris palatium penetrasse, consolatione afficerentur, et majore cum libertate Christum prædicarent : " Erexit ipsos, ait, ac confirmavit, ostendens ad " imperatoriam etiam domum pervenisse prædicationem. "

23. Gratia. S. Paulus in initio et in fine omnium epistolarum, prætërquam in initio epistolæ ad Hebræos, gratiam apprecatur.

quando supra, I, 27 sqq., de concordia scripserat, id oblitus fuerat; vel de consilio ad finem id reservavit, quia hujusmodi particularia generalioribus in corpore epistolæ mixta confusionem peperissent, aut tractationis seriem impedivissent.

Deinde adjicit monitiones generales; nimirum :

1° Ad gaudium spirituale, v. 4;

2° Ad benignitatem, v. 5;

3° Ad orationem, qua, ait, pax Dei obtinetur, v. 6 et 7;

4° Universe ad omnes virtutes, v. 8 et 9.

II. *Gratiarum actiones* pro accepta pecunia, v. 10-19.

1° Gavisus est, sed in Domino, de illorum sollicitudine, v. 10.

2° Eo vel magis quod sciat eos, mox ut potuerint, sibi auxilium præstitisse, ib.

3° Innuit illud auxilium valde opportunum fuisse, v. 11. Obiter tamen monet se hilari animo penuriam sustinuisse, v. 12 et 13.

4° Subsidium dederunt, quamvis ipsi divites non essent, v. 14.

5° Hujusmodi liberalitatem jam pluries exhibuerunt Apostolo, v. 15 et 16.

6° Copiose eos remunerabitur Deus, v. 17; nam opus illud charitatis Deo gratissimum fuit, v. 18.

7° Tanta dederunt subsidia, ut Paulus nunc omnibus abundet, ib.

8° Vota facit eximia pro eorum felicitate, v. 19.

Tandem concludit epistolam, pro more, per doxologiam, v. 20, salutationes, v. 21 et 22, et gratiæ apprecationem, v. 23.

EPISTOLA

AD COLOSSENSES.

Sicut accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate. Col. II, 6.

INTRODUCTIO.

§ 1. De Colossensium Ecclesia.

Colossæ, cujus incolis christianis hæc epistola scripta fuit, urbs erat Phrygiæ, in Asia Minori, ab Hierapoli et a Laodicæa, de quibus mentio fit Col. IV, 13, haud procul distans (1).

S. Paulus fidem Colossensibus ipsemet non prædicaverat; nam, quamvis bis, in secundo et tertio itinere apostolico, ut legitur in Act. Ap. XVI, 6 et XVIII, 23, Phrygiam peragrasset, non tamen Colossas pertransiit, adeo ut incolæ illius urbis ne faciem quidem ejus vidissent (Col. II, 1). Ad eos tamen scripsit, ideo quod eorum ecclesia a discipulis suis, probabiliter ab Epaphra (I, 7, 8, et IV, 12, 13) fundata, et a Marco (IV, 10), quem diu itinerum comitem habuerat, aliisque adjutoribus, ampliata fuisset. Præterea, vinculis amicitiæ conjunctus erat Philemoni (ut patet ex epistola quam simul cum hac ad eum scripsit), et Archippo (quem *commilitonem* vocat, Philem. 2), pluribusque aliis Colossarum viris primariis. Ex

---

(1) Inspice tabulam nostram geographicam Actibus Apostol. (4ª ed.) annexam.

quibus omnibus concludimus, ecclesiam istam mediate tantum ab Apostolo fundatam fuisse, adeoque non *filiam* ejus in Christo, sed quasi *neptem* spiritualem dicendam esse.

§ 2. Scribendi occasio et causa.

Epaphras, quem supra nominavimus, Paulum Romæ in vinculis detentum adiit, eique universum ecclesiæ Colossensis statum exposuit : ab una parte, sanctum in fide et charitate fervorem ibi regnantem ; ab altera autem parte, periculum ingens quod ex doctrina falsa moribusque pravis pseudo-doctorum Judaizantium ei imminebat. Atque hæc fuit causa quare Apostolus epistolam ad eos miserit, nempe per Tychicum, qui simul afferebat epistolam ad Ephesios.

Porro, errores istorum Judaizantium nonnihil differebant a doctrinis illorum, qui oppugnantur in ep. ad Gal., ad Rom., et ad Cor.: etenim pseudo-magistri illi apud Phrygios speculationes quasdam mysticas (quasi *Theosophismum*) tradebant, adeo quidem ut placitis philosophico-theologicis, quæ Gnosticorum sectæ postmodum docuerunt, præluderent, eademque quasi in semine spargerent; admixtis tamen variis Judaicarum traditionum præceptis, puta de circumcisionis aliarumque legis Mosaicæ ceremoniarum necessitate, et similibus, de quibus in præcedentibus epistolis jam diximus.

§ 3. Finis scribentis. — Argumentum et divisio.

Voluit auctor, ut ex dictis colligitur, Colossenses 1° adversus Judaizantium errores præmunire, eosque in vera et sincera Evangelii doctrina magis instituere et confirmare; deinde 2° ipsos contra eorumdem pravos mores monere, et ad sanctitatem vitæ vere christianæ adhortari.

Ut autem eos in fide plenius instituat et confirmet, Judaizan-

tium placita polemice refellit; sed, quum ista tunc temporis adhuc prorsus generalia atque indeterminata essent, tali modo in eorum confutatione procedit, ut omnes hæreses summatim expugnare videatur. Præterea, tenebris erroris veritatis lumen opponit, et præcipua doctrinæ evangelicæ capita dogmatice exponit, simulque demonstrat, œconomiam nostræ salutis excellentissimam atque perfectissimam esse. Deinde eos in charitate et sanctitate erudiens, varia tradit morum præcepta adhortationesque plurimas, quibus omnes et singulos ad continuum perfectionis evangelicæ incrementum stimulet.

Argumentum itaque hujusce epistolæ, quemadmodum fere omnium Pauli epistolarum, duplex est : 1° *dogmaticum*, seu *didacticum* et *theoreticum*, in quo fidei veritates præcipuas docet et illustrat; quod facit duplici modo : a/ *negative*, *polemice* et *indirecte*, placita Judæo-philosophica refellens, et b/ *positive*, *apologetice* et *directe*, excellentiam operis Redemptionis exponens. 2° *Morale* seu *parænetieum* est argumentum, quod ex priore profluit, et in quo, a morte et resurrectione fidelium spirituali progrediens, vitæ christianæ præcepta, quæ diversis conditionibus respondeant, distincte tradit.

Divisio igitur argumenti, — in quantum dividere licet epistolium, quod absque systematica informatione uno quasi impetu ab ingenio æstuante auctoris prorupit, — sequens statui potest.

Pars prior, *dogmatica* cap. I et II; de sublimissimo Redemptionis per Christum mysterio. Post aliquam introductionem seu *procemium* (I, 1-12), in § 1 Apostolus magnitudinem gratiæ per Christi Incarnationem acceptæ exponit, simulque quædam intermiscet (inde a I, 23), quibus suam apologiam contra adversarios Judaizantes faciat : I, 13-II, 7. In § 2 falsam pseudo-doctorum sapientiam arguit, cui salutarem opponit doctrinam de Christo ejusque beneficiis; atque ita materiam in paragrapho primo inceptam persequitur : II, 8-23.

Pars altera, *moralis* (III et IV), continet 1° monita generalia ad vitam sanctam (III, 1-17); et 2° monita particularia, quæ officia

respiciunt tum conjugum (18 et 19), tum parentum et liberorum (20 et 21), tum denique servorum atque dominorum (22-IV, 1); deinde 3° omnes ad sanctam precationem adhortatur (IV, 2-6).

Tandem *epilogus* personalia quædam et familiaria, sc. nuntios, salutationes, mandata, et gratiæ apprecationem, tradit (7-18).

Videsis tabulam synopticam in fine hujus introductionis.

§ 4. Locus et tempus scriptionis.

Cf. supra introductionem nostr. in epist. ad Ephesios, § 5.

§ 5. Authentia.

Tam certa est epistolæ authentia, tam invicte probatur ex argumentis externis [1] et internis, ut nemo umquam, ante exortum nostra ætate *hypercriticismum* rationalistarum biblicorum in Germania, eam in dubium vocare præsumpserit.

Istorum commenta, et prætensas difficultates ex argumentis internis petitas, singillatim confutare operæ pretium non est. Confictam fuisse hujusmodi epistolam adeo mirum esset, ut increduli soli id credere valeant: sufficit eam perlegere, et cum aliis scriptis Paulinis comparare, ut evidentissime pateat opus esse genuinum. « Non est enim, inquit ERASMUS (in annot. ad Col. IV, « 16), cujusvis hominis Paulinum pectus effingere: tonat, fulgurat, « meras flammas loquitur Paulus. » Legantur etiam epistolæ Pauli apocryphæ, v. gr. quæ ad Laodicenses inscribitur, et luce clarius manifestum erit nostram istis accenseri nequaquam posse.

Similitudinem autem magnam, quam habet cum epist. ad Ephesios, in introd. ib. § 4 explicare conati sumus.

---

(1) Testimonia antiquitatis videsis apud cl. Drach.

§ 6. De stylo et pulchrioribus metaphoris.

Quum stylus hujus epistolæ, æque ac ejusdem argumentum, multum similitudinis cum epistola ad Ephesios habeat, in memoriam revocanda sunt quæ de scribendi indole aunotavimus in intr. ibi § 6.

Metaphoras quasdam præclaras indicasse juvabit.

Anima in virtute proficiens comparatur cum arbore quæ *crescit* et *fructificat:* cap. I, 6, 10.

Sanctitas sistitur sub imagine *luminis,* et malitia sub imagine *tenebrarum :* cap. I, 12, 13.

Ecclesia est *corpus* quoddam cujus *caput* est Christus : cap. I, 18, 24 ; II, 19 ; III, 15.

Ecclesia sub imagine *ædificii* exhibetur : cap. I, 23 ; II, 7.

Metaphoræ variæ a re militari desumptæ : cap. I, 29 ; II, 5; III, 15; IV, 12.

Baptismus mors est quædam et *sepelitio* spiritualis : cap. II, 12 ; justificatio vero, in Baptismo accepta, cum *resurrectione* e sepulchro egregie comparatur: cap. III, 1.

Peccatum quod remittitur vocatur *debiti chirographum,* cujus scriptura spongia *deletur,* vel quod *clavis perforatur* : cap. II, 14.

Vetus Testamentum est *umbra* cujus *corpus* est novum Testamentum : cap. II, 17.

Virtutes excercere et vitia fugere exprimitur per *vestem induere* novam veteremque *deponere:* cap. III, 8-10, 12.

Justificatio animæ cum creatione scite comparatur : cap. III, 10.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ AD COLOSSENSES.

Procœmium, quo Apostolus benevolentiam captat et argumentum epistolæ præparat: I, 1-12.

- Pars prior: DOGMATICA. Eximium Redemptionis beneficium contra placita Judæo - philosophica demonstratur. I, 13-II.
  - § 1. Redemptionis excellentia (interjecta Pauli apologia, a I, 23) per triplicem considerationem exponitur: I, 13-II, 7.
    - 1° Ex effectibus;
    - 2° Ex dignitate auctoris;
    - 3° Ex auctoritate Evangelii in quo prædicatur.
  - § 2. Falsa Judaizantium sapientia arguitur: II, 8-23.
    - 1° Doctrina speciosa quidem est, sed vacua; et mentitam præ se ferens sanctitatem.
    - 2° Mosaicæ præscriptiones, quas imponunt, non amplius obligant.
    - 3° Angelos habent ut salutis mediatores.
- Pars altera: MORALIS. Adhortatio ad sanctitatem in dies majorem: III-IV, 6.
  - § 1. Generalia ad vitam sanctam monita: III, 1-17.
  - § 2. Monita particularia de officiis vitæ domesticæ: III, 18-IV-1. Officia
    - a/ Conjugum inter se;
    - b/ Parentum et liberorum;
    - c/ Servorum et dominorum.
  - § 3. Monita ad orationem et prudentiam: IV, 2-6.

Epilogus, familiaria quædam, ut nuntios, salutationes, mandata, et gratiæ apprecationem, continet: IV, 7-fin.

PROŒMIUM.

I, 1-12.

1 * Paulus Apostolus Jesu
Christi per voluntatem Dei, et
2 Timotheus frater: * eis, qui sunt
Colossis, sanctis, et fidelibus
fratribus in Christo Jesu.
3 * Gratia vobis, et pax a Deo
Patre nostro, et Domino Jesu
Christo.

Gratias agimus Deo, et Patri
Domini nostri Jesu Christi
4 semper pro vobis orantes: * au-
dientes fidem vestram in Christo
Jesu, et dilectionem, quam ha-

[1] Ego Paulus, factus Jesu Christi Apostolus, non per humanam delegationem, sed per divinam voluntatem, et Timotheus adjutor meus, [2] scribimus christianis qui sunt Colossis, quique per fidem quam profitentur sunt fratres nostri in Christo [Jesu].

[3] Sit vobis gratia et omne bonum salutare a Deo patre nostro [et æqualiter a Domino Jesu Christo].

Deo, qui Pater est Domini nostri Jesu Christi, gratias semper agimus in orationibus nostris pro vobis, [4] propterea quod audimus magnam esse et fidem quam per Christi gratiam habetis, et dilectionem quam in omnes christianos ostenditis.

1. Timotheus hic, ut ad Philip. et ad Philem., adjungitur; forsitan quia Pauli erat amanuensis in scribenda epistola. Cf. IV, 18.

2. Sanctis est substantivum, non vero adjectivum quod refertur ad *fratribus*.

3. Et Domino J. C. Hæc verba leguntur in codicibus uncialibus ACFG, sed non in cod. BDEKL. Quum facilius concipiatur ea ex locis parallelis, ubi certo genuina sunt, fuisse addita, quam ut possit ratio assignari quare fuissent omissa, si in textu primigenio comparuissent: ideo probabilius glossema dicenda sunt. — Semper, refer ad *gratias agimus*, potius quam ad *orantes:* quotiescumque preces Deo offerimus, semper pro vobis gratias agimus. Hic sensus probatur ex Rom. I, 8 sqq., 1 Cor. I, 4.

4. Audientes, sc. ab Epaphra, v. 8. — In Christo, non *in Christum;* proinde sensus non est: *fides qua in Christum creditis.* Vide paraphr. — Et dilectionem... cf. Ephes. I, 15. Ergo fides et charitas dona Dei sunt, namque, ut ait s. Aug. (De dono pers. 3), " Irrisoria est gratiarum " actio, si ex hoc gratiæ aguntur Deo quod non donavit ipse, nec fecit. "

5 betis in sanctos omnes * propter
spem, quæ reposita est vobis
in cœlis: quam audistis in verbo
6 veritatis Evangelii: * quod per-
venit ad vos, sicut et in universo
mundo est, et fructificat, et cre-
scit sicut in vobis, ex ea die, qua

[5] Ad hanc autem fidem et charitatem vos excitat spes cœlestium bonorum, quæ vobis sunt reservata. Et spes illa firmissima est, nam audistis eam vobis promitti, quando vobis prædicatum fuit Evangelium, quod et infallibilis est veritatis [6] et miræ efficaciæ; quemadmodum enim ad vos pervenit, sic etiam in universum fere orbem Romanum jam propagatum est; imo vero, ubique fructificat et crescit, sicut inter vos fructus in dies majores fert, et quidem jam ab initio

5. Spes *objective* sumitur, pro *bonum quod speratur.* — Tres recensentur virtutes hominis christiani primariæ, nempe *theologales:* fides, spes et charitas. In iilis, ait s. Th., principaliter consistit bonum nostrum; et addit hanc rationem vere profundam: " Per fidem habemus notitiam " Dei, per spem elevamur in ipsum, sed charitate uuimur ei. " Ergo per tres illas virtutes pervenimus ad possessionem Dei, qui solus est bonum nostrum, verum et perfectum, secundum illud Ps. LXXII, 25: *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?... Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum!*

Propter spem etc. Licet igitur in bono operando præmium intueri cœleste; cf. 2 Cor. IV, 18. Imo consultum est hoc facere: " Spes, ait " s. Aug. (Serm. 256,5), lactat nos, nutrit nos, confirmat nos, et in ista " laboriosa vita consolatur nos. " Reposita est... Igitur præmium nostrum est 1° vera res; jam exstat bonum illud, nam sepositum jacet, tamquam thesaurus quidam. 2° Certissima res est, nam thesaurus ille est in cœlis, ubi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt; verbo, ubi nemo potest illum rapere.

6. Quod pervenit ad vos: *του παροντος εις ὑμας.* Constructio prægnans: *quod pervenit ad vos, et adest adhuc apud vos.* — In universo mundo: est hyperbole in variis linguis usitata ad significandum magnum locorum spatium. Apostolus Evangelii efficaciam, ejusque mirificam propagationem obiter notat, ut inde Colossenses in fide firmentur: nam, ait s. Chrys., " Maxime confirmantur multi ex eo quod multos habeant dogmatum socios. " Quo autem firmiores erunt, eo facilius repellent falsam Judaizantium doctrinam.

Fructificat, *intensive* per bona opera quæ in fidelibus producit, et crescit, *extensive* per novas ad fidem conversiones (s. Th., ad ment.).

audistis, et cognovistis gratiam
7 Dei in veritate, * sicut didicistis
ab Epaphra charissimo conservo
nostro, qui est fidelis pro vobis
8 minister Christi Jesu, * qui
etiam manifestavit nobis dile-
ctionem vestram in spiritu:
9 * ideo et nos ex qua die audi-
vimus, non cessamus pro vobis
orantes, et postulantes ut im-
pleamini agnitione voluntatis
ejus, in omni sapientia et intel-
10 lectu spirituali: * ut ambuletis
digne Deo per omnia placentes:
in omni opere bono fructifican-
tes, et crescentes in scientia

vestræ conversionis, sc. ab eo tempore quo veram ac sinceram salutis doctrinam audistis prædicare et amplexi estis.

[7] Hanc autem didicistis ab Epaphra, charissimo nostro adjutore in munere apostolico, qui vobis fidelis est Jesu Christi minister. [8] Ipse etiam notum fecit nobis quantopere nos sancta et spirituali charitate diligatis.

[9] Ideo nos vicissim, mox ut audivimus vos ita erga nos affectos esse, sine intermissione pro vobis precamur, et a Deo postulamus, ut voluntatem ejus plenissime agnoscatis, et perfecta instructi sitis sapientia et prudentia spirituali; [10] præterea, ut huic rectæ intelligentiæ respondeant opera vestra, adeoque digne Deo vivatis, eique in omnibus placere conemini: et proinde ut fructus bonorum operum omnis generis feratis, et in scientia Dei et religionis proficiatis;

In veritate: quod additur, ut a doctrina Judaizantium, quæ in veritate non est, indirecte avertantur.

7. Sicut, refer ad *in veritate;* ideo in paraphrasi diximus: *hanc* (*doctrinam veram ac sinceram*) *didicistis* etc. Epaphræ doctrinam laudat et approbat, ut Colossenses ab ea non recedant. — Epaphras videtur nomen contractum ex *Epaphroditus:* non tamen eadem est persona ac Epaphroditus, Philippensium apostolus, de quo Philip. II, 25.

8. Dilectionem vestram, erga nos (s. Chrys., Bisp.), potius quam (ut Estius, Beel.) erga omnes, de qua v. 4; nam priorem sensum suadet v. sequens, præsertim *et* i. e. vicissim *nos.*

9. Postulantes ut etc. Quam pulchra est hæc s. Pauli oratio, v. 9-12! Paucis continet omnia et singula quæ ad nostram perfectionem spiritualem requiruntur. — Impleamini etc.: "Habetis quidem, ait s. Chrys., sed nondum totum." — Agnitione (επιγνωσις), non simplici *cognitione* theoretica (γνωσις), uti pseudo-doctores, sed practica *agnitione* et adimpletione.

10. In scientia Dei: græce *ad agnitionem Dei.* Ad hanc autem agnitionem in dies majorem nihil sane utilius est, quam bonorum operum exercitium.

11 Dei: * in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia, et longanimitate cum gaudio * gra-
12 tias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine:

11 denique ut divina potentia, quæ tam magna et splendida est, perfectissime corroboremini, summaque cum constantia et longanimitate, imo vero cum gaudio, res adversas toleretis.

12 Petimus etiam ut, Redemptionis beneficium magis magisque agnoscentes, gratias agatis Deo Patri, propterea quod dignos nos reddidit qui haberemus partem in hereditate spirituali christianorum; quæ hereditas consistit in lumine, nempe gratiæ sanctificantis in terra et gloriæ beatificæ in cœlis.

Si fides est radix charitatis, charitas tamen fidem vivam reddit, eamque confirmat et perficit. Sic in natura: arbor quidem est ex radice, sed radix vicissim crescit per arborem, adeo ut quo celsior arbor eo profundior radix.

11. In omni virtute confortati: periphrasis: *perfectissime corroborati.* — *Potentia* autem *claritatis*, seu, ut græce, *gloriæ*, per hebraismum idem est ac *potentia gloriosa, illustris, efficacissima.* — In omni patientia: ὑπομονη, constantia in perferendis malis. *Fortia agere Romanum est,* aiebat Scevola; sed *fortia pati christianum est* (A Lap.).

Cum gaudio, ad præcedentia referimus, quia in eo præsertim consistit christianæ patientiæ virtus, ut cum gaudio res adversæ sustineantur. Sed secundum Vulgatam nostram cum v. seq. nectendum est, quum in ed. Vat. a. 1598 nulla interpunctio post *gaudio* habeatur.

12. In partem sortis sanctorum: *sors* idem sign. ac *hereditas:* namque allusio fit ad divisionem Terræ Promissæ, in qua singulæ familiæ partem suam in perpetuam possessionem (quasi in hereditatem) *sorte* acceperunt. Vox autem illa *sors,* seu hereditas, indicat totum hoc esse ex Dei dono, ut notat s. Chrys. Cf. Eph. I, 11 *Et nos sorte vocati sumus.*

In lumine: spiritualem christianorum hereditatem possessionibus Israelitarum terrenis, adeoque infirmis et tenebrosis, opponit. *Lumen* intelligitur metaphorice de gratia sanctificante, et de gloria cœlesti quæ in gratia tanquam in semine continetur. Cf. 1 Petr. II, 9 *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

Hoc versiculo scriptor ad partem epistolæ dogmaticam solerter transit.

Analysis cap. I, 1-12.

Inscriptio, v. 1, 2, et apprecatio gratiæ, v. 3.

Benevolentiam captat Apostolus, variis modis:

1° Laudans Colossensium fidem et charitatem, v. 3, 4, eorumque opera bona quotidie majora, v. 6.

2° Dicens se frequentissime pro eis orare, v. 3, 9, et quævis bona excellentississima a Deo postulare, v. 9-12[a].

3° Memorans eorum erga se charitatem, v. 8.

Dum ita lectorum benevolentiam lucrari conatur, argumentum epistolæ dogmaticum et morale simul præparat.

Etenim, quod spectat ad partem *dogmaticam*, plura inserit quibus excellentiam Evangelii, ejusque beneficiorum per Christum susceptorum, ostendat. Evangelium, ait, a/ veritatem continet infallibilem, b/ miræ est efficaciæ, quum jam per universum orbem sit propagatum, et ubique florescat, v. 5, 6. c/ Præterea, nobis fons est uberrimus sanctitatis, et piorum operum, v. 9-11; tandem d/ præstantissima cœlorum bona nobis promittit, v. 5 et 12.

Argumentum quoque *morale* præparat, quando dicit se orare ut, digne Deo ambulantes, in omni re ei placere studeant; utque in scientia divina, in bonis operibus, et in adversitatum patienti tolerantia proficiant, v. 9-11.

PARS PRIOR: DOGMATICA.

I, 13-II.

§ 1. *Quanta sint Incarnationis beneficia.*

I, 13-II, 7.

13 ...* qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in

[13] Deus autem, ut nos in lumine vitæ christianæ constitueret, eripuit nos e potestate Satanæ, qui princeps est tenebrarum, utpote ignorantiæ et malitiæ

13. Eripuit nos.., pars justificationis negativa; et transtulit.., pars

regnum Filii dilectionis suæ,
14 * in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:
15 * qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creatu-

auctor; et transtulit nos in regnum Filii sui dilectissimi, [14] per quem nimirum ab ista tenebrarum potestate redempti sumus, sc. remissione peccatorum accepta.

[15] Quanta hujus Redemptoris est excellentia! Ipse est imago absolutissima et substantialis Dei Patris invisibilis, genitus a Patre tamquam lumen de

positiva. — *Potestas tenebrarum* diabolo adscribitur, quia tenebras mentis seu errores, et cordis seu peccata, conatur in homines ingerere; aliis verbis, quia mundo dominatur malo et perverso. Cf. 2 Cor. IV, 4. — Filii dilectionis: hebraismus pro *Filii dilectissimi*.

14. Per sanguinem ejus: glossema, probabiliter ex Eph. I, 7.

15. In verss. præc. beneficium Redemptionis ex effectibus declaravit, nunc vero auctorem ejus commendat. Igitur, exponit dignitatem Christi in quantum est 1° rerum creator omnium, v. 15-17; deinde 2° hominum Redemptor Ecclesiæque caput, v. 18-20. Hæc autem pericopa summi momenti est in re dogmatica, ad demonstrandam Christi divinitatem.

Imago, non sane imperfecta et inanimata, qualis est imago hominis depicta; sed absolutissima, quæ perfecte refert illa omnia quæ sunt in archetypo; igitur substantialis et vivens imago, consubstantialis cum eo (Deo Patre) cujus est imago, Deus verus de Deo vero, lumen de lumine. Metaphora illa (*imago*) convenit Filio quatenus est *Verbum* (Λογος), a Patre procedens per *intellectum*. Cf. annot. in Philip. II, 6. S. Joan. Damasc. (De imag. I. 1): " Filius est imago vivens, naturalis et nullatenus " discrepans Dei invisibilis, totum in se ferens Patrem, omnimodam habens " cum eo identitatem, ac hoc solo discrepans quod sit a principio. "

Dei invisibilis. Additur hoc epitheton, ut insinuetur Deum a nobis videri non posse nisi per Christum, ejus imaginem. Perfecta enim et salutaris Dei cognitio nonnisi per Christi revelationem ejusque gratiam habetur, inchoata in terris, completa in cœlis.

Primogenitus omnis creaturæ: per græcismum genitivus est pro ablativo comparationis; adeo ut sensus sit: genitus a Patre et prior omni creatura, seu genitus ante omnem creaturam. Eccli. XXIV, 5 de Sapientia dicitur: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Comparativus enim latet in adject. *primo*, πρωτος, quod vim habet comparativi πρωτερος, ut Joann. I, 15, 30; Matth. XXI, 28, 36; Act.

16 ræ : * quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso
17 creata sunt : * et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant.

lumine, ante omnes creaturas, adeoque ab æterno ; [16] siquidem in ipso, tamquam causa ideali, creata sunt omnia, cœlestia et terrestria ; proindeque res incorporeæ æque ac corporeæ ; consequenter omnes angeli, variique eorum ordines, æque ac homines, ceteræque creaturæ irrationales : omnia, repeto, per ipsum, tamquum causam effectricem, et ad ipsum, tamquam causam finalem, creata sunt. [17] Quare etiam ipse est ante omnia, omniaque in ipso existunt atque in esse conservantur.

Ap. I, 1. Christus igitur non ponitur inter creaturas, ut contendunt Ariani, eorumque sectatores; obstat enim contextus, quum mox dicatur per ipsum *omnes creaturas* conditas fuisse, ipsumque *ante omnes* exstitisse.

16. Quoniam etc. : probat Christum ante omnem creaturam genitum esse. — In ipso, non prorsus synonymum est cum *per ipsum*. In Verbo sunt ideæ æternæ rerum omnium, seu formæ exemplares secundum quas creatæ sunt res omnes quas Deus creare voluit. Deus enim, cognoscendo se, generat Verbum, et cognoscendo se, cognoscit illa omnia ad quæ se extendit potentia sua creatrix, seu cognoscit se infinitis modis imitabilem ad extra; igitur Deus in Verbo cognoscit omnes creaturas possibiles; et, quum secundum hanc cognitionem operetur ad extra, ideo etiam in Verbo, tamquam rerum omnium causa ideali, exemplari, æterna, omnia creavit. S. Thom. hic, ad ment.

In cœlis... Explicat per partes quod dixit *universa*. Probabile est tacite oppugnari systema pseudo-doctorum, qui, ut videtur, Gnosticismo præludentes docebant naturam corpoream, non immediate a Deo, sed ab angelis fuisse creatam.

Sive throni etc. : explicat quod dixit *invisibilia*. Quatuor enumerat angelorum ordines, quorum denominatio varie a variis explicatur. Cf. s. Thom. *Summ. theol.* P. 1, q. 108, præsertim art. 5. Censent plurimi varios hosce angelorum choros fuisse recensitos, ut doctrina pseudo-doctorum, qui contendebant angelos esse Christo superiores, vehementius impugnaretur. — Per ipsum et in ipso. Græce :... *et ad ipsum.*

17. Ante omnes : *προ παντων*, melius *ante omnia*. Nulla enim datur ratio quare ad solas personas id restringeremus; sed contra, quum neutrum præcedat et sequatur, oportet hic etiam neutrum ponere.

Omnia in ipso constant. Siquidem per ipsum omnia creata sunt, ne-

18 * Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum te-
19 nens. * Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare:

[18] Hæc est Christi dignitas in quantum creator est. Nunc autem quatenus est Redemptor, idem ipse caput est corporis illius mystici, quod est Ecclesia; etenim, cum sit primogenitus resurgentium, principium est resurrectionis quo ad novam vitam, tum gratiæ, tum gloriæ, resurgimus; quod voluit Deus Pater, ut ipse primatum teneat inter omnes creaturas, a fortiori ut caput sit justorum qui ad Ecclesiam pertinent. [19] Benigne igitur voluit Deus ut omnem potentiæ et perfectionis plenitudinem firmissime possideret,

cessario etiam per ipsum omnia in esse conservantur; nam conservatio non aliud est quam creatio quænam continuata. “ Si Deus subtraheret “ suam virtutem a nobis, in momento deficerent omnia (s. Thom.). ”

18. Ecclesiæ. Genitivus appositionis: *corporis, quod est Ecclesia.* Cf. 1 Cor. XII, 12 et Eph. I, 23. — Principium: αρχη, idem ac απαρχη *primitiæ,* 1 Cor. XV, 20; adeo ut *primogenitus ex mortuis* sit explicatio vocis *principium.* Christus primus ad vitam resurrexit immortalem: cf. annot. in 1 Cor. XV, 20.

Primogenitus: vocabulum de industria selectum, quia resurrectio ad gloriam est transitus ad *vitam* novam, adeoque nova *generatio,* seu, ut vocatur Matth. XIX, 28, *regeneratio.* Et hæc quidem vita nova gloriæ cœlestis, est perfecta hominis regeneratio, quæ inchoatur in terra per Baptismum et justificationem. Itaque datur 1° vita naturalis, et 2° vita supernaturalis seu nova, quæ fit per regenerationem: hæc autem duplex est: a/ regeneratio prima per gratiam sanctificantem, b/ regeneratio secunda per gloriam cœlestem. Simili modo datur 1° mors naturalis seu corporis, et 2° mors spiritualis seu animæ. Hæc autem rursum duplex distinguitur: a/ mors prima, per peccatum mortale, et b/ mors secunda, seu damnatio æterna: cf. Apoc. XX, 14.

19. Confirmat verba: *Ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* — Complacuit, sc. *Deo Patri.* Præteritum respicit illud momentum quo Deus, ex sola et gratuita bonitate, Filii sui incarnationem ad salvandos homines decrevit.

Omnem plenitudinem: *plenitudo* i. e. *deitas,* ut liquet ex cap. II, 9. Probabile est, quod notat Bisping, Apostolum ideo adhibuisse vocabulum πληρωμα, *plenitudinem,* quia proprium erat Judaizantibus, qui, ut postea

20 * et per eum reconciliare omnia [20] utque omnia, sive quæ in terra, sive

Gnostici, per *pleroma* intelligebant universitatem Æonum, seu emanationum, e Verbo seu Λογῳ procedentium; atque ita docet, in Christo non unum quemdam Æonem fuisse et ad tempus mansisse, quod contendebant pseudo-doctores isti, sed in eo perpetuo habitasse id omne quod Verbo Dei inest perfectionis; ideoque ipsum esse omnibus Æonibus seu spiritibus et angelis superiorem.

Inhabitare, indicat permanentem esse unionem hypostaticam, quæ in Christo inter naturam divinam et humanam existit. Præterea, verbum *inhabitare* videtur tacite referri ad habitationem Dei in medio populo Israel sub vetere Testamento. Humanitas Christi est quasi templum in quo deitas habitat (Col. II, 9 et Joann. I, 14): quare est antitypus templi Jerosolymitani.

20. Reconciliare : αποκαταλλαξαι, *perfecte* (απο) *sibi conciliare.* — Omnia, nempe, ut ipsemet Apostolus mox explicat, tam *cœlestia* quam *terrestria.* Sensus non est per Christum Deo reconciliatos fuisse angelos lapsos et homines lapsos; sed omnia fuisse Deo reconciliata, per hoc quod stabilita fuerit pax inter cœlum et terram, i. e. inter Deum angelosque ab una parte, et inter creaturas omnes terrestres ab altera parte. " Pacifi-" cantur cœlestia cum terrestribus, et terrestria cum cœlestibus (s. " Aug., Enchir. c. 62). " Quod quidem ut melius pleniusque intelligatur, juvat sequentem addere considerationem.

Homo per peccatum originale factus erat Dei inimicus, adeoque angelis sanctis, qui Dei amici sunt, etiam invisus. Nec solus homo, seu creatura rationalis hujus mundi, sed et res omnes irrationales universæ creationis, per peccatum originale in deterius mutatæ sunt, et corruptioni majori subjectæ; qua de causa omnes egent instauratione quadam seu redemptione improprie dicta. Per Christum autem eam obtinebunt : in pristinum statum, imo vero in meliorem adhuc conditionem, uniuscujusque convenientem naturæ, restituentur tum homines, tum creaturæ mundi physici. Instauratio autem mundi hujus visibilis vix initium quoddam habet in hoc seculo, ut ingeniose et jucundissime exposuit Cochin, in oratione quam coram solemnissimo catholicorum cœtu Mechliniensi habuit a. 1863: plena autem et perfecta erit in altero seculo, quando prius completa fuerit restitutio hominis, quocum mundus materialis cecidit, et quocum resurget. Tunc enim continget glorificatio rerum universarum; tunc erit *cœlum novum et terra nova* (Apoc. XXI, 1); tunc *creatura* irrationalis hujus mundi *liberabitur a servitute corruptionis,* et

in ipsum, pacificans per san-
guinem crucis ejus, sive quæ in
terris, sive quæ in cœlis sunt.
21 * Et vos cum essetis aliquan-
do alienati, et inimici sensu in
22 operibus malis : * nunc autem
reconciliavit in corpore carnis
ejus per mortem, exhibere vos

quæ in cœlis sunt, per ipsum perfecte sibi reconciliaret, et ad eum tamquam ad caput reduceret : omnia nimirum pacificando per sanguirem ejus in cruce effusum.

[21] Proinde vobis etiam pacem secum concessit ; nam cum essetis olim, ante conversionem vestram, alienati a Deo ejusque inimici, propter pravitatem animæ in operibus istis malis, quæ nostis, manifestam : [22] nunc vos Deus sibi reconciliavit per mortem expiatricem, quam Christus in corpore suo

transiet *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Cf. annot. in Rom. VIII, 19-22; et præsertim Ephes. I, 10, ubi locus est plane parallelus : *Instaurare omnia in Christo quæ in cœlis et quæ in terra sunt.*

IN IPSUM: cum Estio referimus ad Christum, ut videre est in paraphrasi. Alii referunt ad Deum Patrem, quasi scriptum fuisset *ad se, sibi reconciliare omnia.* — PER SANGUINEM etc. Causa meritoria reconciliationis sive redemptionis.

21. Quod de opere redemptionis generatim dixit, id nunc ad Colossenses specialiter refert. — ALIENATI, sc. a Deo. Ephes. II, 12: *Eratis... sine Deo... aliquando, longe* ab ipso etc. — SENSU: *τῇ διανοίᾳ,* non necessitate, sed propria mente, seu perversa voluntate.

IN OPERIBUS MALIS. Græce additur articulus ante substantivum, et iterum ante adjectivum, unde magis determinantur opera ista mala. Vult significare opera mala quæ a Colossensibus rite cognita erant, ista nimirum quæ committere solebant ethnici.

22. NUNC AUTEM etc. Scribere volebat: vos etiam, qui aliquando eratis inimici, sibi nunc reconciliavit; sed mutat constructionem, et inserit *autem* ut *nunc* opponat adverbio *aliquando.*

IN COMPORE CARNIS EJUS. Insolita hæc dictio *corpus carnis* sign. corpus mortale, infirmum et passibile. Quidam putant id additum fuisse contra errorem Docetarum, qui Christo nonnisi phantasticum corpus tribuebant; sed, quum aliunde non constet hujusmodi errorem apud Colossenses exstitisse, ideo probabilius est sensum simpliciter esse : per mortem Christi corporalem, non per angelorum interventum, mundum Deo reconciliatum fuisse.

EXHIBERE, infinitivus finis: *ut exhiberet.* De hujusmodi usu infinitivi videsis BEELEN, *Gramm. græc. n. T.* § 45, 4, 6. — EXHIBERE VOS SANCTOS

sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso:
23 * si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo

passibili sustinuit, in eum finem ut vos sanctos, immaculatos, et irreprehensibiles coram se exhiberet.

[23] Hunc autem finem non assequemini, nisi in fide accepta firmiter perseveretis, ei tamquam solidissimo fundamento inhærentes, et nisi vos dimoveri non sinatis a spe bonorum quæ in Evangelio promittuntur. Illud dico Evangelium quod prædicari audistis; quod

ET IMMACULATOS: certe respicit ad sacrificia animalium. — IRREPREHENSIBILES CORAM IPSO, seu potius, *coram se;* nam Deus est subjectum actionis. Subest imago de judicio. In hoc versu redemptorum status duplici modo, positivo (*sanctos* etc.) et negativo (*reconciliavit*) describitur.

23. Sanctitas illa, et irreprehensibilitas coram Christo judice, non a sola pendet Dei operatione, seu a gratia divina, sed simul etiam ab humana cooperatione. Quod significat s. Paulus, cum hanc addit conditionem: si permaneatis in fide et spe, atque etiam, ut mente supplendum est, in charitate.

FUNDATI ET STABILES, junge cum præcedentibus, non autem, ut nonnulli faciunt, cum sequentibus. Metaphora est de ædificio: Ecclesia nempe est Dei templum, cujus lapides vivi sunt singuli fideles; fundamentum objectivum est Christus, subjectivum vero est fides in Christum, et spes bonorum a Christo promissorum. — STABILES. Non sufficit ut ædificium solido nitatur fundamento; oportet etiam ut omnes ejus partes sint firmiter colligatæ, ideoque ut *stabile* in se sit, neque a fundamento dimoveatur. — ET IMMOBILES. Eamdem ferme sententiam repetit modo negativo.

QUOD AUDISTIS... Hæc addit ut magis determinet qua in re debeant perseverare, utque simul rationes tradat quibus nititur perseverandi necessitas. Prima igitur rei definitio, et prima perseverandi ratio est: fides illa, in qua permanere debetis, non est quid incogniti aut incerti, aut per novas pseudo-doctorum prædicationes ampliandi, sed eadem est doctrina quam audistis et accepistis, quando ab idololatria conversi fuistis.

QUOD PRÆDICATUM etc. Secunda rei definitio, et altera ratio perseverandi ea in re: tam prompta et lata fidei propagatio nobis argumentum est veritatis et divinitatis, adeoque ad firmiorem adhæsionem nos excitat.

IN UNIVERSA CREATURA QUÆ... Non oportet in verbis illis sensum abstrusum quærere, quemadmodum fecit s. Greg. (Hom. in Matth.), cum dicit *hominem* ideo designari sub denominatione *omnis* seu *universæ creaturæ*,

est, cujus factus sum ego Paulus minister.

24 * Qui nunc gaudeo in passio-

omnibus fere totius mundi gentibus jam annuntiatum est; quodque idem ipsum est cujus minister divinitus factus sum ego Paulus.

24 Et dignus quidem minister, quippe

quia habet aliquid commune cum omni alia creatura, nempe esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire et se movere cum animalibus, intelligere et amare cum Angelis. Hæc vera sunt et ingeniose dicta: sed ad rem non pertinent, etenim verba *in universa creatura* significant simpliciter *apud omnes gentes*, seu *ubivis terrarum*. Nam quod Marcus (cap. XVI, 15) dicit *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, idem in loco parallelo Matthæus (cap. XXVIII, 19) exprimit per *Docete omnes gentes*. De cetero, adest hic apud s. Paulum hyperbole popularis, ut supra ad v. 6 explicavi.

Cujus factus sum... Tertia rei definitio, quæ simul tertia est ratio ob quam perseverare debeant: fides illa ea ipsa est quam ego, verus Christi Apostolus, prædico. Jam magnum erat Pauli nomen, ut notat Estius, ejusque auctoritas apud Colossenses, et in universa Asiæ Minoris regione circumjacente, erat sane pervulgata.

Si quis velit profundius perscrutari quæ in hac epistolæ parte dicuntur, quatuor Ecclesiæ veræ notas facile reperiet: *unitatem*, quia est corpus Christi unum, v. 18; *sanctitatem*, quia reconciliata et sanctificata fuit, v. 22; *catholicitatem*, quia fides ubique prædicatur, v. 23; et tandem *apostolicitatem*, quia a s. Paulo, vero Christi Apostolo, annuntiatur, v. 23.

24. Per ultima verba versiculi præcedentis transit ad apologiam suam contra Judaizantes detractores, qui, apud Colossenses, quemadmodum apud Corinthios et Galatas, Pauli auctoritatem minuere conabantur. Animadvertendum tamen est, novum paragraphum inchoari non debere, propterea quod auctor ita se defendit ut materiam partis dogmaticæ, de eximiis salutis beneficiis per Christi incarnationem acceptis, simul prosequatur.

Nunc, non est particula transeuntis, sed respicit præteritum *factus sum*. Quasi diceret: jam dudum factus sum Evangelii minister, et nunc patior pro Evangelio. Ostendit se *fidelem* ministrum, ex eo quod non refugiat pati pro Christo, Domino suo: imo vero *cum gaudio* patitur. Eadem sensa exprimit 2 Cor. VII, 4: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*. Phil. II, 17: *Si immolor... gaudeo*. Similia habet s. Jac. I, 2: *Omne gaudium existimate... cum in tentationes varias incideritis*

nibus pro vobis, et adimpleo ea,	qui cum gaudio persecutiones nunc patiar, easque pro vobis aliisque christianis Deo offeram: etenim ego, ad me quod attinet, dum patior in corpore
quæ desunt passionum Christi,	meo infirmo, suppleo ea quæ adhuc requiruntur, ut passiones, quas Christus sustinuit in corpore suo naturali, compleantur per eas quas sufferre debet in
in carne mea, pro corpore ejus,	corpore suo mystico, quod est Ecclesia.

etc. Act. V, 41: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

Pro vobis, ut vobis prosim. Quod reipsa fit per *communionem sanctorum:* nimirum, ex unitate corporis Ecclesiæ fit ut bona opera unius membri in cetera membra influant. Quare, post *pro vobis,* supplere oportet *et pro omnibus aliis christianis,* ut ex sequentibus patet.

Adimpleo quæ desunt: ανταναπληρώ τα ὑστερηματα, illa adimpleo loco Christi (αντι), suppleo quæ desunt passionibus Christi. Hoc autem non ita intelligi potest, ut notat s. Thom., quasi satisfactio Christi fuisset insufficiens (hoc hæreticum esset); sed hoc sensu, " quod Christus in " Ecclesia est una persona mystica, cujus caput est Christus, corpus " autem omnes justi: quilibet autem justus est quasi membrum hujus " capitis (s. Thom.). " Christus autem debet adhuc pati in corpore suo mystico, sc. in fidelibus, ut nempe membra capiti suo accommodentur. Aliis verbis: quamvis Christus sufficientissime pro nobis passus sit, oportet tamen, ut nos etiam cum ipso, et pro ipso, et in ipso patiamur, nobisque merita passionis ejus applicemus; quia debemus ei similes fieri, eum imitari, adeoque *crucem tollere et sequi* eum: verbo, *compati ut conglorificemur.* Itaque, cum ab una parte Christus vivat in justis (Gal. II, 20 *Vivo, jam non ego: vivit vero in me Christus*), cum vivat in Ecclesia, quæ est corpus quoddam mysticum cujus Christus est caput; cum ab altera parte justi debeant pati, ut Christo similes fiant: ideo oportet ut Christus sine intermissione patiatur in membris suis mysticis (hoc sensu Act. Ap. IX, 5 Christus sibi adscribit passiones christianorum: *Ego sum Jesus quem tu persequeris*): quamobrem, quando patiuntur justi, adimplentur passiones quas Christus tolerare adhuc debet, sc. in corpore suo mystico; supplentur ex hac parte quæ desunt passionibus Christi in Ecclesia. S. Leo (De Pass., sermo ult.): " Passio Domini, ait, usque ad finem perducitur mundi... In omnibus, " qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur. " Notum est ex

25 quod est Ecclesia: * cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam
26 verbum Dei: * mysterium, quod absconditum fuit a seculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,
27 * quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ,

[25] Ecclesiæ hujus minister, ut modo dicebam, factus sum, non per humanam auctoritatem, sed per Deum, qui mihi apostolicum munus dedit ad vos, sicut ad alias omnes gentes, ut fidem ubique propagem.

[26] Velim ut hujus Evangelii excellentiam magis magisque agnoscatis. Continet nempe Redemptionis mysterium, quod per omnia retro secula mansit absconditum, usque ad præsens tempus, quo, per Christi adventum et prædicationem, manifestatum est eis qui facti sunt christiani. [27] Iis enim voluit Deus notum facere maximam esse, præsertim quod attinet ad gentiles, gloriam et excellentiam hujus mysterii; quum referatur ad Christum, qui vobis, olim gentilibus, non solum fidei est objectum, sed spes gloriæ cœlestis.

illis meritis et satisfactionibus Christi, Apostolorum omniumque sanctorum, constare Ecclesiæ thesaurum, qui per Indulgentias dispensatur.

25. Secundum dispensationem etc. *Dispensatio: οικονομια,* proprie *gubernatio domus,* inde *munus gubernationis domus, munus œconomi.* Ecclesia est domus Dei, seu cœlestis patris-familias, cujus Paulus, quatenus est Christi apostolus et Ecclesiæ minister, constitutus est œconomus, ut bona et dona Domini sui fidelibus dispenset.

Ut impleam verbum Dei: ut, quantum in me est, Evangelio plenum suum incrementum procurem, i. e. ut illud annuntiem apud omnes gentes, quibus prædicari debet ut sit completum. Cf. Rom. XV, 19.

26. Mysterium: appositio ad *verbum Dei.* Excellentiam beneficii Incarnationis pergit exponere. Nam, ut dixi ad v. 24, dum se ipse commendat, argumentum dogmaticum non abrumpit. — Quod absconditum etc. Vide annot. in Eph. III, 5. — Seculis et generationibus, i. e. per omnia retro tempora. *Seculum* proprie indicat spatium temporis magis diuturnum quam *generatio:* hæc enim tantum notat spatium quo filii nati iterum filios procreant.

27. Voluit Deus etc. Græce: *voluit Deus notum facere quæ sint divitiæ gloriæ mysterii hujus,* i. e. quam copiosa seu opulens, quam magna sit, gloria mysterii hujus. — In Gentibus. Hoc additur quia Colossenses gentiles fuerant, et quia beneficium Redemptionis majus erat pro genti-

28 * quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, et docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in

[28] Nos apostoli illud annuntiamus mysterium, et omnes cujusvis gentis homines corripimus, ut peccata sua defleant; omnes etiam summa qua possumus sapientia docemus, in hunc finem, ut coram Deo judice exhibeamus omnes homines vere perfectos, in Christo [Jesu]

libus quam pro Judæis, quum illi tanta gratia magis indigni essent.

Quod: ὁ in ABFG. Alia lectio habet ὅς, in masc., quod per attractionem ponitur pro ὁ, et refertur ad μυστηριον, *mysterium.* — In vobis, jungo cum *Christus:* mysterium Redemptionis objective sumptum in eo consistit quod Christus in vobis sit, tanquam fidei objectum, et tamquam spes gloriæ, quatenus nempe vobis det spem æternæ salutis. Mysterium autem Redemptionis, subjective consideratum, consistit in eo quod fide, spe, et proinde etiam charitate, Christum complectamur.

28. Redit ad suimetipsius commendationem. — Corripientes et docentes. Duæ sunt justificationis partes: *negativa*, qua obstacula removentur, et *positiva*, qua ipsa justificationis bona conceduntur. Utraque autem pars duo rursum complectitur, unum in intellectu, alterum in voluntate; sic duo sunt obstacula removenda: sc. errores intelligentiæ et peccata voluntatis. Similiter duo sunt præcipua justificationis bona, nimirum: doctrinæ veritas et sanctitas vitæ. Duplex igitur etiam est prædicatoris sacri munus: 1° *docere*, seu intellectum ab erroribus purgare, et veritate instruere; 2° *corripere*, seu voluntatem a peccatis mundare, et ad sanctitatem conducere. Inde liquet quam apposite loquatur Apostolus; cui ad amussim respondet Marc. I, 15 *Pœnitemini et credite.*

Omnem hominem. Ter id repetit, emphasis causa; probabiliter impugnat Judaizantes, qui circumcisis tantum salutem prædicabant; vel qui Paulum calumniabantur quasi solis rudioribus fidem nuntiaret. Cf. 1 Cor. II, 6.

In omni sapientia: cum Beel., Bisp. etc. intelligo de sapientia Pauli prædicantis, non autem, cum Estio, de sapientia illorum quibus Paulus prædicat. Per illa verba, ut videtur, pseudo-doctores, qui suam semper jactabant sapientiam, humilemque crucis Christi doctrinam tamquam stultitiam aspernabantur, rursum, tacite saltem, redarguuntur.

Ut etc. Finis apostolicæ prædicationis. Hunc solum etiam finem persequatur quicumque prædicatoris munus suscipiat. Certe, ut animadvertit s. Thom., quilibet non tenetur ad *perfectionem* stricte dictam, eam nempe quæ in *consiliis* Evangelicis consistit: attamen mens prædicatoris debet

29 Christo Jesu : * in quo et laboro,
certando secundum operationem
ejus quam operatur in me in
virtute.

CAPUT II.

1 * Volo enim vos scire qualem
solicitudinem habeam pro vobis,
et pro iis, qui sunt Laodiciæ, et
quicumque non viderunt faciem
2 meam in carne : * ut consolen-
tur corda ipsorum, instructi in

sanctificatos. [29] Quem in finem non solum laboro, sed et pugno gnaviter contra Christi adversarios; non meis saue viribus, sed potentia Christi, qui validissime in me suam exerit potestatem.

[1] Modo loquebar de certamine meo in re evangelica ; volo enim ut sciatis quantum subeam certamen; idque pro vobis, et pro christianis Laodicensibus, aliisque qui me de facie non cognoscunt, nec oculis corporeis conspexerunt, æque ac pro iis quibus ipsemet prædicavi, sustineo; [2] nempe in hunc finem ut in doctrina Christi intus confirmentur, et

esse ut homines ad illam perducat perfectionem. Sed datur alia *perfectio*, quæ jubet ut omnia Dei *præcepta* custodiantur; et ad hanc omnes tenentur.

Christo jesu: vox *Jesu* deest in multis codicibus, et dubiæ est auctoritatis : ideo in paraphrasi inter parenthesim ponitur.

29. In quo : εις ὁ, *ad quod*, i. e. *ut exhibeam* etc. — Laboro : κοπιω, durum et molestum indicat laborem. — Certando. Magis definit molestum illum laborem : est lucta quædam, seu certamen, adversus varios fidei adversarios, et contra omnimoda obstacula. Cf. 2 Tim. II, 9 *In quo* (Evangelio) *laboro usque ad vincula.* Ib. IV, 7 *Bonum certamen certavi* etc.

Secundum etc. Hoc addit ne videatur inani gloria inflari; suos enim labores gratiæ adscribit divinæ. — Quam operatur : ενεργουμενην, quod Estius sumit tamquam verbum passivum *operatam in me;* recentiores vero ut verbum medium *operantem in me.* Sensus fere eodem recidit. — In virtute, i. e. potenter.

1. Hic versiculus cum fine capitis præcedentis arcte connectitur. Enim refertur ad vocem *certando*, v. 29. — Qualem solicitudinem : ἡλικον αγωνα, *quantum certamen.* — Et quicumque etc. : inde colligimus s. Paulum non ipsummet prædicasse apud Colossenses. — In carne. Noli referre ad *viderunt*, sed ad *faciem meam.* Dicit *faciem in carne*, i. e. *corporalem* ut tacite innuat se apud eos pluries fuisse in spiritu, quod mox affirmat v. 5.

2. Ut consolentur, passive, *ut consolationem accipiant.* Sed melius vertitur *ut confirmentur* (παρακληθωσιν : 1 Thess. III, 2; et 2 Thess. II, 16). — Instructi : συμβιβασθεντες, *apte conjuncti, colligati*, per vinculum charitatis, tamquam totidem membra unius ejusdemque corporis : cf. Ephes. IV, 16.

charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et
3 Christi Jesu : * in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ absconditi.
4 * Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate ser-

charitatis vinculo conjuncti sint, et ad plenissimam certissimamque perveniant sapientiam; puta, ad agnitionem mysterii Incarnationis Christi, [3] in quo mysterio thesauri arcani sapientiæ et scientiæ repositi sunt omnes.

[4] Hoc autem, quod modo scripsi de fine quem per labores meos vobis obtinere cupio, dico, ut nemo vos decipiat sermonibus et ratiociniis subtilioribus et

— Loco nominativi *instructi*, syntaxis regularis postulasset genitivum *instructorum*. Est igitur quoddam *anacoluthum*, de quo vide Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 64, II. — In omnes. Nota accusativum : *ut perveniant ad omnes* etc. — Plenitudinis. In græco non est vox πληρωμα, ut supra I, 19; sed πληροφορια (*plena latio*), i. e. *plena ac certa persuasio.* — In agnitionem etc.: appositio qua explicat *omnes divitias* etc.

Dei Patris et Christi Jesu. Hæc lectio incerta est; multopere enim variant manuscripta antiqua. Quædam habent simpliciter *Dei* (quam lectionem adoptavit Tischendorf, 7ª ed. 1859); alia vero cum Vulgata *Dei Patris et Christi Jesu;* alia rursum *Dei et Christi*, vel *Dei Christi* (ut edidit Lachmann, ed. 1841).

3. Hæc spectant ad thema hujus partis dogmaticum, de insigni Incarnationis beneficio: parum differt a I, 19. In quo, sc. *mysterio*, seu *Christo :* nam sensus idem manet. — Sapientiæ et scientiæ : της σοφιας και της γνωσεως. Varii vario modo inter hæc duo distinguunt. Hoc tantum certo dici potest: duplicem positam fuisse vocem ad rei universitatem expressius significandam.

Absconditi, non est participium quod cum verbo *sunt* jungendum est; sed est adjectivum: αποκρυφοι, non αποκεκρυμμενοι. Thesauri illi vocantur *arcani*, quia sunt infiniti, ideoque nobis incomprehensibiles, inexhausti etc.; et nonnisi in altera vita justis revelabuntur. Apposite s. Thom.: " Sicut, ait, " qui haberet librum ubi esset tota scientia, non quæreret nisi ut sciret " illum librum: sic et nos non oportet amplius quærere nisi Christum. " 1 Cor. II, 2 *Non judicavi me scire aliquid... nisi Jesum Christum.* Hæc est magna et unica scientia, quia est inchoatio scientiæ et visionis beatificæ: 1 Joan. III, 2 *Cum apparuerit* (quod erimus), *similes ei erimus,* " sc. scientes omnia (s. Th.), " quoniam *videbimus eum sicuti est*, perfecte eum sciemus.

4. Jam paulatim transit ad paragraphum 2ᵐ, in quo pseudo-doctri-

5 monum. * Nam etsi corpore
absens sum, sed spiritu vobis-
cum sum: gaudens, et videns
ordinem vestrum, et firmamen-
tum ejus, quæ in Christo est,
6 fidei vestræ. * Sicut ergo acce-
pistis Jesum Christum Domi-

speciosis. [5] Et non miremini me ita affectum esse erga vos, qui mihi estis de facie ignoti: nam, etsi corpore sim procul a vobis, mente tamen et corde vobiscum sum; et gaudeo eo quod videam vos quasi acie ordinatos, ad pugnam contra adversarios paratos, et in fide christiana tamquam in munimento inexpugnabili constitutos. [6] Ita mente affecti manete, et perseverate in doctrina et gratia Christi vobis tradita;

nam redarguit. In sublimitate : *πειθανολογια,* potius *in subtilitate,* ut habet Ambrosiaster. Idem significat ac 1 Cor. II, 4 *persuasibilia verba,* *πειθοι λογοι.*

5. Nam, causam dat hujusce monitionis v. 4: sc. ad vos monendum me movet solicitudo pro vobis. Redit igitur ad explicandum id quod v. 1 dicebat: *Volo vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis.* Suam autem solicitudinem declarat, ut eorum animos, calumniis forsan pseudodoctorum contra se excitatos, sibi conciliet. — Spiritu, mente, cogitatione, cura, charitate. Patet igitur vocem *spiritus* non posse cum litera majuscula scribi.

Gaudens et videns, i. e. *gaudens eo quod videam.* Ordinem, *ταξιν,* quod proprie dicitur de exercitu in acie composito, ad præliandum parato. Pulcherrima est comparatio Ecclesiæ cum exercitu ita ordinato, in quo singuli suum occupant locum, uno animo omnes ducti (ut hostem vincant), pro invicem mutuo soliciti (quia salus uniuscujusque est in victoria omnium), jussa ducis (Christi) perfecte adimplentes omnes, sub uno eodemque vexillo (crucis) certatim militantes, atque idem præmium sperantes.

Firmamentum, *στερεωμα,* rursum vox est militaris, et significat *munimentum* (gall. *boulevard*). Fides est quasi locus munitus, in quem si quis se concludat, hostium spiritualium impetus imperterrite sustinet et facile frangit.

6. Accepistis J. C. Id multo significantius est quam *accepistis doctrinam Jesu Christi.* Etenim christiani dicuntur *accipere Christum,* tum a/ per gratiam sanctificantem quam in Baptismo, tum b/ præsertim per veram et realem corporis et sanguinis Dominici participationem quam in ss. Eucharistiæ sacramento suscipiunt: per utrumque enim Sacramentum Christo arcte conjunguntur, tamquam membra viva cor-

7 num, in ipso ambulate, * radicati, et superædificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.

adeoque in Christo quem accepistis constanter vivite, [7] tamquam in eo radicati, et ei ut fundamento superædificati; estote, inquam, firmi et stabiles in fide vobis tradita; imo in illa quotidie proficiatis, idque cum gratiarum actione erga Deum, a quo eximium fidei beneficium accepistis.

poris ejus: ergo Christus vivit in eis. Atque ideo debent vicissim *ambulare* seu vivere *in ipso*, suamque vitam vitæ ipsius similem reddere.

Ambulate: imago de via, quæ in divinis literis sæpissime occurrit. Oportet *ambulare* in Christo, quia est *via*, utpote *veritas* intellectus, *et vita* sancta voluntatis: cf. Joan. XIV, 6.

7. Radicati... imago ab arboribus desumpta. Per gratiam justificantem Christo fuimus quasi inserti, adeo ut *sucum nostri alimenti* et incrementi spiritualis ex ipso bibamus. Valde similis est metaphora, quam ipse divinus Salvator adhibuit Joan. XV, 5: *Ego sum vitis, vos palmites* etc.

Superædificati. Latet hic tertia comparâtio, sc. cum ædificio, cujus lapis fundamentalis est Christus: Ephes. II, 20 sqq. Recte animadvertit s. Thomas eamdem esse comparationem radicis ad arborem et fundamenti ad domum, quia per utramque designatur firmitas quam operatur Christus. Verumtamen accuratior est prior, quia radix non solum arborem firmat et erectam tenet, sed quod magis est, eam nutrit et auget.

Participium *superædificati* in græco est præsentis temporis, quia significatur actio continuata: paulatim crescit ædificium spirituale nostræ sanctificationis et salutis; participium vere *radicati* in græco est temporis præteriti, quia denotat quid transitorium, quod unico actu completur: nimirum per nostram justificationem fuimus radicati in Christo, et deinde in ipso constanter crescimus.

Confirmati, explicat duas metaphoras præcedentes.

Sicut didicistis: repetit quod jam dixit, et insistit in hoc, quia regula fidei proxima est ut credamus id quod a legitimis pastoribus traditur.

Abundantes in illo, sc. Christo, in gratiarum actione. Secundum hanc Vulgatæ lectionem, quam refert codex D*, *abundantes* jungi debet cum *in gratiarum actione*, et sensus est: in Christo multæ gratiarum actiones Deo sunt agendæ. Sed lectio *in illa* (εν αυτῃ sc. πιστει) sc. fide, probabilior est, quum reperiatur in codd. BD***EKL; tunc sensus est: sitis abundantes in fide, i. e. quotidie ditiores fiatis, seu proficiatis in illa, idque cum gratiarum actione.

Analysis cap. I, 13—II, 7.

Paulus Colossenses erudit de præcipuo nostræ religionis mysterio, sc. de Incarnatione Christi mundique Redemptione; igitur beneficia, quæ nobis in re salutis per Christum concessa fuerunt, distincte explicat. Triplici modo ostendit Redemptionis excellentiam: 1° ex effectibus, 2° ex dignitate auctoris, et 3° ex auctoritate Evangelii in quo prædicatur.

1° Effectus Redemptionis quoad nos :

a/ In hac vita: a statu peccati transferimur in statum justitiæ, v. 13 et 14; 21 et 22 ;

b/ In altera vita: gloria cœlestis, v. 25-27.

2° Dignitas Christi qui auctor est operis Redemptionis:

a/ Dignitas qua creator, v. 15-17;

b/ Qua redemptor, v. 18-20;

c/ Qua Deus-homo, omni instructus sapientia, cap. II, 3.

3° Auctoritas Evangelii in quo opus Redemptionis nuntiatur:

a/ Prædicatum est universo mundo, v. 23;

b/ Manifestat talia quæ omnibus retro seculis incognita manserant, v. 26 et 27.

Sed, dum hæc pertractat, inde a v. 23 plura inserit quibus suam auctoritatem apostolicam adversus Judaizantium obtrectationes simul stabiliat, et Colossensibus commendabilem se reddat:

a/ Divinitus factus est Evangelii minister, v. 23, 25;

b/ Varias pro fide persecutiones patitur, v. 24;

c/ Digne fungitur munere prædicatoris, v. 28 et 29: sc.

a/ Corripit,

b/ Docet,

c/ Cum sapientia,

d/ Cum purissima intentione,

e/ Cum magna vi et potestate.

d/ Sanctam solicitudinem Colossensibus exhibet, etsi eos numquam viderit: cap. II, 1-4.

e/ Eos amat, laudat, et monet, v. 5-7.

§ 2. *Falsa Judaizantium sapientia redarguitur.*

II, 8-23.

8 * Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa

[8] Videte ergo ne quis futurus sit qui furtim vos in errorem abripiat per falsam et inanem philosophiam, illam videlicet quæ traditiones Judaicas mere humanas sequitur, et obligationem urget legis Mosaicæ, quæ, quum sapientiæ rudimenta tantum contineat, per Christum, perfectæ auctorem sapientiæ, abrogata est; quare ista philosophia non

8. Hucusque argumentum dogmaticum directo et positivo modo pertractavit, exponendo magnitudinem beneficiorum quæ Colossenses, ad fidem conversi, per Christi incarnationem susceperant; nunc vero redarguit Judaizantium errores huic oppositos doctrinæ; adeoque ratione disserendi magis polemica et negativa utitur. Lectores autem suos ad hanc refutationem solerter præparavit, per hoc quod a I, 23 plurima inseruerit quibus suam auctoritatem apud eos augere studuerit.

Decipiat: εσται ὁ συλαγωγων, ne quis *futurus sit qui deprædetur*, qui fraude et violentia vos in errorem rapiat. Hujusmodi loquendi forma indicat quasdam esse causas istud timendi.

Per philosophiam. Græce cum articulo: *per istam* pseudo-doctorum *philosophiam*. Itaque, ut notat Estius, Apostolus non omnem philosophiam damnat ut noxiam, aut rejicit ut inutilem; sed illam tantum quam vocat *inanem fallaciam*, i. e. philosophiam falsam, antichristianam. S. Aug. (De mor. Eccl. cath. 38): " Ne ab amore sapientiæ (quod " sign. nomen *philosophiæ*) deterrere videretur, subjecit *Et elementa* " *mundi.* "

Secundum traditionem. Ulterius describit pseudo-philosophiam de qua loqui vult : primum positive *secundum* etc., dein negative *et non secundum Christum.* Intelligit *traditiones* mere humanas, quas Rabbini falso urgebant, tamquam a Moyse oriundas, quæque partim publicæ erant, partim secretæ; quæ ultimæ famosam constituunt *Cabbalam.* De istis traditionibus Judaicis mentio fit Matth. XV, 9 et Marc. VII, 7-13.

Secundum elementa. Explicat monitum suum referendum esse ad traditiones Judaicas : nam per *elementa mundi,* ut colligitur ex Gal. IV, 3, 9 et Col. II, 20 sqq., intelligit Judaismum, sive legem Mosaicam, quatenus hæc est temporaria, adeoque qua ritualis seu ceremonialis

mundi et non secundum Christum: * quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis cor-

9

est secundum Christum, cujus dignitatem et potentiam negat.

[9] Nolite isti doctrinæ adhærere, quia in Christo, cui est opposita, permanenter et proprio jure inest divina essentia tota quanta, sed modo corporeo, i. e.

et pœnalis. Et re quidem vera, in ea erat tantum cultus Dei elementarius, seu nonnisi prima tradebantur elementa scientiæ religiosæ et cultus divini; Judæi, tamquam parvuli, per ea elementa præparandi erant ad religionem christianam, in qua, quum pervenissent ad ætatem virilem, profundissima religionis documenta acciperent. Igitur, ut ait Gal. III, 24, lex vetus erat tamquam pædagogus populi Judaici, eum per prima scientiæ rudimenta paulatim erudiens, usque dum aptus esset ut, in publica et suprema Christi schola, perfectiorem disceret doctrinam.

Mundi. Ita vocantur ista elementa, quia infirma erant et imperfecta, transitoria et per Christum peritura. Ipse enim abrogavit legem Mosaicam, qua ceremonialem et judicialem; non autem qua moralem, seu quatenus præcepta habet legis naturæ (nam hæc æterna sunt); adeoque sub denominatione *elementa mundi*, non comprehenduntur præcepta decalogi quæ juris sunt naturalis.

9. Argumentum ineluctabile ad Christi divinitatem demonstrandam. Quia, rationem reddit totius præcedentis monitionis. Non possunt adhærere doctrinæ Christo adversæ, propter id quod Christus tum in se est (v. 9), tum quoad nos (v. 10-15). — Inhabitat: cf. not. in I, 19. — Divinitas: θεοτης, non θειοτης, igitur *deitas*, non divinitas. Dictio *deitas*, quæ ipsammet designat *naturam* seu *essentiam* divinam, significantior est quam *divinitas*, quæ proprie notat *qualitatem*.

Corporaliter, σωματικως, in corpore humano assumpto, i. e. in natura humana assumpta (nam *corpus* ponitur pro *humana natura*, per metonymiam partis pro toto); aliis verbis, in Christo adest divina natura cum humana hypostatice conjuncta, seu, ut verba Joannis I, 14 adhibeam, in Christo *Verbum caro factum est*. Hæc sententia ceteris probabilior est. Alii σωματικως idem esse dicunt ac ουσιωδως, *substantialiter*, adeo ut sensus esset: deitas in Christo adest *substantialiter*, non solummodo κατ' ενεργειαν, *per operationem*, quemadmodum adest in justis per gratiam sanctificantem; vel *substantialiter*, i. e. *realiter*, non solummodo per externam signorum apparentiam, quo modo in columna nubis et in templo Jerosolymitano habitabat.

Ex hoc versu 9 haudquaquam concludendum est, cum Lutheranis,

10 poraliter: * et estis in illo re-
pleti, qui est caput omnis prin-
11 cipatus, et potestatis: * in quo
et circumcisi estis circumci-
sione non manu facta in exspo-
liatione corporis carnis, sed

naturæ humanæ conjuncta; [10] et quia in illo estis repleti divina gratia; in illo, inquam, non autem in quovis angelorum: nam ipse est omnium caput angelorum, cujuscumque sint dignitatis. [11] In eodem Christo, vos, gentiles, accepistis beneficium quod olim Judæis par circumcisionem concedebatur, adeoque quasi circumcisi estis; non sane ut Judæi, carnali et manufacta circumcisione, sed modo spirituali, quando exuistis veterem

divinas proprietates humanæ naturæ communicatas fuisse, ideoque et *ubiquitatem* seu *omnipræsentiam* (in hoc enim isti, ut notum est, pravam suam doctrinam de *impanatione* fundabant). Certe Christus, in toto ejus supposito, est ubique omnesque divinitatis proprietates habet, sed eas non habet ejus humanitas formaliter et in abstracto sumpta. Perr., De Incarn. 501 sqq. S. Bonav. (III, dist. 22, q. 2.): " Ratione humanitatis, " ait, quantum est de se, in uno tantum loco est (Christus); quod enim " sit in pluribus, hoc est sub Sacramento, secundum quod dicit Inno" centius... Localiter est in cœlo, sacramentaliter est in altari, perso" naliter [ut persona divina] ubique. "

10. Repleti, sc. divinitate, seu divina gratia, et perfectione. Quia Christus plenitudinem deitatis possidet, ideo homines, qui Christo per gratiam justificantem quasi incorporantur, illam plenitudinem participant. Joan. I, 16: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* S. Aug. (Serm. 289,5): " Nos vasa sumus, ille fons est. "

Qui, hic particula est ratiocinantis: *quippe qui.* — Caput: " in quan" tum, ait s. Thom., est rex Angelorum et Dominus; non per con" formitatem naturæ, quia sic caput est hominum. " — Principatus etc.: cf. I, 16; et Ephes. I, 21.

11. Circumcisione non manufacta. Circumcisioni carnali et exteriori (Eph. II, 11) opponit circumcisionem spiritualem et interiorem, seu cordis. Cf. Rom. II, 29. — In exspoliatione... Explicat quid intelligat per *circumcisionem non manu factam.* Ergo *in exspoliatione* refertur ad *circumcisi estis,* et post *manu facta* deberet esse virgula. *Exspoliatio ἀπεκδυσις,* exhibet imaginem vestimenti: quæ quidem imago frequentissima est apud s. Paulum. Sic *exuere veterem hominem et novum induere; induere Jesum Christum* etc. — Corporis carnis. Vulgatæ lectio

12 in circumcisione Christi: * consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem ope-

hominem, et Christo fuistis incorporati› [12] nimirum in baptismo: nam tunc vetus homo vester simul cum Christo mortuus est et sepultus, sc. per mysticam significationem immersionis in aquam; et dein cum Christo ad novam vitam gratiæ resurrexistis, per emersionem ex aqua baptismi, quam figuravit egressus Christi e sepulcro. Hanc autem renovationem obtinuistis, cum credidistis

longe plures et majores testes habet quam lectio textus græci Recepti *corporis peccatorum carnis;* adeo ut vox illa *peccatorum* sit glossema, explicationis gratia additum.

Carnis, designat concupiscentiam carnalem peccaminosam, de qua toties mentio fit in epist. ad Rom. Quare *corpus carnis* valet *corpus peccati* (ut Rom. VI, 6), i. e. homo quatenus peccato subjicitur, seu *vetus homo*, in quo dominatur concupiscentia prava: igitur *in exspoliatione corporis carnis* sign. in exspoliatione veteris hominis, quando exuistis veterem hominem. Cf. Rom. VI, 12. Vult dicere: modo spirituali circumcisi fuistis, quando per gratiam sanctificantem devicta fuit concupiscentia innata: hæc autem cum sit effectus peccati originalis, in Baptismo fuit devicta (quamvis non penitus deleta aut exstincta). Locus parallelus est Eph. IV, 22; et Col. III, 9.

Sed in etc. Particula adversativa *sed*, quæ legitur in nostra Vulgata, nullam habet codicum auctoritatem; videtur addita ex falsa hujus loci intelligentia; quia putabatur per verba *circumcisio non manu facta in exspolatione corporis carnis*, solummodo designari circumcisionem carnalem Judaicam, adeoque huic opponi circumcisionem in Christo.

Circumcisio Christi, i. e. quam Christus facit in nobis, quæ est circumcisio spiritualis (s. Th.). Sensus est: circumcisi estis in Christo, quando ei incorporati fuistis per Baptismum.

12. Explicat ulterius quo modo circumcisio spiritualis, seu victoria de concupiscentia, in Christo obtenta fuerit. — Consepulti. Expositionem hujus allegoriæ videsis ad Rom. VI, 3, 12; Eph. II, 4-6. Ut liquet ex ibi dictis, *sepelitio in aquis baptismi* sign. veteris hominis mortem, adeoque partem justificationis *negativam;* et *emersio ex aquis*, quæ figurabatur per egressum Christi e sepulcro, seu per ejus resurrectionem ad novam vitam, designat animæ regenerationem et renovationem, adeoque partem justificationis *positivam.* — Resurrexistis, melius in græco: *conresur-*

rationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.
13 * Et vos cum mortui essetis in delictis, et præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta :
14 * delens quod adversus nos erat

Christum divina potentia a mortuis surrexisse, ceteraque fidei dogmata professi estis.

[13] Vos igitur, quando eratis spiritualiter mortui propter peccata vestra, utpote a labe originali per circumcisionem non mundati, cum Christo ad vitam revocati fuistis. Deus enim nobis omnia peccata condonavit, [14] cum per san-

rexistis; ideo, *in quo* non refertur ad *Christum* (esset tautologia), sed ad *Baptismum.*

Per fidem. Hoc addit, quia in adultis fides (sub qua intelliguntur aliæ dispositiones) est conditio sine qua effectum non sortitur Baptismus, sine qua obtineri non potest justificatio. Fides enim initium est, et radix, et fundamentum nostræ justificationis. Quo sensu hæc intelligenda sint docuimus ad Rom. I, 17.

Operationis. Genitivus objecti, non causæ: *credentes operationem Dei qui...*; aliis verbis: credentes omnipotentiam Dei, quæ præsertim se manifestavit quando Christum a mortuis revocavit. Fides restringitur ad Christi resurrectionem, quia hæc est totius fundamentum christianismi, quatenus nempe per eam singulariter et invictissime demonstratur Christi divinitas, adeoque ejus veracitas et certitudo illorum omnium quæ docuit Christus. Cf. 1 Cor. XV, 14-17; necnon annot. nostr. in Act. Ap. I, 22 et III, 15.

13. Colossensibus olim gentilibus accommodat quæ modo dixit de regeneratione in Christo, simulque ea magis exponit. — In delictis etc. Determinat de qua morte loquatur.

Præputium carnis vestræ. Metonymia signi pro re significata: nam præputium quocum nascitur omnis homo, et quod sub vetere lege per circumcisionem auferebatur, signum erat peccati originalis, quocum nascimur, et cujus remissio sub lege Mosaica per circumcisionem obtinebatur. Igitur: " Præputium vocavit, ait s. Aug. (ep. 140, àl. 59, n. 26), quod signi- " ficatur præputio, hoc est delicta carnalia [peccata quibus caro nostra seu " natura nostra humana erat inquinata] quibus exspoliandi sumus. "

Donans. Græce est participium aoristi, quia condonatio peccatorum logice præcedit novæ vitæ infusionem. — Vobis. Fere omnes antiquissimi codices, sc. ABCDEFGK, habent ἡμιν *nobis* (cf. Eph. II, 1, 5); adeoque Apostolus se eis adjungit, non quod ante conversionem ethnicus, sed quod peccator, ut isti, fuisset.

14. Delens. Rursus part. aor.: *postquam delevisset,* puta, sanguine

chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:

guinem Christi illud quod adversus nos exstabat debiti chirographum, sc. legem Mosaicam variasque ejus præscriptiones, delevisset. Illud, inquam, chirographum, adeo noxium, e medio tulit (ut a via salutis non amplius nos impediret), quando illud cruci Christi affixit, i. e. quando per mortem Christi Legem destruxit, et peccata, quorum hæc sæpe

Christi. — CHIROGRAPHUM est obligatio, seu debiti agnitio, propria debitoris manu scripta, vel manu creditoris scripta et a debitore subscripta (χειρ *manus* et γραφω *scribo*), quæ debitum authentice testatur. Intelligitur per metaphoram lex Mosaica, quæ manu Dei conditoris scripta, et a Judæis quasi subscripta fuerat, quando nempe solemni contractu legem acceperunt, ejusque obligationem agnoverunt (Exod. XXIV, 3): observantia hujus legis erat quasi debitum quod Deo solvere tenebantur Judæi; et, quum sæpe non observarent legem, legis exhibitio, instar chirographi, eos peccati convincebat. Nunc autem Deus chirographum delevit (quasi spongia super scripturam istam inducta), legem Mosaicam per legem novam Christi abolendo; adeoque peccata, quæ Judæi adversus Legem commiserant, condonavit.

QUOD ADVERSUS NOS (Judæos) ERAT: nam chirographum istud demonstrabat nos esse debitores non solventes; nempe lex Mosaica testabatur nos præceptorum violatores esse, adeoque et peccatores: imo vero, Lex per prohibitiones suas sæpissime fuit nobis plurimorum occasio peccatorum; quia pravam excitabat nostram voluntatem quæ nititur in vetitum semper. Cf. Rom. V, 20.

DECRETI. Græce melius δογμασι, *decretis*, quæ vox jungenda est cum *chirographum*, cujus sensum magis determinat: chirographum quod decretis seu mandatis constat, i. e. legem Mosaicam quatenus hæc constat præceptis transitoriis et particularibus, puta, ritualibus, judicialibus etc. Cf. Eph. II, 15. — QUOD CONTRARIUM..... Repetitio, emphasis causa, ejus quod modo dixit: *quod adversus nos erat.*

AFFIGENS. Gr. προσηλωσας, quod proprie valet *postquam illud clavibus perforasset* (ἡλοω) *et cruci affixisset* (προς), i. e. postquam illud in cruce (per merita mortis Christi) irritum fecisset. Pulcherrima sane imago! Merito exclamat s. Chrys. in h. l.: " Nusquam Paulus tam magnifice locutus est! "

Quæritur quare Apostolus, loquens de ethnicorum regeneratione (v.

15 * et exspolians principatus, et potestates, traduxit confidenter,

occasio erat, expiavit. [15] Tunc etiam dæmones omni potestate exuit, armis eorum quasi in spolia detractis, eosque

13), et explicans quomodo eorum peccata in Baptismo condonata fuerint per Christi mortem, mentionem faciat de abrogatione legis Mosaicæ, quæ testis erat transgressionum a Judæis commissarum, imo ipsis sæpius occasio peccatorum? Inde enim solummodo concludi potest, ablatum fuisse id quod pro Judæis testimonium et occasio erat peccatorum, adeoque Judæorum peccata deleta esse: sed quid hoc ad gentiles? — Resp. Ab una parte, quod de populo Judæo dicit, valet etiam pro gentilibus, quia Legem eatenus considerat quatenus erat supremum documentum et instrumentum peccati ejusque effectus, mortis, adeo ut ratiocinium hanc habeat generalitatem: delevit Deus, per sanguinem Christi, veterem nostrum hominem, peccato subditum; verbo, delevit in nobis peccatum. Ab altera parte, Apostolus simul polemice agit contra Judaizantes, qui contendebant legem Moysis etiam ritualem adhuc obligare.

15. Post vocem *potestates* virgulam non habet editio Vulgatæ data Romæ a R. P. Vercellone, a. 1861; sed secutus sum hic editionem Taurinensem a. 1851.

Exspolians etc. Abolitio Legis, quatenus Lex consideratur tamquam peccatorum testis et occasio, seu potius illa peccatorum remissio, est maximus Dei in dæmones triumphus. Sermo rursus metaphoricus est. Dæmones sistuntur tamquam hostes in plures divisi legiones et cohortes (*principatus et potestates*), quos Deus per virtutem passionis et mortis Christi devincit, quibus eripit arma (sc. Legem, peccatum, mortem etc. abolendo) tamquam justa belli spolia (*exspolians*), de quibus deinde, ut belli captivis, solemnem et publicum agit triumphum (*triumphans*), dum eos currui suo triumphali subjungit, omniumque spectaculo et ludibrio exponit (*traduxit confidenter, palam*).

Traduxit. Græce est verbum δειγματιζειν, *ostentare* (a δεικνυμι *ostendere*), facere ut quis ostentui sit, aliquem publicæ ignominiæ vel contumeliæ exponere (flandr. *Ten toon stellen;* germ. *Zur Schau stellen*). Recogita morem veterum Romanorum et Græcorum, qui cum triumphum agebant, hostes devictos per plateas circumducere, civibusque ostendere solebant.

Confidenter, palam. Alterutrum est glossema, nam græce habetur tantum: εν παρρησια, quod sumi debet tamquam dictio adverbialis: *confidenter, libere, audacter;* seu *palam, publice, coram omnium oculis*. Hanc ultimam notionem præfero, quia non multa certe opus est *audacia* ad triumphum de hostibus devictis agendum.

palam triumphans illos in semetipso.

16 * Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut
17 sabbatorum : * quæ sunt um-

per Christum omnium ludibrio et spectaculo palam traduxit, tamquam currui suo subjunctos, atque ita de iis triumphum egit.

[16] Igitur, ab una parte, cum abolita sit lex Mosaica, nemo jus habet vos condemnandi de cibo aut potu, quasi sint per Legem vetiti; neque propter dies festivos qui singulis annis, aut neomenias quæ singulis mensibus, aut sabbata quæ singulis hebdomadibus recurrunt, quasi dies Lege præscripti sint: [17] nam lex Mosaica cum omnibus suis ceremoniis non fuit nisi adumbrata imago eorum quæ sub N. T. futura

Triumphans illos, *de illis.* — In semetipso : εν αυτῳ, *in illo*, vel *in illa;* non vero, ut Vulgata, εν αὑτῳ seu ἑαυτῳ, quum subjectum verbi *traduxit* sit Deus Pater. *In illo*, sc. *Christo*, vel *in illa* sc. *cruce*, nam εν αυτῳ potest etiam referri ad σταυρος (*crux*), quod masculinum est. Sensus elegantissimus est si referamus ad *crucem;* sistitur enim crux Christi tamquam currus Dei triumphalis.

16. A generalioribus ad particularia descendit, hoc modo : quum lex Mosaica sit abolita, ergo ejus præscriptiones de ciborum mundorum et immundorum discrimine, aliaque hujusmodi mandata ritualia, non amplius vigent. — Judicet, sc. judicio condemnatorio, i. e. nemo vos *condemnet*. Eodem sensu vox *judicium* vel *judicare* alibi apud s. Paulum reperitur; v. g. Rom. II, 1, 2, 3.

In potu. Quamvis nullus potus habeatur immundus in Lege, et ut talis vetitus dicatur, forsitan Rabbini in traditionibus suis (cf. Matth. XV, 1-20; XXIII, 23-25; Marc. VII, 7-13) quasdam comprehendebant hac de re prohibitiones, cf. Rom. XIV, 21; Hebr. IX, 9. Cajetanus quidem censet, potum quemlibet e vase quod operculo careat, juxta Num. XIX, 15 immundum esse; sed ibi sermo tantum fit de vasis in domo mortui inventis; pariter immunda sunt vasa quæ morticina animalium immundorum tetigerant, Lev. XI, 32, 33. In lege Mosaica, vini potus prohibetur solummodo Nazaræis (cf. Num. VI, 3), necnon sacerdotibus quando sacrorum ministerio secundum vicem suam funguntur (cf. Lev. X, 9 et Ezech. XLIV, 21).

In parte : in negotio illo, aut in eo rerum genere. Diei festi etc. : Gal. IV, 10.

17. Quæ, particula ratiocinantis : *quippe quæ*. Probat eos hac de re

bra futurorum : corpus autem Christi.	erant ; dum contra Christus, ejusque lex, continet rem ipsam a qua pendet et quam præfigurat imago ista : proinde, mox ut advenit Christus, figuris Legis amplius inhærere non oportet.

condemnandos non esse, quum earum obligatio præscriptionum cessaverit, sicut umbra admoto lumine evanescit.

Umbra (gall. *une silhouette*) : hoc solo verbo universa legis veteris œconomia perfectissime indigitatur. Etenim 1°, umbra non existit, nisi ratione rei cujusdam a qua projicitur : sic lex vetus unice ad Christum refertur. Ergo " quando quis videt umbram, ait s. Thom., sperat quod corpus " sequatur. Legalia autem sunt umbra præcedens Christum, et eum figu- " rabant venturum. " Dein 2°, umbram sequi eique adhærere, quum res ipsa habeatur, maxima esset stultitia : eodem modo contra sanam rationem ageret, qui legis veteris observantiam post Christi adventum adhuc urgeret. Præterea 3°, umbra est vacuum quid et inanimatum : sic etiam lex Mosaica per se nullam conferebat gratiam. Iterum 4°, umbra dat tantum lineamenta exteriora et valde incerta rei ipsius seu corporis a quo projicitur : ita quoque vetus Testamentum nonnisi notitiam elementariam et imperfectam religionis et Revelationis continet. 5° Imago adumbrata videri non potest nisi in luce, et per lucem, et tanto distinctior est, quanto splendidior est lux : pariter, non nisi per revelationem novi Testamenti vera et plena intelligentia veteris Testamenti obtinetur. Tandem 6°, quando sol vix oritur, maxime protenditur umbra ; et quo magis ascendit sol, eo minor fit umbra, adeo quidem ut hæc jam nulla sit, si contingat ut sol super ipsum corporis caput ad perpendiculum se attollat. Simile quid in evolutione utriusque Testamenti animadvertitur : quo magis appropinquat Messiæ adventus, eo magis decrescunt umbræ et obscuritates quæ in V. T. reperiuntur, eo clariores et distinctiores fiunt prædictiones de Christo. Sed omnes umbræ, omnes in divina revelatione obscuritates et difficultates, tunc tantum evanescent, quando Deum, solem nostrum spiritualem, contemplabimur in pleno meridie, i. e. in cœlesti beatitudine : in ea enim Deus totum gloriæ splendorem, sicut sol in summo apice, in sanctos suos demittet. Cf. Hebr. VIII, 5.

Corpus Christi. Genitivus *Christi* non pendet a *corpus*, sed a verbo *est* subaudito : *corpus est Christi*, i. e. corpus, seu res vera a qua projicitur illa umbra, pertinet ad Christum : verbo, Christus est res ipsa quæ umbram producit. Per ipsum enim impleta sunt omnia quæ in vetere lege fuerunt præfigurata, adeoque in ipso perfectissime existit illud omne quod in vetere

18 * Nemo vos seducat volens in humilitate, et religione an-

[18] Ab altera parte, cum Christus sit caput angelorum omnium, cavete ne quis vobis eripiat salutis bravium, ex pravo consilio falsam suadens humilitatem (quasi humana natura digna non sit ut a Deo assumatur), et prædicans religionem angelorum (quasi isti sint

Testamento fuit adumbratum; i. e. quod fuit vix delineatum, quemadmodum aliqua imago formæ exterioris adest in umbra quam corpus a sole illuminatum refert et exhibet.

18. Ed. Taur. a. 1851 virgulam post *seducat* non habet. SEDUCAT : καταβραβευέτω, palmam seu bravium vobis eripiat. " Hoc enim, ait s. Hier. (Ad " Algas., p. 10), græce dicitur, quando quis, in certamine positus, iniquitate " agonothetæ, vel insidiis magistrorum, βραβεῖον et palmam sibi debitam " perdit. " Quid sit *bravium* plenius explicatur 1 Cor. IX, 24.

VOLENS : θέλων, probabilius refertur ad præcedentia : nemo vobis data opera, seu ex malitia, palmam eripiat. *Volens*, i. e. *voluntarie, de consilio*, ergo *pessime*. Estius, post s. Aug. (ep. 149, n. 27), refert ad sequentia, hoc sensu : *affectans humilitatem* etc.; sed obstat dici *in humilitate*, non *in humilitatem*.

Humilitas intelligitur falsa, ficta, aut affectata; talis nempe quæ causam det *religioni angelorum*. Judaizantes isti, ut videtur, docebant, quemadmodum postea Gnostici, humanam naturam, tot tantisque subditam miseriis et infirmitatibus, indignam esse quæ immediate a Deo creata, aut illuminata et edocta, aut reconciliata et redempta fuisset; sed Deum in omnibus suis cum homine relationibus usum esse angelis intermediis (quos *Æones* vocabant Gnostici); adeoque Filium Dei non assumpsisse nostram naturam aut incarnatum fuisse, neque ipsum esse Redemptorem nostrum et Salvatorem : verum angelos esse salutis auctores. Cf. P. Franzelin, De Deo trino, p. 296 (Rom. 1869).

Religio angelorum, ut ex modo annotatis sequitur, intelligitur immodica seu superstitiosa, talis qua angeli tamquam salutis mediatores, et redemptores mundi, loco Christi Filii Dei, coluntur, et idololatrico cultu honorantur. S. Chrys. (Hom. 7, 1) : " Quid est autem omnino quod dicitur ? " Erant quidam qui dicerent non oportere nos per Christum adduci, sed " per angelos; illud enim est, inquiunt, majus quam ut possimus assequi. " Hunc autem esse Pauli sensum apertissime docet contextus; nam v. 19 ait ab istis angelorum cultoribus *non teneri caput, quod est Christus*. Vix credibile est ausos fuisse Protestantes hæc Pauli verba nobis objicere catholicis,

gelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu car-
19 nis suæ, * et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.

mediatores salutis). Quæ doctrina cœca et falsa est : nam qui eam tenet, in falsis ambulat visionibus, et immerito est inflatus inani speculatione, quæ non a Spiritu s., sed ab infirma ratione, seu potius a phantasia sensuum, procedit. [19] Iste itaque, dum angelos somniat salutis mediatores, Christum negat esse caput nostrum in negotio salutis : qui (Christus) tamen solus est caput verum, cujus influxu totum Ecclesiæ corpus, apta singulorum commissura et necessitudine membrorum connexum et compactum, crescit augmento divino et spirituali.

qui angelos quidem et Sanctos cultu *duliæ*, tamquam Dei et Christi amicos, honoramus; sed qui simul etiam Christum, ut verum Dei Filium, Deum et hominem, Salvatorem nostrum, in quo solo datur spes vitæ æternæ, cultu *latriæ* stricte dicto adoramus.

Ambulans : εμβατευων, *ingrediens* (εν et βατευω, i. q. βαινω), tropice *exquirens* quæ non vidit; in mundum angelicum, quem numquam vidit, ingrediens, et de mundo illo sibi prorsus incognito multa docens, inania sc. et falsa. Verbum *ambulare* in Vulg. habet regimen in accusativo, quod ingenio linguæ latinæ repugnat; debuisset scribi : *in iis quæ* etc. Apostolus sane respicit ad visiones angelicas de quibus gloriabantur isti Judaizantes, quæque phantasticæ et vanissimæ erant. Bisping, in opere valde præclaro, cui titulus *Exegetisches Handbuch*, hic opportune allegat locum ex Conf. s. Augustini lib. X, cap. 42 deductum, in quo de simili errore mentio fit. *Spiritismus* hodiernus veteres istos errores ex parte renovavit.

Non, deest in codicibus ABC*, ubi legitur : *in ea quæ vidit ingressus ;* sensus etiam rectus habetur : visiones suas inanes jactitans.

19. Sequor editionem Taurin. a. 1851, quæ virgulam post *constructum*, loco post *subministratum*, ponit. Doctrina ista, ait, non tantum vanissima, sed, quod nunc ostendit, perniciosissima est ; quia Ecclesiæ caput amputat, eamque totam subvertit.

Caput... corpus. Hanc comparationem vide explicatam Eph. IV, 16; 1 Cor. XII, 12-30. Cf. annot. in Act. Ap. IX, 4 (4ª ed.). Augmentum Dei. Genitivus *auctoris:* augmentum " quod Deus facit in nobis," ait s. Thomas; ergo augmentum divinum et spirituale.

20 * Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis ?
21 * Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis :
22 * quæ sunt omnia in interitum

[20] Si, ut sequitur ex dictis, cum Christo spiritualiter mortui estis legi Mosaicæ, quæ rudimenta tantum religionis continet et infirma est per se in re salutis : non est quod vos, tamquam si adhuc sub infirma illa et elementaria doctrina viveretis, subjiciatis præscriptionibus Judaicis hujusmodi : [21] *Non tetigeris*, v. g. pollutum hoc vel illud ; *neque gustaveris* cibum hunc vel illum immundum, imo *ne* eum *quidem attrectaveris*. [22] (Hæc autem omnia ipsomet usu pereunt, i. e. ad usum corporis adeo expresse sunt destinata, ut unice in hunc finem

20. Rursum docet præcepta legis Mosaicæ ritualia, quæ v. 16 enumerare inceperat, non amplius observanda esse. — Hujus, non pertinet ad scripturam Pauli, quamvis sensum ejus recte exprimat. Elementa mundi : vide v. 8 hujus capitis.

Decernitis : δογματίζεσθε (in sensu, non activo, ut habet Vulgata, sed medio : *patior mihi præscripta imponi) :* quare, more puerorum qui rudimentis indigent, decreta hujusmodi seu præscriptiones Judaizantium vobis imponi permittitis ? Quare vos istis subjicitis ? De istis *decretis*, vide supra v. 14.

21. Tetigeritis... gustaveritis... contrectaveritis : in græco est numerus singularis *tangas, gustes, contrectes*, quasi Apostolus verba pseudo-doctorum citaret. Inde manifestum fit quare objectum non addatur ; lectoribus satis indicatum erat, per hoc ipsum quod præscriptiones istæ eis in memoriam revocarentur. Quidam tres illas præscriptiones ad *cibum* referunt : ne *tangas* cibos Lege prohibitos, a fortiori ne *gustes* eos, imo vero ne *attrectes* eos. Sed hoc posito habetur incongruum quid in illa enumeratione : *gustare* majus est quam *tangere*, sed *attrectare* minus est quam *gustare*. Qua de causa in paraphrasi prohibitionem tangendi ad res pollutas, v. g. vestes mortui, etc., duas autem alias prohibitiones ad cibum referimus.

22. Interitum animæ intelligit s. Augustinus, et post ipsum s. Thomas, hoc sensu : hujusmodi legalium observantia, cum errore gravi in fide, ad mortem ducit æternam. Verum, magis obvius est sensus quem ss. Chrysostomus et Hieronymus tradunt : cibi omnes ipso pereunt usu ; adeoque non aliam habent destinationem quam ut eis utamur. Igitur, nisi positiva

ipso usu, secundum præcepta,
23 et doctrinas hominum : * quæ
sunt rationem quidem habentia
sapientiæ in superstitione, et-

subsistant, et obtento fine pereant). Non est, inquam, quod hujusmodi mandatis vos subjiciatis, et secundum istas doctrinas, quæ non a Deo sed ab hominibus veniunt, vivatis. [23] Sapientissimæ quidem reputantur, quia earum auctores prætendunt religionem (sed arbitrariam,

quadam lege sint prohibiti, hominem coinquinare nequeunt, neque ulla datur ratio eis abstinendi. Atqui prohibitio, quam Deus in vetere lege statuerat, non amplius vigebat; proinde ex humana tantum auctoritate Judaizantes istas imponebant præscriptiones, illo innixi falso fundamento, cibos quosdam esse per se, natura sua, immundos : quod quidem fundamentum hic ab Apostolo evertitur. Eodem modo ratiocinatur Christus apud s. Matth. XV, 17; et s. Paulus 1 Cor. VI, 13. Cl. autem Drach hanc primam v. 22 partem putat in ore Judaizantium, sicut v. 21, ponendam esse, hoc sensu : usus istorum, quum lege Mosaica graviter prohibitus sit, ducit ad perditionem. Sed interpretatio ss. Chrys. et Hier., quæ traditur etiam a Beelen et a Bisping, magis arridet mihi.

Usu : αποχρησει, proprie *abusu*, sed hic *usu consumptivo*, germanice *Verbrauch*, non autem *Missbrauch.*

Secundum præcepta... Hæc videntur referenda ad *quid adhuc.., contrectaveritis,* potius quam ad proxime præcedentia. Quamobrem verba *quæ sunt omnia in interitum ipso usu,* in parenthesim includimus.

Præcepta hominum vocantur, vel quia, si sermo sit de solis legalibus Mosaicis, hæc non amplius observatu necessaria erant; vel quia de iis agitur præsertim præscriptionibus quas Rabbini, sua auctoritate humana, addiderant. Vide supra ann. ad v. 8. Vix monere opus est, ecclesiasticas leges de abstinentia etc. ab istis pseudo-doctorum prohibitionibus toto cœlo differre; non enim auctoritate tantum humana loquitur Ecclesia, cui Christus Dominus : *Qui vos audit,* inquit, *me audit,* Luc. X, 16.

23. Quidem, μεν, non superfluum est seu *pleonasticum,* ut putavit s. Hier., sed est *μεν solitarium,* quod habet in altero membro *correlativum* δε mente supplendum; hoc modo : ista habent nomen seu speciem externam sapientiæ, non autem, quod addit s. Chrys., virtutem et veritatem. Et re quidem vera, hæc antithesis quoad substantiam continetur in verbis *non in honore aliquo.*

Rationem : λογον, nomen, famam, speciem externam. — Superstitio :

humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

quæ potius superstitio dicenda sit), et humilitatem (sed fictam tantummodo), et castigationem corporis (sed vana ostentatione susceptam); nomen vero sapientiæ immerito habent, quia illa omnia quæ observant nequaquam digna sunt honore et æstimatione, imo vero potius ad explendas corporis voluptates inserviunt.

εθελοθρησκεια (ab *εθελω*, paulo fortius quam *θελω*, volo, affecto; et *θρησκεια* cultus Dei externus), id est : cultus divinus superstitiosus, voluntarius, ab humana mente excogitatus, pro libitu inventus et affectatus.

Humilitate, sc. falsa, quam isti ostentabant, sed quæ vera erat superbia, v. 18.

Et non ad parcendum corpori : *εν αφειδιᾳ σωματος*, ac si dicas *in imparcentia corporis*, i. e. per duram corporis vexationem. Probabile est auctorem Vulgatæ scripsisse *et ad non parcendum corpori*. Mortificationes autem, quas Judaizantes ex superbia et superstitione suscipiebant, ab eis quæ secundum Ecclesiæ leges, vel ex amore pœnitentiæ observantur, apprime discerni debent. Rom. XIII, 14 ; 1 Cor. IX, 27.

Non in honore... Hæc, ut modo dicebam, adversative intelligenda sunt, quasi correlativa particulæ *μεν quidem*. Vide paraphrasim. Quamobrem non amplectimur sententiam illorum (s. Chrys., s. Aug. etc.) qui supplent *corporis*; quasi diceret Apostolus : corpus suum nimio extenuant rigore, nec debitum honorem ei impendunt.

Ad saturitatem carnis. Qui *in honore* de corpore intelligunt, verba *ad saturitatem*... cum proxime præcedentibus nectunt (absque commate), hoc sensu : debitum honorem corpori non impendunt, nec justam sibi concedunt carnis saturitatem, seu expletionem. Verum melius est vocem *carnis* in consueta significatione scripturistica sumere, de concupiscentia peccaminosa, seu de parte hominis inferiori ad malum inclinata. Ita s. Thomas : " *Ad saturitatem carnis*, id est, ad implendum carnalem affectum. " Ex historia hæreseon novimus, immoderatam et ambitiosam pseudo-doctorum severitatem fere semper cum occulta ventris intemperantia morumque pravitate fuisse consociatam.

Analysis cap. II, 8-23.

Apostolus, postquam in præcedentibus doctrinam evangelicam de Incarnatione Christi, ac mundi Redemptione per Christum, exposuit : nunc falsam arguit doctrinam Judaizantium, qui Christum ut salutis mediatorem non agnoscentes, legis Mosaicæ necessitatem et obligationem prædicabant.

I. Eorum doctrina, ait, subtilis quidem est et artificiosa, sed fallax, v. 8 (coll. cum v. 4), vanisque nixa visionibus, v. 18; nomen sapientiæ sibi adsciscit, et sub specie religionis, humilitatis atque etiam corporalis castigationis prædicatur; verumtamen nonnisi ad voluptatem ducit, v. 23.

II. Præscriptiones Judaicæ, quas vobis imponere conantur, sunt traditiones humanæ, vera auctoritate destitutæ, v. 8 et 22. Imo vero, lex Mosaica, cui adhærent, valde imperfecta est, nam

1° Solummodo continet prima scientiæ religiosæ rudimenta (adeoque derelinquenda est, mox ut plenitudo et perfectio scientiæ per Christum fuit revelata, v. 8); et rudimenta quidem valde infirma, v. 20. Deinde, absurdum quid esset in eo quod salus æterna penderet a rebus quæ primo usu pereunt, v. g. a discrimine ciborum, v. 22.

2° Lex nonnisi umbra est ac figura earum rerum quarum Christus est corpus, exemplar, et adimpletio, v. 16 et 17.

3° Non per legem Mosaicam, sed per Christum, in Baptismo justificati estis, v. 9-15.

III. Non solum Judaicas et Mosaicas imponunt præscriptiones, verum etiam angelos salutis mediatores esse contendunt. Qua in re gravissime errant; nam Christus caput est tum angelorum (v. 10) quum universæ Ecclesiæ, adeoque solus auctor salutis, v. 18 et 19.

PARS ALTERA : MORALIS.

III — IV.

§ 1. *Generalia sanctitatis monita.*

III, 1-17.

1 * Igitur, si consurrexistis
cum Christo : quæ sursum sunt
quærite, ubi Christus est in
2 dextera Dei sedens : * quæ sur-
sum sunt sapite, non quæ super
terram.
3 * Mortui enim estis, et vita
vestra est abscondita cum Chri-

[1] Igitur si, ut ex dictis colligitur, cum Christo, qui ad vitam surrexit gloriosam, vos etiam ad novam vitam spiritualiter resurrexistis : jam vivite juxta vitam illam cœlestem, quam in Christo participastis ; adeoque ea tantum bona quærite quæ in cœlis inveniuntur, ubi nempe est Christus in vita sua gloriosa, ubi sedet ad dextram Dei Patris, summum honoris gradum quiete possidens; [2] cœlestibus, inquam, rebus tantum studete, non autem terrenis.

[3] Ratio id agendi hæc est : mortui estis homini veteri et terreno, et novam animæ vitam obtinuistis, sc. vitam Christi gloriosam participastis. Equidem ea Christi vita hucusque in Deo abs-

1. Igitur. Morales adhortationes e principiis dogmaticis semper fluunt; veritas enim fons est sanctitatis, et ab intellectu necessarie pendet voluntas, quum nihil sit volitum nisi cognitum. Igitur nemo quempiam ad agendum movebit, nisi prius ei, quid et quare agendum sit, dicendo persuaserit. Si consurrexistis... *Si* non dubitantis est particula, sed sign. *quandoquidem.* Refertur ad II, 12 et 13. " Si consurrexistis, ait s. Bern. (serm. 6, de " Ascen.), et conscendite; si convivitis, et conregnate. Sequamur Agnum " quocumque ierit : sequamur patientem, sequamur resurgentem, sequamur " multo libentius ascendentem. " — *In dextera Dei sedere* quid sit, explicavimus Act. Ap. II, 34.

2. Sapite, plus dicit quam *quærite :* eamdem igitur sententiam, sed majore cum vi, repetit. Idem requirit Ecclesia, cum in Præf. Missæ canit: *Sursum corda !*

4 sto in Deo. * Cum Christus
apparuerit, vita vestra : tunc
et vos apparebitis cum ipso in
gloria.
5 * Mortificate ergo membra
vestra, quæ sunt super terram :
fornicationem, immunditiam,
libidinem, concupiscentiam ma-
lam, et avaritiam, quæ est si-
6 mulacrorum servitus : * propter
quæ venit ira Dei super filios
7 incredulitatis : * in quibus et
vos ambulastis aliquando, cum

condita manet; [4] sed suo tempore, puta, in secundo Christi adventu, omnibus manifesta apparebit. Et, cum hæc vita sit etiam vestra, tunc et vos cum ipso gloriosi apparebitis.

[5] His persuasi veritatibus, et tali spe gloriæ animati, ita agite ut vere mortuus sit homo vetus et peccaminosus; singulas igitur concupiscentias malas compescite, et peccata inde oriunda auferte; præsertim fornicationem, impudicitiam contra naturam, imo internas delectationes carnales, et quæ ex iis nascuntur desideria prava : verbo, omnem inordinatam et insatiabilem rerum venerearum cupiditatem; nam istud vitium est quasi species idololatriæ. [6] Quare severissime a Deo puniuntur gentiles increduli, qui ea perpetrant et nolunt se convertere. [7] Mementote vos etiam olim, quando in gentilium numero eratis, in hujusmodi vixisse peccatis :

4. Vita vestra : vitam enim Christi participastis, quando in Baptismo spiritualiter resurrexistis. Vita nostra nunc abscondita, tunc *apparebit :* complosa lagena corporis nostri, lucerna splendebit (mente recogita quæ narrantur Judic. VII, 16 sqq.); seu, ut belle ait s. Chrys., cum perfractum fuerit conchyle margarita lucebit.

5. Mortificate membra etc. : morti tradite membra vestra terrena, seu membra corporis vestri terrenis servientis concupiscentiis; aliis verbis, membra hominis veteris et terreni spiritualiter occidite, i. e. omnes et singulas concupiscentias malas compescite, et peccata quæ ex iis oriuntur devitate.

Avaritiam, eodem modo explicamus ac Ephes. IV, 19 et V, 3, 5; tum quia illa epistola est quasi nostræ parallela, tum quia *avaritia* hic etiam peccatis impudicitiæ annumerari videtur. — Simulacrorum servitus : vide explicat. Eph. V, 5.

6. Cf. Eph. V, 6. Super filios incredulitatis, immerito omittitur a Tischendorfio in 7ª ed.

7. Cf. Eph. II, 1 et 2. In quibus, sc. peccatis; et *in illis* refer ad *filios incredulitatis,* potius quam ad *peccata :* secus esset tautologia.

8 viveretis in illis. * Nunc autem
deponite et vos omnia : iram,
indignationem, malitiam, blas-
phemiam, turpem sermonem de
9 ore vestro. * Nolite mentiri in-
vicem, expoliantes vos veterem
10 hominem cum actibus suis, * et
induentes novum eum, qui re-
novatur in agnitionem secun-
dum imaginem ejus, qui creavit
11 illum : * ubi non est Gentilis,

[8] nunc autem, quum christiani facti sitis, non amplius sicut gentiles vivite, sed quemadmodum alii faciunt christiani, omnia hujusmodi deponite, necnon et iram exterius erumpentem, imo interiorem animositatem, omnem quoque malitiam adversus proximum; proinde maledicentia et turpiloquium numquam de ore vestro procedant, [9] neque etiam mendacium. Ista, inquam, deponite, siquidem veterem exuistis hominem, omnibusque ejus actionibus malis renuntiastis, [10] et ejus loco novum hominem justitiæ et sanctitati deditum induistis; qui quidem novus homo quotidie renovatur et similis redditur Dei imagini, secundum quam homo creatus fuit; quæ renovatio in hunc tendit finem, ut homo magis magisque Deum cognoscat et colat. [11] In hoc autem novo homine, i. e. in christianismo qui hominem ita renovat, sublatæ sunt omnes distinctiones quæ antea homines a se invicem separabant. Non enim ibi ullum jam est nationis discrimen inter Hebræos et

8. Nunc, exprimit tempus, et opponitur *aliquando;* quare dictio *nunc autem* non est illativa. — Iram, sc. exteriorem; indignationem, nempe interiorem. Cf. Eph. IV, 31. — Blasphemiam contra Deum, ait s. Thomas; sed præfero intelligere de *maledicentia* adversus proximum, quia ad proximum referuntur quæ præcedunt et quæ sequuntur. Turpem sermonem : cf. Eph. V, 4.

9. Mentiri : cf. Eph. IV, 25. — Exspoliantes... cf. Eph. IV, 22 et 24; Rom. VI, 6.

10. In agnitionem, sc. Dei. Finis ob quem novus homo ad Dei imaginem quotidie magis renovetur. — Secundum imaginem... Respicit ad primi hominis creationem; justificatio enim vere est quasi nova creatio. Cf. Eph. IV, 24.

11. Contra Judaizantes obiter docet omnes divisiones et separationes in Christo esse sublatas. Hic, ut Gal. III, 28, enumerat ea quæ in mundo vetere maxime sibi invicem erant opposita : cum hac tamen differentia, quod in ep. ad Gal. addat *Non est masculus neque femina :* hoc autem per

et Judæus, circumcisio, et præputium, Barbarus, et Scytha, servus, et liber: sed omnia, et in omnibus Christus.

12 * Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, hu-

Græcos aut alias gentes; neque discrimen religionis, inter Judæos veri Dei cultores et ethnicos idololatras cujusvis nationis aut culturæ, etiamsi barbari sint et Scythæ; neque tandem discrimen conditionis inter servos et liberos. Verum ibi Christus omnes christianos in se arctissime conjungit.

[12] Igitur, quum omnes æqualiter in uno Christo facti sitis homines novi, tamquam tales vivite; proinde vos, uti decet homines a Deo præ tot aliis ad fidem electos, et ab eo sanctificatos, et filiorum instar amatos, assumite veram et tenerrimam erga proximum misericordiam, benignitatem, modestiam,

glossema hic in ep. ad Col. insertum reperitur apud plures Patres Latinos et in nonnullis codicibus uncialibus.

Gentilis. Ἑλλην, proprie, *Græcus:* sed per metonymiam, qua pars pro toto ponitur, sign. generatim omnes ethnicos: Rom. I, 14. — Circumcisio et præputium: abstractum pro concreto. Discrimen religiosum indicatur. — Barbarus et Scytha. Non est nova antithesis, sed refertur ad *præputium,* quasi per gradationem. Hæc antithesis non habetur in ep. ad Gal. l. c. — Scytha, populus septentrionalis, qui præ ceteris videbatur barbarus.

12. Post descriptam partem justitiæ negativam, quæ consistit in exuendo vetere homine, positivam nunc explicat: *induite hominem novum,* quod generatim monuerat jam supra v. 10. In utraque autem illa justitiæ parte recensentur tantum ea quæ ad proximum spectant; quod quidem optima fit ratione: charitas enim fraterna est externa demonstratio amoris divini in corde regnantis.

Sicut electi... Fundamentum, quo nititur adhortatio, ex insignibus beneficiis quæ in negotio salutis a Deo acceperant, desumitur: beneficium memorat vocationis, et justificationis: hoc autem includit adoptionem, qua filii Dei redditi fuerunt.

Viscera, sedes affectuum habebantur ab Hebræis, forsitan idéo quod inter omnes affectus, tenerrimus et efficacissimus ille sit quem mater erga prolem, suorum fructum viscerum, habet. Itaque dictio *viscera misericordiæ* significat misericordiam affectuosissimam. — Benignitatem: cf. Eph. IV, 32. — Humilitatem. Quum agatur de humilitate erga proximum, potius vertimus *modestiam.* Deinde vocem πραυτητα, quam Vulgata reddit mode-

militatem, modestiam, patien-
13 tiam: * supportantes invicem,
et donantes vobismetipsis si
quis adversus aliquem habet
querelam: sicut et Dominus
14 donavit vobis, ita et vos. * Su-
per omnia autem hæc, charita-
tem habete, quod est vinculum
15 perfectionis: * et pax Christi
exultet in cordibus vestris, in

mansuetudinem et longanimitatem; ([13] alter alterius defectus supportate, et mutuo condonate si quis ab aliquo læsus fuerit; hoc facite ad exemplum Christi: sicut et Christus vobis peccata vestra condonavit, ita etiam vos dimittite aliorum offensas); [14] super omnes autem has virtutes, tamquam vestem superiorem, charitatem induite, quippe quæ omnes veræ perfectionis partes, omnesque virtutes complectatur et colliget.

[15] Præterea pax vera, quæ a Christo provenit, regnet in cordibus vestris, i. e. ante omnia studete ut servetis pacem, præsertim cum christianis; ad quam

STIAM, interpretamur *mansuetudinem*. — PATIENTIAM: μακροθυμιαν, proprie *longanimitatem*.

13. Versiculus inter parenthesim ponendus videtur.

14. SUPER OMNIA, tamquam vestis superior " quæ figuratur, ait s. Th., " per tunicam inconsutilem de qua Joan. XIX, 23 "; adeoque 1° vestis pulchior et pretiosior; 2° aliarum vestium tegumen et complementum. Sic *charitas* est 1° ceteris virtutibus excellentior, utpote omnium regina, 2° omniumque forma et perfectio, adeoque 3° omnium adjutrix et inspiratrix, quatenus ceteras reddit faciliores; sicut s. Aug. (De bono vid., 26) testatur: " In eo quod amatur, aut non laboratur, aut et labor amatur. " Charitatis excellentia præclarissime describitur 1 Cor. XIII.

VINCULUM PERFECTIONIS. Dictio miræ profunditatis! Charitas sola conjungit; sola stringit animos arctissime et fortissime, quasi per *vinculum;* sed vinculum est *perfectum*, quod perfectos reddit christianos, quod corpus Christi mysticum apta membrorum commissura complet et perficit. Ubi non est charitas, ibi non datur unitas; et ubi deest unitas, deest quoque virtus et potentia, necnon ordo et harmonia; verbo, deest *perfectio*. Inter homines dantur multa vincula quæ ferrea videntur, sed " ament, ait s. Aug. (in Ps. 149, 15), et aurea erunt! "

15. ET PAX etc.: " Ex charitate, inquit s. Th., mox oritur *pax*, quæ est " secundum Augustinum, tranquillitas ordinis sibi a Deo instituti ": atqui charitas facit ut ordo servetur. — EXULTET: βραβευετω. Hoc verbum proprie

in qua et vocati estis in uno corpore : et grati estote.

16 * Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus,

etiam divinitus vocati estis, quando per Baptismum unum corpus mysticum facti estis, et proinde alter alterius membra. — Estote etiam Deo grati pro hoc aliisque beneficiis.

[16] Pax autem illa et charitas erga christianos sese manifestet per hoc quod, doctrinam Christi plenissime cognoscentes, et inde eximiam sapientiam haurientes, vos invicem doceatis et commoneatis per psalmos, hymnos, et cantica spiritualia ; sed ea, per divi-

significat *judicem esse certaminis*, deinde generatim, *præesse alicui negotio, id regere et moderari.* Itaque sensus est : *Pax Christi regnet*, dominetur, imperet in anima tamquam regina. *Pax Christi* vocatur, quia Christus auctor est pacis illius veræ et supernaturalis : ipse *pacificavit* omnia (supra I, 20); atque ideo in nativitate ejus canebatur : *In terra pax ;* ideo etiam, antequam e mundo egrederetur, in ultimo colloquio post Cœnam (Joan. XIV, 27) : *Pacem*, ait, *relinquo vobis*, quasi hæc sit ultimus fructus Incarnationis. Cf. ann. Phil. IV, 7. — In cordibus, intus : nam pacem exteriorem cum proximo habere, non semper pendet a nobis.

Grati (ευχαριστοι) estote. Nollem cum Erasmo (in annot.) intelligere de amœnitate erga proximum ; quia magis obvia et naturalis est significatio de grato animo propter beneficia accepta. Cf. v. 17, et ann. Eph. V, 20. S. Chrys. (Hom. 27, sup. Gen.) : " Quando Deus aliquem videt, qui gratus " est de prioribus beneficiis, largius et cumulatius sua dona in illum pro- " fundit. " Contra, vir beneficii immemor nihil jam amplius accipere sperare potest : namque *ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua* (Sap. XVI, 29), i. e. diffluet sicut aqua inutilis, sicut aqua torrentis e liquefacta nive intumescentis.

16. Verbum etc. : " Audite, ait s. Chrys. (Hom. 9, 1),... quomodo vobis... " maxime mandet legere Scripturas, et non leviter nec temere, sed magno " studio et diligentia. " Rationem dat s. Aug. (ep. 140, 36), paucis multa dicens : " Cor Christi... Scripturæ ejus, quæ continent consilium ejus. " Nota Apostolum dicere habitet, quod magnam vim habet, et addere abundanter, ut vim adhuc augeat.

Commonentes etc. Cf. Eph. V, 18 : *Implemini Spiritu sancto* (v. 19), *loquentes vobismetipsis in psalmis* etc. — In gratia, i. e. per gratiam Spiritus sancti ; alii sic : cum suavitate, cum amœnitate (gall. *avec grâce*) ; quidam

in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

17 * Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

nam gratiam, cum devotione interna ad Dei laudem canite.

[17] Ad Dei laudem, inquam : quodcumque enim in verbis aut in operibus peragatis, id omne facite in nomine Domini J. C., tamquam ejus personam gerentes; ut per ipsum, qui caput est vestrum, gratias Deo Patri agatis.

vero : cum gratiarum actione. Sed, quum v. 17 loquatur de gratiis agendis, hoc ultimum videtur minus probabile. — *Cantare in corde*, i. e. cum mentis intelligentia et cordis devotione : sonus externi, etiam suavissimi, Deo non placent, si cor non concinat.

17. Cf. 1 Cor X, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite.* Itaque adhortatur nos Apostolus ut omnia opera in gloriam Dei, et in nomine Christi faciamus; ut per Christum omnia Deo offeramus. Sed quæritur utrum detur præceptum stricte dictum, quod sub peccato obliget, an vero consilium tantum, tamquam de re perfectiori? Quæstio hæc apud auctores theologiæ moralis in utramque partem fuse disputatur, præcipue in tractatu de Actibus humanis, quando agitur de fine operantis. Probabilior videtur, utpote contextæ orationi s. Pauli magis consentanea, sententia quam tenet s. Thomas in suo comm. ad h. l., nempe in his verbis adesse verum præceptum, non consilium tantum; sed non esse necessarium ut omnia ad Deum referantur actu, sufficere ut fiat habitu. Ergo " venialiter peccans, ait s. Th., non facit contra " hoc præceptum simpliciter, quia licet non actualiter, tamen habitualiter " refert omnia in Deum. " Cf. Gury, *Comp. th. mor.* Tract. *De act. hum.*, ubi *de fine.* Quidquid sit de præcepto, optimum saltem est consilium, et efficax perfectionis adjumentum, identidem sanctam renovare intentionem, et cum s. Ignatio sæpe dicere : *Ad majorem Dei gloriam !*

Gratias agentes : cf. v. 15. Tam sæpe id repetit Apostolus, ut numquam satis dixisse sibi videatur. Et re quidem vera : " Deo gratias agere licet, referre non licet, " inquit nervose s. Aug., sup. Ps. 41, 3. Idem (ep. 77) : " Quid melius, ait, et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus quam *Deo gratias !* Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec " intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. " Ideo laudat (in Ps. 132) morem se mutuo salutandi his verbis *Deo gratias !* S. Bas. homiliam insignem habet de gratiarum actione.

Pars epistolæ moralis incipit per monita quædam salutis generalia, quæ ad universam vitæ sanctitatem spectant, vel ad omnes æqualiter diriguntur christianos.

Monita generalia. Abdicatis terrenis cœlestibus studeamus oportet; quia per Baptismum mortuus est homo noster terrenus, et novam vitam accepimus, sc. cœlestem, quæ participatio est vitæ Christi gloriosæ in cœlis : v. 1-4.

Monita particularia ad omnes, circa duo præsertim rerum capita :

1° Contra impudicitiam, v. 5-7 ;

2° Contra vitia charitati fraternæ opposita, v. 8 et 9.

Charitas autem fraterna eo præsertim nititur fundamento, in religione christiana sublatas esse omnes illas distinctiones quæ homines possint a se invicem separare, v. 10 et 11. Commendantur deinde virtutes quæ ad charitatem fraternam pertinent, v. 12-16; præcipue :

Misericordia et mansuetudo, v. 12 ;

Injuriarum remissio erga inimicos, v. 13 ;

Amor et pacis concordia erga omnes, v. 14 et 15 ;

Tandem exhortatio christianorum inter se mutua per sacrorum cantum hymnorum, v. 16.

Aliud monitum generale, omnia in Dei gloriam esse peragenda, claudit hanc partem, v. 17.

§ 2. *Monita particularia de officiis vitæ domesticæ.*

III, 18—IV, 1.

18 * Mulieres, subditæ estote

[18] Ut pax illa et charitas regnent inter vos, unusquisque sui status officiis fun-

18. Ea omnia quæ III, 18—IV, 8 habentur, fere verbotenus leguntur Ephes. V, 22—VI, 22, exceptis quæ ibi dicta sunt de armatura spirituali VI, 10—17. Videsis ibi explicata.

viris, sicut oportet, in Domino.
19 * Viri, diligite uxores vestras,
et nolite amari esse ad illas.
20 * Filii, obedite parentibus per
omnia : hoc enim placitum est
21 in Domino. * Patres, nolite ad
indignationem provocare filios
vestros, ut non pusillo animo fiant.
22 * Servi, obedite per omnia
dominis carnalibus, non ad ocu-
lum servientes, quasi hominibus
placentes, sed in simplicitate
23 cordis, timentes Deum. * Quod-
cumque facitis, ex animo opera-
mini, sicut Domino, et non ho-
24 minibus : * scientes quod a
Domino accipietis retributionem
hereditatis. Domino Christo ser-

gatur. Itaque, mulieres, subditæ estote viris, sicut jam pridem facere debuissetis tamquam christianæ. [19] Vos autem, viri, diligite uxores vestras, et nolite eas dure tractare.

[20] Filii, obedite parentibus vestris, in omnibus quæ ad eorum potestatem spectant, et legi Dei non sunt contraria : hoc enim Domino perplacet. [21] Patres, nolite nimia severitate filios vestros ad iram provocare, ne ira exasperati in desperationem ruant.

[22] Servi, dominis vestris terrestribus obedite, in omnibus quæ juste præcipiunt ; non solum actibus externis et in eorum præsentia, ut eis placeatis, sed ex animo, ut Deo grati sitis; adeoque non ex hominum, sed ex Dei timore. [23] Quodcumque enim facitis, oportet ut ex animo, non exterius tantum, id agatis, et ex optima intentione, nempe pro Domino et non pro hominibus. [24] Scitis enim fore ut, si pro Domino operemini, a Domino accipiatis retributionem, et plenam quidem ejus hereditatem ; quum contra domini vestri terrestres nec hereditatem nec mercedem tribuant. Itaque Christo,

Oportet. Græce est imperfectum : ανηκεν, *oportebat.* Innuit hucusque non ita factum semper fuisse. — In Domino. Vulgatæ editio Vaticana, quum virgulam post *oportet* ponat, vult ut *in Domino* referamus ad *subditæ estote;* attamen *in Domino* cum verbis proxime præcedentibus *sicut oportet* probabilius necti debet; quod confirmatur loco parallelo v. 20.

24. Rationem tradit quare dixit : *Sicut Domino et non hominibus.* — Hereditatis. Genitivus appositionis : retributionem, quæ in hereditate consistit. Tacita antithesis inter id quod a Domino Deo et quod a dominis terrestribus fit. Servis enim non licebat hereditates accipere ; vi legum erant a testamentis et legatis exclusi. — Domino Christo servite. Textus græcus Receptus addit γαρ ; sed lectio Vulgatæ longe melior est, tum ob auctoritatem codicum, quum ob rationem internam contextus.

25 vite. * Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod inique gessit : et non est personarum acceptio apud Deum.

CAPUT IV.

1 * Domini, quod justum est et æquum, servis præstate : scientes quod et vos Dominum habetis in cœlo.

Domino vestro cœlesti tam munifico, fideliter servite; [25] et mala, quæ domini vestri forsitan vobis infligunt, pro ipso patienter sustinete. Nam quicumque injuriam facit, pœnas injustitiæ Deo vindice luet, sive dominus sit sive servus : non enim datur personarum acceptio apud Deum. [1] Itaque, o domini, quod æquum et justum est servis tribuite, scientes vobis, æque ac servis, Dominum esse, cui obedire debetis, cuique strictam reddetis causam vestræ erga servos agendi rationis.

§ 3. *Monitum ad orationem et ad prudentiam in conversatione cum ethnicis.*

IV, 2-6.

2 * Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione :

[2] Assidue Deum orate, cum omni diligentia et studio precibus vacantes, semperque inter orandum gratias Deo

25. Enim : græce in textu Recepto δε, *autem*. Rursum tenenda est lectio Vulgatæ. Estius hic, et in versiculo præcedenti, immerito præfert lectionem textus græci Recepti. Hac occasione repeto quod in introd. generali ad omnes Pauli epist. § 16, 3 animadverti, non fidendum Estio quotiescumque agitur de discernenda vera lectione. Vir ille doctissimus sano quidem et acri præditus erat judicio, sed, quum ejus ætate nondum collectæ essent variantes lectiones ex tot et tantis codicibus antiquis, qui deinceps reperti sunt, ipsi impossibile erat veram lectionem a falsis apte et recte secernere. Jam vero per istud *enim* altera adducitur ratio, sc. *negativa* (*positiva* datur v. 24), quare oporteat *Domino servire et non hominibus :* quia unusquisque a Domino punietur, si male agat, quemadmodum (v. 24) præmium accipiet, si bonum faciat.

1. Hic rursum, ut alibi sæpe, minus recta est capitum divisio.

2. Orationi instate etc. Quam sæpe, quam fortiter commendat orationem ! Et merito quidem id facit, propterea quod nihil nobis magis est necessarium quam ad Deum recurrere, quum nihil habeamus a nobismet ipsi : vere similes sumus mendicis omni ope destitutis : “ Omnes enim quando ora- “ mus, ait venuste s. Aug. (Serm. 15 in Matth., cit. in Brev., Dom. 1 post

3 * orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam
4 vinctus sum), * ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.
5 * In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt : tempus redimentes.
6 * Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut scia-

agite. [3] Orate simul etiam pro nobis apostolis, ut det nobis Deus fidei prædicandæ opportunitatem, nec persecutiones impediant quominus Incarnationis ac Redemptionis mysterium annuntiemus (propter quod mala passus sum et etiam vinctus sum) ; [4] orate ut, vinculis non obstantibus, illud recto modo, sicut oportet me loqui, manifestem.

[5] Circumspecte agite erga gentiles, ne eos ab Evangelio avertatis; adeoque sedulo et caute utamini omni opportunitate vobis concessa ad eos lucrandos, nam raræ et proinde caræ sunt hujusmodi occasiones. [6] In hunc finem, quando cum proximo, præsertim cum ethnicis, colloquia miscetis, sermo vester semper sit jucundus, sale sapientiæ et lepore

" Pent.), mendici Dei sumus; ante januam magni patrisfamilias stamus, " imo et prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere : " et ipsum aliquid ipse Deus est etc. " — S. Hier. (ep. ad Ctesiph., *Non audacter*) : " Peto, ait, ut accipiam; et cum accepero, rursus peto. Avarus " sum ad accipienda beneficia Dei : nec ille deficit in dando, nec ego satior " in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio ! "

3. Ut aperiat ostium, non *carceris*, quia sibi non postulat quidquam, sed *sermonis*, quum totus sit in procuranda Dei gloria. Etiam : innuit se multa alia propter fidem passum fuisse. Post parenthesim virgulam habet ed. Taurin. a. 1851.

4. Si ipse petit suffragia fidelium, a fortiori nos illud facere debemus.

5. Cf. Ephes. V, 15 et 16.

6. *Sal* est symbolum sapientiæ, quia saporem dat cibis quos macerat, eosque conservat, quemadmodum sapientia humanas actiones reddit probatas, animamque a corruptela omni, tum erroris, tum pravitatis, præservat. Sal etiam significat atticum dictorum leporem et sermonis elegantiam; quia, sicut cibus sale moderato conditus gustui est amœnus et stomacho salubris, ita quoque moderata quædam loquendi subtilitas et acumen ingenii jucundiorem utilioremque reddit sermonem. — Ut sciatis... His verbis indicatur excellentissima illa dos quæ gallice vocatur *du tact*. —

tis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

conditus, ut quemadmodum oporteat et conveniat unicuique respondeatis.

—

EPILOGUS.

Familiaria quædam continet.

IV, 7—18.

7 * Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, et fidelis minister, et conservus in Domino :
8 *quem misi ad vos ad hoc ipsum ut cognoscat quæ circa vos sunt,
9 et consoletur corda vestra,* cum Onesimo charissimo, et fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia,

[7] Omnia, quæ ad me et ad res meas spectant, vobis nota faciet Tychicus, hujus lator epistolæ, qui et frater meus charissimus est, et fidelis mecum Christi minister : [8] quem ad vos mitto ad hoc ipsum ut cognoscat res vestras, et per nuntium eorum quæ circa me sunt, veram cordis consolationem vobis afferat. [9] Eum comitatur Onesimus, charissimus et fidelis christianus, qui est ex

Unicuique respondere : Prov. XXVI, 4 et 5 *Non respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* In aliis autem rerum adjunctis, *responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Ad hoc autem opus est discretione : *c'est en cela que consiste le tact.*

8. Ut cognoscat quæ circa vos sunt. Hæc lectio reperitur in codicibus CD** et ***EKL, in versionibus gothica, coptica, syriaca utraque, apud s. Chrys. et Theodoretum in comm.; et merito adoptata fuit a Tischendorfio, 7ª ed. Datur alia lectio : *ut cognoscatis quæ circa nos sunt,* quam referunt ABD*FG et versio æthiopica. Priorem lectionem sequimur, quia difficilior est et ideo minus probabile eam fuisse interpolatam.

9. Onesimus, erat servus ille Philemonis fugitivus, quem s. Paulus ad fidem christianam converterat, quemque ad dominum remisit cum epistola, in Bibliis nostris conservata. Colligimus ex his verbis, epistolam ad Phile-

quæ hic aguntur, nota facient vobis.

10 * Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata : si venerit ad
11 vos, excipite illum : * et Jesus, qui dicitur Justus : qui sunt ex circumcisione : hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

12 * Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu,

civitate vestra. Omnia, quæ hic fiunt, nota vobis facient viri illi.

[10] Salutat vos Aristarchus, qui mecum est in carcere, et Joannes Marcus Barnabæ nepos, circa quem accepistis literas commendatitias (igitur si venerit ad vos, bene excipite eum), [11] et Jesus cognomine Justus. Ex omnibus Judæo-christianis, qui hic sunt, hi soli mecum ad regnum Dei propagandum laborant, adeo ut mihi solatium afferant.

[12] Salutat vos Epaphras, qui ex vestra est civitate, minister Jesu Christi, qui

monem eodem tempore ac nostram, et eam ad Ephesios (cf. v. 7 coll. Eph. VI, 21), scriptam fuisse.

10. Aristarchus, Thessalonicensis (Act. Ap. XX, 4), qui cum Paulo erat Ephesi quando ibi orta est seditio Demetrii argentarii (Act. Ap. XIX, 29), videtur fuisse comes s. Pauli in itineribus ejus apostolicis, quocum Hierosolymis Romam sponte profectus fuit (Act. Ap. XXVII, 2).

Marcus, idem ac *Joannes Marcus*, de quo sæpius in Act. Ap., v. gr. XII, 12. Sunt qui putent eumdem esse auctorem Evangelii secundi. — Consobrinus : ανεψιος, fratris aut sororis filius. Hoc autem consanguinitatis vinculum forsitan explicat quare Act. XV, 37 Barnabas voluerit invito Paulo Joannem Marcum assumere. — De quo, sc. Marco; nam certe Barnabas iis non indigebat.

Mandata : εντολας, probabilius, *literas commendatitias* seu *testimoniales*. Ex antiquis canonibus novimus ab initio Ecclesiæ morem viguisse, ut fideles, et præsertim clerici, si ad aliam ecclesiam peregrinarentur, secum afferrent literas commendatitias a suo episcopo datas.

11. Justus : cognomen adjunctum fuerat fortasse ex veneratione erga ss. nomen Jesu, ut ab hoc distingueretur. Hi soli sunt..., puta, ex Judæo-christianis; nec absolute id intelligendum est, sed cum quodam temperamento, quasi diceret : *fere* soli sunt. Nam sane Timotheus, quem sibi consociat (cap. I, 1), dignus erat adjutor. De s. Petro non loquitur, probabiliter quia eo tempore Romæ non erat. Cf. ann. in Phil. II, 21.

12. Salutationes quæ præcedunt erant a Judæo-christianis, seu, ut dicitur in versiculo præcedenti, ab iis *qui ex circumcisione erant;* sequuntur

semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei.
13 * Testimonium enim illi perhibeo quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis, qui sunt Laodiciæ, et qui Hierapoli.
14 * Salutat vos Lucas medicus charissimus, et Demas.
15 * Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, et Nympham, et quæ in domo ejus est, ecclesiam.

semper pro vobis enixe et sollicite orat, ut, cum magna perfectione et firma animi persuasione, perseveretis adimplere id omne quod vult Deus. [13] Etenim testor eum pro vobis, et pro iis qui Laodiceæ et Hierapoli commorantur, molestiis valde laborasse.

[14] Salutat vos Lucas charissimus, medicus ille quem nostis, et Demas.

[15] Salutate christianos qui sunt Laodiceæ, præsertim Nympham, et cœtum christianorum qui in ejus domum convenire solent.

nunc salutationes ab ethnico-christianis. — Servus C. J., non simpliciter sign. *christianus*, sed servus in eminentiore gradu, quemadmodum sub vetere Testamento Prophetæ dicebantur *servi Jehovæ*, i. e. ejus *ministri, legati*. Cf. Rom. I, 1.

Solicitus : *αγωνιζομενος, certans*. Hæc metaphora in eo fundatur, quod pia oratio sit vis quædam bellatrix, adeo ut, qui orat pro christiano, simul cum eo adversus hostes animæ spirituales pugnet.

Stetis. *Stare* imago est virilis constantiæ; opponitur verbis *cadere, vacillare, pedem referre, fugere*, etc.; et præsertim adhibetur de milite qui in bello strenuissime resistit hostili impetui.

Pleni : *πεπληρωμενοι, impleti*. Sed prævalet lectio *πεπληροφορημενοι*, quam habent cod. ABCD*FG, et quæ sign. *plene persuasi*.

13. Laborem : *πονον* seu *κοπον*, quorum sensus fere idem est : *labor, molestia*. Textus Receptus habet *ζηλον, zelum*, cum cod. D** et ***KL, et utraque versione syriaca.

14. Lucas. Multi ex antiquis putant istum Lucam eumdem esse ac auctorem tertii Evangelii : neque ulla datur ratio seria quare cum Erasmo id in dubium revocemus. Demas, de quo vide 2 Tim. IV, 9 : *Demas me reliquit, diligens hoc seculum*.

15. Nympham, nomen viri, non mulieris; nam recensetur inter *fratres*, et græce pron. *αυτου ejus* est masculini generis. — Quæ in domo ejus est, ecclesiam. S. Chrys. intelligit solummodo ejus familiam, sed longe probabilius est designari christianos, qui in domum Nymphæ convenire solebant; quemadmodum Romæ (Rom. XVI, 5), et Ephesi (1 Cor. XVI, 19) fidelium cœtus fiebat in domo Aquilæ et Priscillæ, et Colossis in domo Philemonis (Philem. 2). Variæ erant nonnumquam hujusmodi domus in eadem civitate, sicut postmodum plures creatæ sunt parochiæ.

16 * Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium ecclesia legatur : et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.

[16] Et, cum hæc epistola lecta fuerit apud vos, facite ut etiam in Laodicensium ecclesia prælegatur; eam vero, quam ad Laodicenses scripsi, inde quærite, et etiam vos legite.

16. Et eam quæ Laodicensium est : την εκ Λαοδικειας. S. Chrys. intelligit epistolam a Laodicensibus ad s. Paulum scriptam ; ait enim : " Non dixit " Paulus *eam quæ ad Laodicenses est*, sed *eam quæ e Laodicæa scripta est.* " Ita etiam Estius, aliique. Verum, verba *et vos legatis* indicant parallelismum cum priore versiculi membro : sicut Laodicensibus legenda est epistola a me scripta ad vos, ita etiam vos legatis epistolam a me scriptam ad Laodicenses. Deinde, in illa sententia Estii Apostolus non dixisset *facite ut legatis*, sed epistolam eis misisset. Sententia 2ª Theophylacti est, qui opinatur agi de aliqua epistola Paulina *e Laodicea scripta :* sed obstat Paulum hucusque eam civitatem non visitasse, ut ex II, 1 colligi videtur. Itaque tenenda est sententia quam paraphrasis refert. Dictio autem εκ Λαοδικειας sign. epistolam inde quærendam esse.

Petitur nunc quænam sit illa s. Pauli epistola ad Laodicenses ? Resp. 1º Certum est non eam intelligendam esse quæ sub hoc nomine inter epistolas apocryphas reperiatur. Nam hæc " ab omnibus exploditur, " ait s. Hier. (De vir. illus. 5) ; deinde, teste Erasmo in Annot., ista *nihil habet Pauli præter voculas aliquot e ceteris ejus epistolis mendicatas.* 2º Neque eadem est ac epistola ad Philemonem, ut nuper censuit Germanus quidam exegeta ; nam hæc nonnisi privata quædam continet, et Philemon videtur (Col. IV, 9) Colossis habitasse, non Laodiceæ. 3º Beel., Bisp., Drach etc., post s. Thomam opinantur (eorumque conjecturam secuti sumus in introd. ep. ad Ephes. § 1) esse epistolam deperditam : sed, oportet ut fateamur seriam quamdam esse difficultatem in hac opinione. Eam hic exponendam ducimus, simulque addemus argumenta quæ alii cuidam sententiæ favent.

Certe valde mira, et per se parum probabilis, dicenda est epistolæ istius amissio : nam si Laodicenses ejus conservationi non providissent, saltem Colossenses eam simul cum sua epistola custodiissent ; eo vel magis quod mentio, hic facta, non permisisset ut res oblivioni fuisset tradita. Atque ideo fuerunt qui putarent epistolam indicatam eamdem esse ac eam quæ in nostris Bibliis vocatur *epistola ad Ephesios,* idque per sequentes rationes suadere conantur. a/ Illa epistola fere semper et ubique nostram explicat et perficit ; b/ verba inscriptionis *in Epheso* (Eph. I, 1 ; cf. ibi explicata)

17 * Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.
18 * Salutatio, mea manu Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen.

[17] Dicite autem Archippo presbytero, ut attendat ad ministerium sacrum quod in Ecclesia accepit, illudque impleat.

[18] En salutationem quam ego Paulus mea manu subscribo: *Memores estote vinculorum meorum. Gratia Dei sit vobiscum! Fiat!*

Analysis cap. III, 18—IV, 18.

In § 2 partis moralis, monita tradit particularia de variis singulorum officiis in iis quæ ad vitam domesticam spectant: cap. III, 18—IV, 1. Nimirum monet:

sunt incertæ fidei; c/ Marcion, ut vidimus in introd. epist. ad Eph. § 1, legebat *in Laodicea,* quin tamen ullam haberet rationem dogmaticam inscriptionem interpolandi. d/ Tandem, loco modo citato docuimus, epistolam *ad Ephesios* fuisse circularem, ad omnes illius regionis ecclesias, præsertim eas quæ Paulum non viderant, destinatam. Eam autem e Laodicea vicina civitate quærere, quam facillime erat Colossensibus.

Hanc tamen sententiam ultimam non admisimus, ideo præsertim quod (ut diximus in intr. in ep. ad Eph. § 1), si epistola ad Ephesios, quæ eodem tempore ac epistola ad Colossenses composita fuit, eadem sit ac epistola ad Laodicenses, non concipiatur quomodo Paulus scribens ad Colossenses petat ut hi salutent Laodicenses (Col. IV, 15), quum certe ipsemet eos salutasset in fine epistolæ quam simul scribebat. Respondent patroni alterius sententiæ Apostolum id fecisse ex causa quadam nobis ignota, v. g. ut charitatem inter utramque illam ecclesiam promoveret; de cetero hanc difficultatem pondere argumentorum quæ prædictæ favent sententiæ facile superari. Litem dijudicent alii: interim, non est quod recedamus a sententia, quam in intr. ep. ad Eph. adoptavimus.

17. Archippus, quum in epist. ad Philem. 2 jungatur Philemoni ejusque uxori, forsitan eorum filius dici potest. Erat *minister in Domino*, puta, presbyter seu sacerdos secundi ordinis.

18. Mea manu. Dictaverit epistolam, ut videtur, Timotheo: cf. Col. I, 1. — Memores. Mos erat s. Paulo propria manu aliquam sententiam gravem, seu gnomen, cum apprecatione gratiæ, in testimonium authenticitatis, subscribere. Vide 1 Cor. XVI, 21.

1° Conjuges, v. 18 et 19 ;

2° Filios et parentes, v. 20 et 21 ;

3° Servos, v. 22-25, et dominos, IV, 1. Servis autem præscribitur obedientia :

a/ Universalis ;

b/ Interna ;

c/ Pia, quæ fiat ex pura intentione, ut Deo placeant ;

d/ Patiens, v. gr. cum injuriæ a dominis inferuntur ;

e/ Animosa, quam spes cœlestis remunerationis confirmet.

Deinde in § 3 adhortatur omnes ad orationem, et ad prudentem solertemque cum ethnicis conversationem, IV, 2-6. Igitur

1° Commendatur oratio

a/ Assidua ;

b/ Alacris ;

c/ Memor Dei beneficiorum ;

d/ Pro ipso Paulo et aliis, præsertim fidei ministris.

2° In omni autem conversatione cum ethnicis

a/ Cauti sint ;

b/ Studiose utantur omni opportunitate ethnicos ad Christum convertendi ;

c/ Sermo sit lepidus et congruens.

Tandem, per modum *epilogi*, familiaria quædam adjicit, cujusmodi sæpe in epistolis reperiuntur : IV, 7-18. Nempe

1° Commendationes et salutationes, v. 7-15 ; quarum quædam in hunc finem tendunt, ut Colossenses Tychicum et Onesimum, viros ab Apostolo missos, necnon et Marcum, si forte veniat, bene excipiant. Peculiari ratione Epaphram, eorum, ut videtur, apostolum atque episcopum, eis commendat.

2° Monita duo :

a/ Ut epistolam hanc Laodicensibus legendam tradant, et vicissim eam quæ illis scripta fuit legant, v. 16 ;

b/ Ut Archippum sacerdotem ad sanctam excitent vigilantiam, v. 17.

In fine habetur salutatio propria Pauli manu exarata, v. 18.

EPISTOLA

1ª AD THESSALONICENSES.

A nobis accepistis (verbum auditus Dei) non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei. 1 Thess. II, 13.

INTRODUCTIO.

§ 1. De Thessalonicensium ecclesia.

Thessalonica (hodie *Salonique*), in sinu Thermaico, ad oram maris Ægæi sita, tum amplitudine, quum incolarum multitudine et opulentia, inter omnes Macedoniæ civitates primum locum obtinebat. S. Paulus, cum in secundo itinere apostolico ex Asia in Europam trajecisset, et Philippis, quo primum advenit, brevi ejectus fuisset, Thessalonicam per Amphipolim et Apolloniam perrexit, ibique Christum prædicavit (Act. Ap. XVII, 1 sqq.). Pauci quidem ex Judæis, multi vero e Græcis proselytis ad fidem se converterunt; sed post tres hebdomadas, propter Judæos incredulos aufugere coactus, Berœam petiit, unde tandem pervenit Athenas.

Paulo post Apostoli profectum, magna orta est Thessalonicæ persecutio contra novellam ecclesiam (1 Thess. II, 14). Quum autem s. Paulus non posset ipsemet ad eam reverti (1 Thess. II, 18), ut fideles plenius institueret in fide et confirmaret, Athenis ad eos Timotheum discipulum suum misit (Act. Ap. XVII, 15, et 1 Thess. III, 1-5).

Interim ipse Corinthum abiit, atque in ea urbe, ubi sesqui-

annum permansit, ad se reducem habuit Timotheum, a quo statum ecclesiæ Thessalonicensis audivit.

§ 2. Occasio scribendi et finis scribentis.

Nuntii autem, partim læti, partim tristes, quos Timotheus de statu ecclesiæ Thessalonicensis Corinthum ad Paulum attulerat (1 Thess. III, 6), causam et occasionem dederunt scribendi hanc epistolam.

Nimirum, ab una parte, nuntiaverat ei christianos in fide profitenda mansisse fideles; eos etiam magna erga ipsum præditos esse veneratione et obsequio, summoque flagrare desiderio eum iterum videndi; verum, ab altera parte, quosdam ibi esse adversarios, qui ejus auctoritatem evertere conabantur; præterea, nonnullas adhuc apud ipsos reperiri morum corruptelas, nec penitus eos in omnibus fidei christianæ doctrinis fuisse institutos; indeque ortos esse errores, et opiniones falsas irrepsisse. Exempli gratia, errabant plures quoad alterum Christi adventum, cum dubitarent utrum nec-ne mortui partem haberent in glorioso illo die, ob eamque causam immodico luctu suos plangebant defunctos.

Finis igitur Apostoli fuit: 1° Thessalonicenses ad perseverantiam in fide, mediis in tribulationibus, adhortari; 2° suam auctoritatem adversus Judaizantium incriminationes tueri, eamque ampliare per amoris solliciti testimonia; 3° vitia quædam extirpare, v. gr. impudicitiam et injustitiam; simulque novum in virtute fervorem excitare. 4° Tandem errores eorum auferre, præsertim quod attinet ad sortem mortuorum, docendo mortuos resurrecturos esse in altero Christi adventu, et simul cum iis, qui tunc victuri essent, ad gloriam cœlestem admittendos esse.

§ 3. Argumentum et divisio.

Ut ex fine statim exposito conjicere licet, argumentum principalius, quod per totam fere epistolam tractatur, *parœneticum* seu

morale est; huic autem intermiscetur (cap. II) quædam Pauli apologia, et brevis expositio quæstionis dogmaticæ de mortuorum resurrectione ad gloriam et de altero Christi adventu (IV, 12 – V, 3).

Divisio logica et clare indicata hic inveniri nequit. Sectiones tamen quasdam a præcipua materia denominatas statuere pro legentium facilitate utile erit. Sint igitur sex epistolæ puncta.

P. 1m. Adhortatio ad constantiam in fide, mediis in tribulationibus, cap. I.

P. 2m. Apologia prædicationis Pauli apud eos, cap. II, 1—16.

P. 3m. Pauli amor erga eos, cap. II, 17—III.

P. 4m. Monita quædam, præsertim ad castitatem, cap. IV, 1-11.

P. 5m. Doctrina de mortuis et de altero Christi adventu, cap. IV, 12—V, 3.

P. 6m. Monita varia ad vitæ sanctitatem, cap. V, 4—fin.

§ 4. De loco et tempore scriptionis.

Certum est epistolam a s. Paulo in secundo itinere apostolico compositam fuisse, quando Corinthi morabatur, ut probatur ex coll. Act. Ap. XVIII, 5 et 1 Thess. III, 6. Errant igitur subscriptiones codicum AB**KL, et versionum copticæ et syriacæ, quæ dicunt eam Athenis scriptam esse: falsa hæc opinio orta est ex male intellecto 1 Thess. III, 1.

Censet Güntner (*Intr. in N. Test.*) epistolam exaratam fuisse *initio* sesquiennalis illius temporis quo Corinthi commoratus est s. Paulus; quia 1 Thess. II, 17—III, 6 innuitur non magnum intercessisse temporis spatium inter Apostoli discessum ex urbe Thessalonica et hujus epistolæ editionem. Sed jure ac merito observat De Valroger (*Intr. au nouv. Test.*) ex 1 Thess. I, 7, 8 potius concludendum esse non tam cito scripsisse Paulum, quum ibi dicat Thessalonicensium famam per totam Achaiam pervulgatam jam fuisse: quod sane brevissimo admodum tempore fieri non potuit.

Inter omnes epistolas Paulinas hæc ordine temporis prima est, scripta circiter a. 54 æræ vulg. Cf. intr. in Act. Ap. § 16 (4ª ed.).

§ 5. Authentia.

Tam certa est epistolæ authentia ut nemo umquam ante Rationalistas eam in dubium vocaverit. Testimonia veterum refert cl. Drach.

Objectiones, quas facit Baur, in opere *Der Ap. Paulus* (2ª ed. 1867, curante Zeller), mere internæ sunt, et vim argumentorum externorum (quæ ex auctoritate traditionis antiquæ et positivæ desumuntur) auferre aut minuere nequeunt. Vix aliud excogitare potuit iste quam hypotheses et assertiones, vel gratuito allatas, vel falsa quorumdam verborum interpretatione nixas.

§ 6. De scribendi ratione floribusque sermonis.

Hæc epistola est intellectu facilior quam aliæ quæ præcedunt omnes. Stylus generatim planus est, fluitque syntaxi regulari.

Hic illicve occurrunt quædam comparationes et metaphoræ notatu dignæ.

II. 7. Quemadmodum mater, quæ filios suos ipsamet nutrivit, eos tenerrime diligit : ita Apostolus Thessalonicenses, quos spiritualiter genuit, et primæ lacte institutionis nutrivit in fide, affectuosissimo amore prosequitur.

II, 19. Eos vocat *coronam gloriæ suæ,* primum quia gloriatur de eis, propterea quod eos Christo subjugaverit, sicut de corona triumphali gloriantur victores; deinde quia, pro mercede laboris apostolici apud eos suscepti, in cœlis coronabitur. Vide ann. ib.

V, 2. Dies judicii (tum particularis in hora mortis, quum universalis in mundi fine) veniet *sicut fur in nocte,* i. e. ex improviso, et terribiliter, respectu illorum qui dormiunt: nam eos spoliabit, et forsitan etiam trucidabit; i. e., si dormiant somno peccatorum,

si in statu gratiæ non vigilent, Dei judicium eos tremendo modo rapiet, bonis denudabit temporalibus, et morti æternæ tradet.

V, 3. Dies ille per aliam comparationem, adhuc significantiorem, describitur. Quemadmodum, ait, mulierem prægnantem subito invadunt acerbissimi dolores, ita dies judicii ex improviso irruet in peccatores, eosque gravissimis cruciabit anxietatibus et doloribus. Peccatum, quod impii in corde conceperunt, est quasi fœtus, quem tamquam onus pessimum gravidi gestant, usque dum mors eos subito corripiat, illudque coram Deo judice manifestet; quæ manifestatio cum partu dolorosissimo et infelicissimo, tali nimirum qui mortem inferat parturienti, apte comparatur, siquidem effectus ejus est mors peccatoris æterna. Cf. Jac. I, 15; Ps. VII, 15. « Mulier quæ est gravida, ait Theodor., scit se habere fœtum « in utero, nescit autem tempus pariendi; ita et nos venturum « quidem universorum Dominum scimus, ipsum autem tempus « certo non didicimus. »

V, 4. Sanctitas sub imagine *lucis*, malitia vero sub imagine *tenebrarum* sistitur. Pariter, peccatores dicuntur nocte, in tenebris, dormire, puta, somno animæ spirituali; vel ebrii esse, ac peccatorum stolida lætitia, quæ mentem obcæcat et depravat, perfundi. Justi contra, quum dies eis semper illuscescat, honeste vivunt, ab iis abhorrentes quæ solent in tenebris perpetrari; tamquam homines vigiles et sobrii, constanter sibi providunt, in salute animæ suæ sedulo elaborant, adeoque prudenter et digne in omnibus se gerunt.

V, 8. Tres virtutes theologicæ, quarum præsidio ab hostibus spiritualibus maxime præservamur, comparantur cum armatura qua miles corpus suum, seu præcipuas corporis partes, sc. caput et pectus, contra tela et ictus hostium munit et protegit: fides et charitas simul sumptæ sunt quasi *lorica;* oportet enim charitatem fidei adjungamus, si velimus *pectus* in sanctis cogitationibus et desideriis custodire. Spes vero potius dicenda est *galea,* qua *caput* erectum secure tenemus; nam spes animum nostrum ad cœlestium bonorum erigit contemplationem. Cf. Eph. VI, 14 sqq.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ PRIMÆ AD THESSALONICENSES.

Inscriptio et salutatio: I, 1, 2.

- P. 1m. Adhortatio ad constantiam in fide non obstantibus persecutionibus: I, 3-10. Rationes sunt:
  - 1° Eorum præsens fervor in pietate, v. 3;
  - 2° Gratia vocationis, et miracula, v. 4, 5;
  - 3° Persecutiones jam toleratæ, v. 6-8;
  - 4° Pristinus ardor in fide amplectenda, v. 9;
  - 5° Præmium futurum, v. 10.
- P. 2m. S. Paulus apologiam facit suæ prædicationis apud eos: II, 1-16. Hæc enim fuit
  - 1° Fortis et cum auctoritate, v. 1, 2, 4;
  - 2° Vera, sincera, absque avaritia, humilis: v. 3, 5-10;
  - 3° Amore plena, v. 7, 8, 11 et 12;
  - 4° Optimos fructus apud eos referens, v. 12-14.
- P. 3m. Amor Pauli erga eos solicitus: II, 17-III.
  - 1° Eos amat, cupit eos invisere, sunt corona sua: v. 17-20.
  - 2° Timotheum misit ut eos consolaretur: III, 1-5.
  - 3° Gaudet de bono eorum statu, v. 6-9;
  - 4° Cupit et optat illum adhuc perficere, 10-13.
- P. 4m. Monita quædam: IV, 1-11.
  - Generale, v. 1 et 2.
  - Ad castitatem et justitiam, IV, 3-8: namque
    - 1° Dei voluntas est;
    - 2° Id postulat vocatio nostra;
    - 3° Severe punietur vitium oppositum.
  - Ad charitatem fraternam, v. 9, 10.
  - Ad laborem, v. 11.
- P. 5m. De mortuorum resurrectione, et de altero Christi adventu: IV, 12-V, 3.
  - 1° Mortui resurgent ad gloriam simul cum iis qui vivent in fine seculorum: inde solamen: 12-17.
  - 2° Dies fatalis adveniet ex improviso, et nemo eum effugiet: V, 1-3.
- P. 6m. Monita varia: V, 4-28.
  - Generalia
    - In statu gratiæ perseverent, per fidem, spem et charitatem; imo progressum faciant: v. 4-11.
  - Specialia
    - 1° Officia in superiores ecclesiasticos, v. 12, 13;
    - 2° Et in proximum, v. 13-15.
    - 3° Gaudium et oratio, v. 16-18.
    - 4° De usu charismatum, v. 19-22.

Peroratio per modum apprecationis, v. 23 et 24; salutationes finales, v. 25-28.

P. 1[m]. *Adhortatio ad constantiam in fide, mediis in tribulationibus.*

CAP. I.

1 * Paulus, et Silvanus, et Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre, et Domino Jesu Christo. * Gratia
2 vobis et pax.

Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus

[1] Paulus, et Silvanus, et Timotheus scribimus christianis Thessalonicensibus, qui sunt in Deo Patre tamquam suæ vocationis auctore, et in Domino nostro Jesu Christo, in quo vivunt per gratiam sanctificantem. [2] Faveat vobis Deus, et omne bonum salutare tribuat.

Gratias semper agimus Deo vestri omnium causa, pie recordantes vestri

1. Paulus : nullus additur titulus, v. g. *Apostoli*, quia inutile erat, quum tam pauco tempore antea apud Thessalonicenses munus apostolicum exercuisset. Cf. ann. Phil. I, 1. — Silvanus et Timotheus Paulo adstiterant quando Thessalonicæ prædicavit, et nunc cum ipso erant Corinthi, ut ex Act. Ap. colligitur. Silvanus Timotheo præponitur, probabiliter quia Timotheus scriptor erat cui Paulus hanc epistolam dictabat, quique ex modestia ultimum sibi locum assignat.

In Deo Patre... Noli hæc cum sequentibus jungere; quia, si hoc voluisset Apostolus, scripsisset *A Deo Patre... gratia* etc.; deinde locus parallelus 2 Thess. I, 1 et 2 clare ostendit verba *in Deo Patre...* referenda esse ad præcedentia, hoc sensu : *Ecclesiæ Thessalonicensium*, quæ est *in Deo Patre*, ut ait s. Chrys. — In Deo : per hæc verba a gentilibus (qui sunt ἄθεοι *sine Deo*), et per *in Christo* a Judæis secernitur.

2. Pax. Post hanc vocem, textus græcus, qui *Receptus* dicitur, addit : *a Deo Patre nostro in Domino J. C.*, cum codd. A (C videtur) DEKL; sed prævalet lectio Vulgatæ, quæ verba illa omittit cum codd. BFG; forsitan est glossema ex initio aliarum s. Pauli epistolarum desumptum.

Gratias agimus : quum Deo, non sibi, adscribat fructum suæ prædicationis, incipit a gratiarum actione, ut in aliis epistolis facere solet. — Agimus. Per totam ferme epistolam numero utitur plurali, plerumque ideo quod alios adjutores sibi consociet ; aliquando tamen, ut videtur, ex modestia, v. g. III, 1. Cf. ann. in 2 Cor. I, 4. — Semper... Explicat quando et quomodo gratias agat ; deinde v. 3 objectum gratiarnm actionis indicat.

3 nostris sine intermissione, * memores operis fidei vestræ, et laboris, et charitatis, et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem
4 nostrum : * scientes, fratres di-

quotiescumque oramus ; [3] nam coram Deo, qui pater noster est, sine intermissione memores sumus boni illius quod operatur fides vestra; nimirum, vos omni conatu charitati fraternæ studere et perseverare in spe quam in Domino nostro Jesu Christo collocastis.

[4] Gratias, inquam, agimus, propterea quod certo confidimus, fratres dilecti

3. Tres nominat virtutes theologicas, quæ omnium primariæ sunt, totiusque vitæ christianæ fundamentum; quæ ideo, jam ab initio novæ vitæ spiritualis, nimirum in ipsamet justificatione, cum gratia sanctificante cordibus infunduntur.

Operis fidei... S. Chrys. : " Certe, ait, fides per opera ostenditur. " Ergo *fides sine operibus mortua est* (Jac. II, 17). Igitur, Apostolus virtutes intelligit concrete sumptas, non abstractas : fidem vivam, charitatem activam, et spem patientiæ causam.

Laboris et... *Et* post *laboris* deleri deberet, quia non est in textu originali ; deinde perfecte sibi respondent hæc tria : *opus fidei, labor charitatis, et sustinentia spei.* — Charitatis : proprie intelligitur de charitate erga proximum, ut constat ex loco parallelo Col. I, 4; attamen connotatur amor in Deum, sine quo vera dilectio fraterna non datur.

Sustinentiæ. Spei scite annectit patientiam et constantiam, nam spes nihil aliud est quam boni absentis exspectatio patiens et perseverans. Cf. Rom. VIII, 25 : *Quod... speramus, per patientiam exspectamus.* — Sustinentiæ spei, sign. spei sustinentis, perseverantis, puta, non obstantibus tribulationibus. Spei : hic, et infra V, 8, quemadmodum Col. I, 5, tertio loco spem recenset, quia virtutes theologicas juxta ordinem processionis quo una ab altera oritur, vel juxta ordinem dignitatis, enumerare non intendit, quod facit 1 Cor. XIII, 13; sed quia vult spei quædam annectere, nempe Domini etc., ut doceat spem nostram in Christo fundatam esse.

Ante Deum..., refertur ad *memores* (Estius) : ergo in orationibus, de quibus v. 2. — Deum et Patrem. Conjunctionis *et* sensus est : coram Deo, qui non tantum est Deus a nobis summa cum humilitate adorandus, sed *etiam* pater noster, filiali amore plane dignus. *Pater*, inquam, quia per Christum nos in filios adoptavit.

4. Scientes, pendet a *gratias agimus;* adeo ut Paulus det rationem ob quam Deo gratias pro eis agat. *Scientes*, puta, non absoluta, sed humana

lecti a Deo, electionem vestram:
5 * quia Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multa,

a Deo, vos ad fidem et salutem electos esse et vocatos.

5 Illud autem confidimus, primum, quia Deus dedit nobis gratiam ut non tantum verbis Evangelium prædicaremus apud vos, sed potentia miraculorum et Spiritus sancti charismatibus illud confirmaremus, atque ita plenam vobis infer-

et morali certitudine: quamobrem diximus in paraphrasi *certo confidimus.* — A Deo, noli nectere cum *scientes,* hoc sensu: novimus Dei revelatione (nam hoc posito, debuisset esse παρα Θεου, pro eo quod habetur ὑπο Θεου); neque refer ad *electionem vestram:* scimus vos esse a Deo electos (quia scripsisset την ὑπο Θεου εκλογην, et non ὑπο Θεου την εκλογην); manet igitur ut jungamus cum *dilecti.* Christiani autem dicuntur *populus a Deo dilectus,* sensu longe perfectiore quam Judæi sub vetere Testamento, quia in christianis adimpleta sunt illa omnia quæ in populo Israelitico fuerunt adumbrata et præfigurata; ideo etiam populus christianus vocatur verus *Israel Dei* (Gal. VI, 16), *Israel secundum spiritum* (per antithesim ex 1 Cor. X, 18). Cf. Rom. IX, 6 seqq.

Electionem vestram. Electio intelligitur æternum illud Dei decretum, quo ex humano genere quosdam præ aliis, absque ullis eorum meritis prævisis, eligit ad fidem et gratiam justificantem, ut per gratiæ auxilium mereantur ad gloriam pervenire cœlestem. Itaque *electio* sic concrete sumpta varios comprehendit actus Dei, quos possumus analytice et abstracte ad sequentes reducere: prædestinationem (hæc est actus quem ponit Deus ab æterno, quique præsupponit præscientiam æternam), vocationem ad fidem, justificationem per fidem, et glorificationem per gratiæ merita obtinendam (hi actus Dei ponuntur in tempore, et ex actibus æternis profluunt). Cf. ann. ad Rom. VIII, 30.

5. Rationem dat quare dixerit *scientes,* seu causam tradit ob quam firmiter persuasum habeat Thessalonicenses ad gratiam, et per merita gratiæ ad gloriam, electos esse. Miracula enim, quæ fecit Deus ut eos ad fidem converteret, signum sunt evidentissimum eorum electionis.

In virtute: hoc explicamus de miraculis Pauli apud Thessalonicenses; verba autem *in Spiritu sancto* intelligimus de charismatibus seu donis extraordinariis, v. g. de dono linguarum aut prophetiæ; verba autem

sicut scitis quales fuerimus in
vobis propter vos.
6 *Et vos imitatores nostri facti
estis, et Domini, excipientes
verbum in tribulatione multa,
7 cum gaudio Spiritus sancti: *ita
ut facti sitis forma omnibus cre-
dentibus in Macedonia, et in
Achaia.
8 * A vobis enim diffamatus est
sermo Domini, non solum in
Macedonia, et in Achaia, sed et

remus persuasionem; quemadmodum scitis nos reipsa tales fuisse apud vos, et vestri gratia.

[6] Deinde, bona mea opinio de vobis fundatur etiam in eo, quod per patientiam vestram imitatores nostri et præsertim Christi facti estis, siquidem fidem suscepistis, non obstantibus persecutionibus, easque cum gaudio spirituali et divino sustinuistis; [7] adeo ut omnibus christianis Græciæ universæ facti sitis exemplum. [8] Nam, cum Evangelium a vestra civitate, non modo in universam Græciam, sed et in plurima loca divul-

in plenitudine (πληροφορια, cf. Rom. XIV, 5 et Col. II, 2) sign. plenam persuasionem et certitudinem quam genuit ejusdem Apostoli prædicatio.

QUALES FUERIMUS, i. e. tales qui sua verba miraculis confirmarent etc. Nescio quare Estius hæc referat ad manuum laborem quem Paulus apud eos suscepit.

6. Secunda ratio qua nititur bona ejus de eis existimatio: animi fortitudo, quam in fide suscipienda et conservanda mediis in persecutionibus ostenderunt. — ET DOMINI. *Et* indicat gradationem, et significat *præsertim*. Cf. ann. in Act. Ap. I, 14. — CUM GAUDIO: de gaudio in tribulationibus plura notavi Col. I, 24.

7. FORMA etc. S. Aug. (Serm. 149, 12): " Major misericordia in eum (fit) " cui proponitur bonæ imitationis exemplum, quam cui porrigitur reficiendi " corporis alimentum." Igitur duplici illi eleemosymæ speciei, quam ex s. Aug. indicavi 2 Cor VIII, 12, nempe *pecuniæ* et *cordis*, tertiam addimus, sc. operis seu *boni exempli*. Animadverte quid dicat Apostolus de bono exemplo et imitando et præbendo: debemus imitari Christum et sanctos, ut et alii nos imitentur.

MACEDONIA ET ACHAIA, duæ provinciæ in quas Romani universam Græciam dividerant. Cf. ann. in 2 Cor. I, 1.

8. A VOBIS, αφ' ὑμων: exiit a vobis et inde pervenit ad alios Græcos. Igitur *a* sumitur localiter; non autem regimen est indirectum verbi *diffamatus est*, hoc sensu: per vos, per subsidia quæ mihi tribuistis, propagatum est Evangelium. Nam si hoc dicere voluisset Paulus, scripsisset ὑφ' ὑμων. — DIFFAMATUS EST: melius, *divulgatus est;* verbum enim *diffamare* plerumque

in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam
9 loqui. * Ipsi enim de nobis annunciant qualem introitum habuerimus ad vos : et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo, et vero,
10 * et expectare Filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

gatum sit, ubique laudatur vestra fidei professio, ita ut non sit nobis necesse quidquam dicere de vestra fidelitate. [9] Ipsi enim, quoscumque adimus, de nobis annuntiant quantum efficaciæ et fructus nostra prædicatio apud vos habuerit, et qua alacritate ab idololatria ad verum Dei cultum conversi sitis; ut, spretis idolis mutis et inanibus, deinceps Deo vivo et vero serviretis, [10] et Jesum de cœlis in fine mundi venturum exspectaretis; Jesum illum Dei Filium, qui a Patre fuit e mortuis resuscitatus; quique idem est salvator noster, et suæ beneficio redemptionis nos ab æterna eripiet damnatione.

Analysis cap. I.

In hac epistola Apostolus varia attingit argumenta, quæ majorem partem moralia sunt seu parænetica, sermone usus conciso et familiari, absque rigoroso illo ordine qui in tractatu ad normam *scientiæ* redacto servatur ; quod conveniens est ei qui epistolam currente calamo scribit, potius quam theologicam aut moralem dissertationem conficere intendat. Absit tamen ut opinemur, in tractandis singulis argumentis rectum idearum et ratiocinationum

in malam partem sumitur. — In omni loco, hyperbole : Rom. I, 8.

9. Ipsi, inter quos a vobis divulgatus est sermo Domini : constructio ad sensum, ut Gal. II, 2. — De nobis : s. Paulus se eis consociat, ut sensim transeat ad sui defensionem, quam in capite II instituet. Quum laudat sanctum mentis fervorem, qua Thessalonicenses fidem amplexi fuerant, per hoc ipsum ostendit magnam fuisse suæ prædicationis efficaciam et excellentiam. — Introitum : sensus, quem in paraphrasi dedi ex cap. II, 1 probatur. — Deo vivo et vero : epitheta hæc antithesim cum mutis et inanimatis falsorum deorum simulacris continent.

10. Qui eripuit. Græce est participium præsentis temporis (ῥυόμενον) *eripientem*, i. e. qui nunc *eripit* per gratiam, et perfecte *eripiet* quando in fine seculorum ad ultimum veniet judicium.

nexum et ordinem adhibitum non fuisse. Nostri muneris est, in uniuscujusque partis analysi sententias Apostoli penetrare, et ordinare secundum methodum logicam.

His præmonitis, punctum 1ᵐ jam aggredimur.

Inscriptio, v. 1; et salutatio apostolica, v. 2.

Benevolentiam captat lectorum, a/ affirmans se absque intermissione pro eis Deum precari, b/ deinde eos laudans. Dum autem eorum laudat virtutes, incipit jam eos ad sanctum fervorem et constantiam indirecte adhortari. Artificium est oratoribus usitatissimum, auditores laudare ea de re ad quam velint ipsos magis magisque excitare.

Itaque eos adhortatur :

1° Laudando eos ob præsentem eorum fervorem, v. 3;

2° Eis in memoriam revocando gratiam vocationis ad fidem, v. 4;

3° Et miracula quæ eorum conversioni profuerunt, v. 5;

4° Etiam persecutiones quas jam sustinuerunt pro Christo, et cum patientia quidem prorsus exemplari, v. 6-8. Quando quis mente recogitat se multa pro fide hactenus passum fuisse, utique ad perseverantiam in fide excitari debet; ne sc. perdat tot sua merita jam acquisita; deinde etiam, quia novit passiones pro Christo toleratas esse signum quoddam et argumentum gloriosæ prædestinationis.

5° Eis in memoriam etiam revocando fervorem, quem initio suæ conversionis exhibuerunt, v. 9. — Novit enim Apostolus prima post conversionem sensa ceteris vividiora et profundiora esse, et solerter ad ea provocat, quia magis nata sunt animos commovere. Vim hujusce ratiocinandi modi norunt oratores sacri, qui, ut fervidos aut tepidos ad novam inflamment alacritatem, aut ut hominum obduratorum corda emolliant, magno quandoque cum fructu eis ob oculos ponunt sensa pietatis et felicitatis quæ olim, quando primum se totos Dei servitio dederunt, v. gr. cum sacram Communionem primum susceperunt, experti sunt.

6° Tandem ostendendo eis præmium, quod in altero Christi adventu accipient, v. 10.

Ut autem hæ omnes adhortationis rationes cordibus altius insculpantur, quædam inserit, quibus suam suæque prædicationis apud eos institutæ defensionem perficiat, majoremque monitis suis conciliet auctoritatem. Eo magis, ut videtur, ad hujusmodi apologeticum inducitur argumentum, quod apud Thessalonicenses, quemadmodum fere in omnibus locis, in quibus prædicavit, exstiterint adversarii, puta præsertim Judaizantes, qui ipsius auctoritatem omni conatu evertere aut saltem imminuere satagebant.

P. 2m. *Apologiam facit suæ prædicationis apud eos.*

CAP. II, 1-16.

1 * Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia
2 non inanis fuit : * sed ante passi et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa solicitudine.

[1] Et merito loquuntur de diligentia quacum fidem amplexi estis quando venimus ad vos, idque cedit in nostram etiam laudem ; nam ipsi vos, fratres, scitis prædicationem nostram apud vos ideo uberrimos tulisse fructus, quia infirma et segnis non fuit. [2] Etenim, quamvis statim antea, Philippis, ut scitis, persecutiones et contumelias passi essemus: attamen, Deo confisi, animum habuimus vobis Evangelium intrepide annuntiandi, mediis in periculis et obstaculis quibus adversarii nos oppugnabant.

1. Scitis introitum... quia non inanis fuit. Structura latina postularet *scitis introitum non fuisse inanem.* — Inanis, non sign. *mendax, fallax;* sed, ut infra III, 5, *fructu vacuus*, cum adjecta tamen notione infirmitatis relate ad Paulum, ut ex v. 2 colligitur. Quare diximus in paraphrasi : uberrimos tulit fructus, quia segnis et infirma non fuit.

2. In Philippis : cf. Act. Ap. XVI, 10 sqq. — In Deo, arcte jungendum est cum *fiduciam habuimus.* — Solicitudine : *αγωνι, certamine.* Recogitat sane persecutiones quas a Judæis sustinuit : Act. Ap. XVII, 5 sqq. Fidei prædicatio verum erat certamen : 2 Tim. IV, 7 *Bonum certamen certavi* etc.; 1 Cor. IX, 26 *sic curro..., sic pugno* etc.

3 * Exhortatio enim nostra non
de errore, neque de immunditia,
4 neque in dolo, * sed sicut probati
sumus a Deo ut crederetur nobis
Evangelium : ita loquimur non
quasi hominibus placentes, sed
Deo, qui probat corda nostra.
5 * Neque enim aliquando fuimus
in sermone adulationis, sicut
scitis : neque in occasione ava-
6 ritiæ, Deus testis est : * nec
quærentes ab hominibus gloriam
neque a vobis, neque ab aliis.

[3] Hæc autem fortitudo nostra in eo nititur, quod prædicatio nostra non ex errore, neque ex prava mentis intentione procedit, nec dolosa est, [4] sed consentanea muneri apostolico quod Deus nobis dignatus est concredere, quando nos ad prædicandum Evangelium elegit. Præterea fit cum purissima intentione, quum soli Deo, qui interiora cordis sensa intuetur, placere studeamus, non autem hominibus. [5] Non enim hominum favores appetivimus : nam, sicut scitis, nullo umquam in casu sermo noster adulatorius fuit ; nec voluimus opes quærere, et avaritiam nostram occasione prædicationis explere, sicut novit Deus, quem hic testem invocamus ; [6] neque gloriam quæsivimus humanam, sive a vobis, sive ab aliis.

3. Exhortatio, melius *prædicatio*, generatim sumpta. — De... de : græce εκ, *ex*, quæ præpositio interiores doctoris dispositiones significat. — Errore, πλανη. Optime vertit Vulgata, nec audiendi sunt Erasmus et Estius, qui volunt voci *errore* substituere *fallacia* aut *impostura*. Etenim sensus est : neque ipse deceptus eram (*in errore*), neque alios decipere volebam (*in dolo*). — Immunditia, hic non sign. pravam libidinem aut morum corruptelam (ut putat Estius), sed intentionem minus puram, v. gr. vana gloria nixam.

4. Non quasi hominibus placentes : Gal. I, 10 *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* : vide ann. ib.

5. Hic, et in vers. sequentibus, oblique notat vitia pseudo-apostolorum Judaizantium, qui ipsi adversabantur. Post *avaritiæ* virgulam cum ed. Taur. ponimus, non vero duplex punctum quod habet ed. P. Vercellone : Vaticana autem editio a. 1598 nullam habet punctuationem.

Deus testis est : quum, ut notat Theod., agatur de re magni momenti, et quæ poterat esse secreta, Dei testimonium, non ut statim (*sicut scitis*) ipsorummet lectorum, invocat. Quantum alienus esset s. Paulus a cupiditate et avaritia in sacro ministerio, colligimus etiam ex 2 Cor. XII, 14-18 ; Phil. IV, 17 ; et ex oratione valedictoria quam Mileti habuit, ubi inter alia dicit : *Argentum et aurum et vestem nullius concupivi* etc. Act. XX, 33 : cf. Comm. nostr. 4a ed.

7 * Cum possemus vobis oneri
esse ut Christi Apostoli : sed
facti sumus parvuli in medio ve-
strum, tamquam si nutrix foveat
8 filios suos. * Ita desiderantes
vos, cupide volebamus tradere
vobis non solum Evangelium
Dei, sed etiam animas nostras :
quoniam charissimi nobis facti
estis.
9 * Memores enim estis, fratres,
laboris nostri, et fatigationis :

[7] Tametsi potuissemus, tamquam Christi apostoli, honores et auctoritatem apud vos nobis conciliare, tamen id facere noluimus ; sed contra humiles et placidi, quasi parvuli, in medio vestrum fuimus ; imo vero, tamquam mater quæ filios suos, quos nutrit, fovet, [8] ita tenerrimo amore vos prosequebamur ; et ideo cupiebamus non solum Evangelium Dei vobis impertiri, sed et vitam nostram pro vobis tradere, propterea quod nobis charissimi facti eratis.

[9] Ideo etiam, ut meministis, fratres, nulli parcentes labori et fatigationi, dies

7. Oneri esse, *εν βαρει ειναι*. Latini plerique, Vulgatæ sensui inhærentes, intelligunt de sustentatione temporali quam Apostolus ab eis exigere potuisset. Provocant ad v. 9 hujus capitis *Ne quem gravaremus* (*επιβαρειν*), et ad 2 Cor. XI, 9 *Nulli onerosus fui* etc. Sed cum proxime præcedentibus et sequentibus melius quadrat sensus quem Græci tradunt : in *gravitate*, in *auctoritate* esse ; eum vero in paraphrasi amplexus sum cum Bisp. et Beel. — Ut etc., qua tales ; non, *sicut alii* Apostoli.

Parvuli, *νηπιοι*, ut legunt codices BC*D*FG, vers. it. et coptica; vel *lenes, mites, ηπιοι,* quod habent cod. AC**D***EKL, et vers. sahidica et syriaca. Sensus eodem recidit. Mira s. Pauli comitas et benignitas, qua omnes sibi devinxit !

Nutrix, non talis quæ alterius proles, sed quæ suas nutrit ; adeoque quemadmodum mater se habet erga filios quos nutrit, se eis accommodans et quasi coæquans, blandiens, non imperans etc. Gal. IV, 19 se rursum comparat *matri;* infra vero, v. 11, et 1 Cor. IV, 15, et Philem. 10, se ut *patrem* sistit. " Ita oportet esse doctorem, " ait hic s. Chrys. Et s. Bern. (in Cant., serm. 23, 2) : " Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari quam metui. "

8. Cupide : glossema est. — Evangelium tradere, seu prima Evangelii elementa, quemadmodum mater lacte suo nutrit filios. Sed etiam animas tradere, sicut mater facile pro liberis vitam gravissimo exponit periculo.

9. Fratres inter duas virgulas ponimus, ad normam ed. Taur. quæ in tali

nocte ac die operantes, ne quem
vestrum gravaremus, prædica-
vimus in vobis Evangelium Dei.
10 * Vos testes estis, et Deus,
quam sancte, et juste, et sine
querela, vobis, qui credidistis,
11 fuimus : * sicut scitis, qualiter
unumquemque vestrum (sicut
12 pater filios suos), * deprecantes
vos, et consolantes, testificati

noctesque laboravimus manibus nostris, ut nemini vestrum oneri essemus, dum apud vos Evangelium prædicaremus. [10] Vos ipsos testes invoco, imo juro per Deum, me sanctissime, et justissime, et prorsus irreprehensibiliter conversatum fuisse apud vos, vestro saltem christianorum judicio. [11] Scitis etiam quomodo unumquemque vestrum, ut pater filios suos, [12] monuerimus, et excitaverimus, et

casu id facere solet. Nocte ac die. Dictio proverbialis sign. *constanter, assidue, diligentissime,* quæ respondet latinæ *dies noctesque.* Præponitur autem nox, vel (Estius) quia Hebræi diem civilem a nocte incipiebant, qui quidem mos inde derivari potuit quod in mundi creatione tenebræ lucem præcesserint; vel potius, quia major vis est in voce *nocte,* quasi diceret : laboravi per noctes, et non tantum per dies.

10. Hactenus, primum negative, deinde positive, sui apologiam fecit; nunc omnia quæ dixit paucis colligit. *Sancte* me gessi, in iis quæ spectant ad Deum; *juste,* quod attinet ad officia erga proximum; adeoque sub utraque ratione fui *irreprehensibilis.* Et quia Deus solus potest veram cognoscere *sanctitatem,* ideo Deum testem invocat; in aliis, quæ ad proximum referuntur, Thessalonicensium appellat testimonium.

Vobis : vos, christiani, me talem habuistis; sed alii, puta Judæi præsertim increduli, non ita de me judicarunt, ut patet ex eorum agendi ratione contra me.

11. Diligentia, qua eos ad sanctitatem vitæ adhortatus est, probat etiam ipsum fuisse apud eos irreprehensibilem. Unumquemque vestrum : " Papæ, " exclamat s. Chrys., in tanta multitudine neminem omittit : non parvum, " non magnum; non divitem, non pauperem " S. Paulus, in oratione valedictoria ad clerum Ephesinum habita, Act. XX, 31, iterum testatur se id fecisse. Imitemur hoc exemplum. — Sicut pater filios suos, non sicut pædagogus discipulos.

12. Deprecantes..... In græco tria sunt participia, quæ a verbo aliquo mente retento pendent, v. g. a *fuimus,* quod habetur in v. 10. Nota gradationem esse in tribus illis participiis. — Consolantes : *παραμυθουμενοι,* proprie *alloquentes,* sive ad consolandum, sive ad cohortandum : ultimam vero notionem postulat contextus.

sumus, ut ambularetis digne
Deo, qui vocavit vos in suum
regnum, et gloriam.
13 * Ideo et nos gratias agimus
Deo sine intermissione: quoniam
cum accepissetis a nobis verbum
auditus Dei, accepistis illud, non
ut verbum hominum, sed (sicut
est vere) verbum Dei, qui ope-
ratur in vobis, qui credidistis.
14 * Vos enim imitatores facti
estis, fratres, Ecclesiarum Dei,
quæ sunt in Judæa in Christo
Jesu : quia eadem passi estis et
vos a contribulibus vestris, sicut
15 et ipsi a Judæis : * qui et Domi-
num occiderunt Jesum, et Pro-

contestati fuerimus, ut ambularetis digne Deo, qui vos ad Ecclesiam suam et ad gloriam æternam vocat.

[13] Et nos, sicut et omnes qui vos norunt, gratias Deo sine intermissione agimus, tum quia Evangelium a nobis prædicatum accepistis, non tamquam doctrinam quamdam humanam, sed, uti reipsa est, tamquam verbum Dei; tum quia verbum illud eximiam suam in vobis christianis potentiam exerit; [14] nimirum per vestram in persecutionibus patientiam. Vos enim, fratres, ecclesias Dei christianas, quæ sunt in Judæa, imitati estis, siquidem easdem passi estis afflictiones a popularibus vestris, quas ipsi a Judæis patiuntur.

[15] Judæi nempe, qui etiam vos conturbant, tales sunt qui et Dominum nostrum Jesum morti tradiderunt, et prophetas etiam, qui ante Christum vaticinati sunt.

13. Verbum Dei : inde oritur absoluta fidei certitudo. — Qui operatur. In Vulgata pronomen *qui* ad Deum refertur ; sed, juxta textum græcum, melius nectitur cum *verbum* (λογος), hoc modo : quod (verbum Dei) operatur in vobis. — Operatur, ενεργειται : Estius sumit sensu passivo; verum potest etiam sensu medio intelligi, quod quidem videtur hic magis convenire. Eodem modo adhibetur Gal. V, 6. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 39, 6, 4. — Credidistis : græce εν ὑμιν τοις πιστευουσιν, qui *estis credentes*, qui estis christiani.

14. Probat (*enim*, γαρ) verbum Dei inter eos vim suam exseruisse. — In Christo : hoc additur ut a cœtibus Judaicis distinguantur. — *Contribules*, quum *Judæis* opponantur, intelliguntur concives seu populares ethnici, qui nimirum a Judæis, ut colligitur ex Act. Ap. XVII, 5, 13, contra christianos excitati fuerant. Ideo etiam v. 15 acriter reprehenduntur Judæi. — Ipsi, qui membra sunt Ecclesiarum Dei in Judæa : constructio ad sensum.

15. Et prophetas : textus Receptus addit ιδιους, *proprios prophetas*, cum codicibus D**et***E**KL, vers. gothica et syriaca. Sed Vulgata melius omittit *proprios*, cum cod. ABD*E*FG et vers. ital., coptica, sahidica, armeniaca, æthiopica. — Prophetas, sc. veteris Testamenti. Præponitur

phetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus
16 hominibus adversantur, * prohibentes nos Gentibus loqui ut

Ipsi quoque nos persecuti sunt, homines sane sceleratissimi, qui ad populum Deo acceptum non amplius pertinent; imo vero universi generis humani inimici sunt, [16] quum impediant nos quominus gentiles cujuscumque nationis per fidei

autem occisio Christi, tamquam crimen gravissimum. Prophetas occidisse dicuntur, quia majores eorum, a quorum moribus non recedebant, illos occiderant. Idem Judæis exprobrat Christus Matth. XXIII, 31, collato XXI, 33; necnon s. Stephanus Act. Ap. VII, 52. — Deo non placent: litotes. Judæi sub vetere Testamento erant populus Dei peculiaris, ac dilectissimus (Deo placens præ ceteris gentibus); sed tantum favorem non obtinuerant nisi propter Christum: quum ergo Christum rejecissent, suas amiserunt prærogativas.

Post adversantur punctum cum virgula in edit. Taur. habetur; recte quidem ad sensum quod attinet; sed quum punctuatio illa in Vulgatæ editione Romana authentica nusquam reperiatur, præferrem duplex punctum.

16. Ut impleant: *ut* est particula *consecutiva* (*adeo ut*), seu quæ *eventum* notat, non autem *finalis* (*eo fine ut*). Græce *εις το αναπληρωσαι,* i. e. peccata peccatis addunt, donec tandem mensuram usque ad summum impleant. Mensura autem peccatorum non potest dici plena eo sensu, quod detur pro singulis hominibus quidam peccatorum numerus, quo completo, non possint amplius pœnitentiam agere, adeo ut remissionem jam obtinere nequeant, solaque desperatio eis supersit. Caveant concionatores sacri ab hujusmodi doctrina pessima. Sed existit quædam malitiæ mensura, qua impleta, aderit mors, et ira Dei vindex peccatorem corripiet. Sic declarat Apostolus a Judæis impleri perversitatis mensuram, quam Deus extremum patientiæ et longanimitatis suæ limitem constituerat, adeo ut nunc terribilis pœna a Deo immittenda sit eis.

Pervenit enim... Loco *enim* in græcis codicibus constanter est *δε*, *autem*, vi cujus particulæ hæc proxime præcedentibus cum levi oppositione nectuntur. — Dei: hoc tantum legitur in codd. DEFG: videtur glossema; sed significationem vocis *ira* rectissime determinat. Ira Dei pervenit super Judæos usque in finem, i. e. ad extremum, ad summum gradum, tum præsertim quando a. 70 facta est terribilissima clades Jerosolymitana sub Tito, de qua vide Comm. nostr. in s. Matth. (3ª ed. 1880-1882) ad cap. XXIII, 37-39.

salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.

prædicationem salvemus. Atque dum ita agunt, peccata peccatis constanter cumulant, suamque iniquitatis mensuram implent. Et ideo ultio divina ad summum usque gradum pervenit, atque in eos mox effundetur.

Analysis cap. II, 1-16.

Supra jam, cap. I, 5, quædam obiter dixit quibus suam apud eos prædicationem commendaret, quando nimirum locutus est de miraculis quæ in eorum conversione facta fuerunt; hæc enim divinæ signa protectionis per manus Pauli patrata fuerunt, adeo ut etiam essent maximum testimonium quo excellentia prædicationis Paulinæ demonstretur. Nunc jam magis directe et ex industria illam apologiæ suæ argumentationem persequitur.

1° Prædicatio Pauli fuit fortis et alacris, v. 1 ;

2° Non obstantibus persecutionibus, v. 2 ;

3° Facta est cum auctoritate divina, secundum munus apostolicum ei divinitus concreditum, v. 4 ;

4° Non ex errore, aut dolo, aut vana gloria, aut avaritia processit, v. 3, 5 et 6 ;

5° Contra, instituta fuit cum vera humilitate, et ex tenerrimo amore; qui quidem amor tantus fuit ut vitam pro eis tradere voluisset, v. 7 et 8.

6° Adeo remotus erat ab avaritia, ut dies noctesque manibus laboraverit, ne, accipiens vitæ subsidia, quempiam gravaret, v. 9 et 10.

7° Sicut pater filios, unumquemque monuit et excitavit ad vitam Deo dignam, v. 11 et 12 : quod sane optimum est prædicatoris officium.

8° Excellentem fuisse ejus prædicationem, probatur etiam ex sancto effectu quem apud eos obtinuit, v. 12-14 : nobilitas enim discipulorum est gloria magistri.

9° Denique, Judæi isti, qui Pauli prædicationem impugnant,

nulla prorsus fide digni sunt, utpote homines pessimi et sceleratissimi, v. 15 et 16.

Sed manet aliquid quod his omnibus rationibus efficacius erit ad finem, quem prosequitur in sui apologia, consequendum : nihil enim cujuspiam animum majore cum vi nobis conciliare ac devincire potest, quam vividissimæ erga eum charitatis exhibitio. Præstantissimum sane ad rem persuadendam argumentum est amor eximius auditoribus impensus. Quamobrem s. Paulus, præclarissimus et solertissimus veræ eloquentiæ artisque oratoriæ magister et doctor, transit nunc ad aliud epistolæ punctum, in quo amorem suum et sollicitudinem Thessalonicensibus abunde testatur.

P. 3m. *Pauli erga eos amor sollicitus.*

II, 17—III.

17 * Nos autem, fratres, desolati
a vobis ad tempus horæ, aspe-
ctu, non corde, abundantius
festinavimus faciem vestram vi-
dere cum multo desiderio :
18 * quoniam voluimus venire ad
vos : ego quidem Paulus, et
semel, et iterum, sed impedivit
nos satanas.

[17] Nos autem, fratres, nos qui per Judæos istos ex urbe vestra expulsi, atque ita vobis, filiis nostris, orbati ad breve tempus fuimus (quod spectat nempe ad corporalen præsentiam, nam corde et animo in medio vestro sumus), cum audivimus vos etiam persecutionem pati, eo majore cum diligentia et ardentiore desiderio conati sumus vos iterum invisere. [18] Ideo statuimus, nimirum ego Paulus bis statui venire ad vos, sed impedivit nos dæmon, ejusque ministri, homines mali.

17. Nos autem, refertur ad v. 14 : *Vos... imitatores facti estis* etc.; *eadem passi estis et vos*, hoc sensu : quoniam vos persecutionem passi estis, nos eo magis desideravimus vos videre, ut vos consolaremur. — Desolati : *απορφανισθεντες*, a vobis separati, quemadmodum pater filiis orbatur. Nam verbum græcum æque dicitur de parentibus qui filios, quam de filiis qui parentes amiserunt.

18. Sed impedivit. Græce *και...*, quam conjunctionem Vulgata scite reddidit per *sed*. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 57, 2, *β*.

19 * Quæ est enim nostra spes,
aut gaudium, aut corona glo-
riæ? Nonne vos ante Dominum
nostrum Jesum Christum estis
20 in adventu ejus? * Vos enim
estis gloria nostra et gaudium.

[19] Et merito quidem tantopere cupiebamus vos adire: nam spei nostræ et gaudii causam, necnon meritum coronæ nostræ gloriosæ, ubi magis quam apud vos, aliosque fidelissimos discipulos inveniemus, quando ante tribunal Christi in altero ejus adventu stabimus? [20] Utique vos estis causa gloriæ et lætitiæ nostræ.

CAPUT III.

1 * Propter quod non sustinen-
tes amplius, placuit nobis rema-
2 nere Athenis, solis: * et misi-
mus Timotheum fratrem no-
strum, et ministrum Dei in
Evangelio Christi ad confirman-

[1] Quum ergo desiderium vestri amplius ferre non possem, nec tamen mihi aditus ad vos daretur, statui Athenis remanere solus; [2] indeque Timotheum, fratrem in Christo dilectum, et adjutorem divinitus mecum ad prædicandum Evangelium vocatum, ad vos misi, in hunc finem ut confirmaret et adhortaretur vos,

19 et 20. Quam amantissima et tenerrima sunt hæc s. Pauli sensa! " Numquam, ait s. Chrys., vel mater vel pater, etiamsi in unum conspi" raverint, amoremque suum utrimque commiscuerint, talem poterunt " ostendere amorem. " — NONNE VOS: græce *nonne et vos.* Significatione non vacat istud *et:* vos, quemadmodum ceteræ ecclesiæ a me fundatæ. Corrigit in secunda interrogatione, quod in prima nimis universe dictum fuerat. — GAUDIUM: pariter s. Joan. 3 ep., 4: *Majorem horum non habeo gratiam* (potius *gaudium*), *quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.*

1. Hic versiculus cum præcedentibus arcte nectendus est. — NOBIS: pluralis de solo Apostolo adhibetur.

2. Timotheus, Act. Ap. XVII, 14, remanserat BerϾ, simul cum Sila, quando Paulus Athenas profectus est; oportet igitur admittere, quamvis s. Lucas in Act. Ap. id non dicat, postea Timotheum illuc etiam venisse; indeque Thessalonicam remissum fuisse; interim Paulum, relictis Athenis, profectum fuisse Corinthum, quo ad eum Timotheus et Silas e Macedonia reversi sunt, Act. Ap. XVIII, 5. Atque adeo inter se conveniunt loca, quæ secundum De Wette Rationalistam sibi mutuo repugnant.

MINISTRUM DEI. Loco *ministrum* διακονον, quod legitur in cod. A, plures codices habent *adjutorem* (συνεργον); deinde, post *ministrum Dei,* textus Receptus addit *et adjutorem nostrum,* cum codd. D***E (confuse) KL. Sed hoc additamentum merito videtur esse glossema.

dos vos, et exhortandos pro fide
3 vestra : * ut nemo moveatur in
tribulationibus istis : ipsi enim
scitis quod in hoc positi sumus.
4 * Nam et cum apud vos essemus,
prædicebamus vobis passuros
nos tribulationes, sicut et factum
est, et scitis.
5 * Propterea et ego amplius
non sustinens, misi ad cogno-
scendam fidem vestram : ne forte

atque ita fidem vestram promoveret : [3] videlicet, ut nemo vestrum per tribulationes quas patimini conturbetur et terreatur. Etenim eas timere non debent christiani : ipsi vos scitis, communem esse omnium christianorum sortem ut persecutiones patiantur ; [4] ideo etiam, cum apud vos essemus, prædicebamus fore ut nos omnes christiani tribulationes pateremur ; quæ prædictio jam, ut nostis, adimpleri cœpit.

[5] Quia autem audieram persecutiones in vos irruisse, nova mihi erat ratio ob quam vestri desiderium diutius ferre non possem, et ideo misi Timotheum ut cognoscerem quomodo se haberet fides vestra ; ne forte tentasset vos satanas

Pro fide vestra : *ὑπερ της πιστεως ὑμων*, quod bene vertit Vulgata hoc sensu : ut fidem vestram promoveret. Minus recte Estius : *de* fide vestra, i. e. de rebus quæ ad fidem spectant.

3. In hoc positi sumus. Probabilius, ut ostendit contextus, hoc cum s. Chrys. refertur ad omnes christianos, non, ut vult Estius, ad solum Paulum. Mens enim Apostoli est Thessalonicenses adversus persecutiones confirmare, hac ratione : pati communem esse christianorum sortem, seu ut alibi dixit idem s. Paulus (Act. Ap. XIV, 21), *Per multas tribulationes oportere nos intrare in regnum Dei.* Cf. etiam 2 Tim. III, 12 *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Joan. XV, 20 : *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt et vos persequentur.* Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis : sed confidite* etc. Oportet enim ut passiones Christi in nobis compleantur, atque adeo membra Capiti accommodentur : cf. annot. Col. I, 24.

4. Ista mala, inquit, eo minus vos perturbare debent, quod sint prædicta, adeoque prævisa. Et re quidem vera, *jacula prævisa minus feriunt.*

5. Altera ratio propter quam Timotheum misit : prima erat (v. 1) amor Pauli, nunc secunda est solicitudo ejus. — Tentaverit... fiat. Observa differentiam in modis verborum : *μηπως επειρασεν ne forte tentaverit* est indicativus, quia agitur de facto quod forsitan jam accidit; *fiat* autem (*γενηται*)

tentaverit vos is, qui tentat, et
inanis fiat labor noster.
6 * Nunc autem veniente Ti-
motheo ad nos a vobis, et annun-
tiante nobis fidem et charitatem
vestram, et quia memoriam no-
stri habetis bonam semper, de-
siderantes nos videre, sicut et
7 nos quoque vos: * ideo consolati
sumus, fratres, in vobis in omni
necessitate et tribulatione nostra
8 per fidem vestram, * quoniam
nunc vivimus, si vos statis in
Domino.
9 * Quam enim gratiarum actio-
nem possumus Deo retribuere
pro vobis in omni gaudio, quo
gaudemus propter vos ante
10 Deum nostrum, * nocte ac die
abundantius orantes, ut videa-

atque ita labor noster apostolicus vobis impensus irritus fiat et infructuosus.

[6] Nunc autem, quum Timotheus, ad nos reversus, notam fecerit eximiam vestram fidem et charitatem, et bonam recordationem quam de nobis servatis semper, adeo ut desideretis nos videre, sicut nos quoque vos videre optamus : [7] magnam, fratres, per vos vestramque fidem, consolationem in variis nostris angustiis et tribulationibus accepimus. [8] Etenim, etsi versamur in quotidianis periculis et quasi continuæ morti exponimur, tamen horum omnium obliti, salvi et læti vivimus, si vos in Christo ejusque fide vivere perseveretis.

[9] Major enim est consolatio nostra, quam ut possimus dignas Deo rependere gratiarum actiones, propter abundantissimum gaudium spirituale quo in conspectu Dei fruimur de vobis. [10] Ideo etiam magis magisque exoptamus vos videre; quamobrem, sine intermissione et cum instantia fere nimia precamur, ut detur

est in conjunctivo, quia indicat rem fortasse eventuram, quæ cogitatur tamquam consequentia facti prioris. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* p. 555.

6. Nunc autem. Estius ea refert ad *veniente*, hoc sensu : cum nuper rediisset ad nos Timotheus ; verum suadet contexta oratio ut referamus ad *consolati sumus*, v. 7. — Et quia... Ad duo rerum capita revocat bonos nuntios quos accepit : 1° audivit Thessalonicensium fervorem christianum, 2° desiderium eorum ipsum videndi.

8. O quam pulcherrima Apostoli sensa ! “ Parvi pendebat in se plagas “ corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis (Pseudo-Anselm.). ” — Vivimus. Persecutiones suas et continua pericula habet tamquam mortem quotidianam. Cf. 1 Cor. XV, 31 : *Quotidie morior* etc.

9. Probat (*enim*) quod dixit v. 7 : *Consolati sumus in vobis.* — Ante Deum, indicat gaudium spirituale, Deo probatum.

10. Abundantius, ὑπερεκπερισσου, ad literam : *super-ex-abundanter*, i. e. *supra modum, cum nimia quasi instantia,* adeo ut *abundantius* notet precationem

mus faciem vestram, et complea-
mus ea quæ desunt fidei vestræ?
11 * Ipse autem Deus et Pater
noster, et Dominus noster Jesus
Christus dirigat viam nostram
ad vos.
12 * Vos autem Dominus multi-
plicet, et abundare faciat chari-
tatem vestram in invicem, et in
omnes, quemadmodum et nos in
13 vobis : * ad confirmanda corda
vestra sine querela in sanctitate,
ante Deum et Patrem nostrum,
in adventu Domini nostri Jesu
Christi cum omnibus sanctis
ejus. Amen.

nobis occasio vos invisendi, atque ita possimus ipsimet complere ea quæ desunt adhuc fidei vestræ. 11 Exopto igitur ut Deus, qui pater noster est amantissimus, et Dominus noster Jesus Christus, felix ad vos iter nobis concedant.

12 Vobis autem det Dominus ut quemadmodum nos erga vos abundanti et eximio amore flagramus, ita etiam vos crescatis et abundetis in charitate fraterna erga invicem, et erga alios quosvis homines, etiam inimicos seu persecutores vestros ; 13 igitur voluntates vestras in bono confirmet, ut sitis irreprehensibiles vereque sancti, non solum in oculis hominum, sed coram Deo, patre nostro ; atque adeo debite præparati sitis ad alterum Christi Domini nostri adventum, quando cum omnibus angelis et sanctis suis ad ultimum judicium veniet. Fiat ! fiat !

maxime intensam, et *nocte ac die* maxime extensam. — QUÆ DESUNT, puta, quoad fidem, tum *objective*, tum *subjective* sumptam ; aliis verbis : ut vos plenius instituamus in doctrina fidei, et ad ferventiorem fidei vitam adhortemur.

11. DEUS : post hanc vocem virgulam non habet editio Taurinensis anni 1854. — DIRIGAT VIAM : κατευθυναι την ὁδον, proprie : viam meam ad vos prorsus rectam faciat et planam (κατα, vim augens, et ευθυνω *rectum facio*, ab ευθυς, *rectus*). — Dubium mihi non videtur votum illud Paulo contigisse. Inspice 3m iter s. Pauli in tab. nostra geogr. ad Act. Ap. 4a ed.

12. CHARITATEM : τῃ αγαπῃ, *charitate*. Igitur *vos* est regimen utriusque verbi *multiplicet* et *abundare faciat :* vos multiplicet et abundare faciat in charitate seu quod charitatem attinet. — QUEMADMODUM ET NOS. Græce *nos* est in nominativo ἡμεις, adeoque oportet supplere non *multiplicat et abundare facit*, sed *abundamus*. Nec violentum hoc videri debet, quia græce *multiplicare* et *abundare facere* sunt verba πλεοναζειν et περισσευειν, quæ in priore membro sumuntur *transitive*, et in altero membro mente supplenda sunt sensu ordinario *intransitivo*.

13. CUM OMNIBUS SANCTIS. Estius, post s. Thom., refert ad *in sanctitate*,

Analysis cap. II, 17—III.

Argumentum hic tractandum jam præparavit Apostolus, supra II, 7, 8, quando suam erga eos dilectionem testatus est tenerrimam, similem illi quam mater habet erga filios quos nutrit; quando se paratum dixit mortem pro eis subire; et paulo post, v. 11, personam induit patris amantissimi: nunc autem magis directe pergit illa amoris sensa exponere.

1° Iterum affirmat eos esse quasi filios suos, v. 17;

2° Locorum spatio ab eis distractus, animo tamen eis præsens est, ib.;

3° Optavit, imo pluries sibi proposuit, eos invisere, et per ipsum non stetit quin id fecerit, v. 17 et 18.

4° Eos vocat gaudium suum et coronam suam, v. 19 et 20.

5° Quum eos adire ipsemet non posset, discipulum suum fidelissimum misit, in hunc præsertim finem, ut eos contra tribulationes confirmaret, cap. III, 1-5. Obiter duas eis suggerit patientiæ rationes: a/ pati christianorum sortem esse communem, et b/ eam rem a se prædictam fuisse, adeoque mala ista, utpote prævisa, minus eos ferire et commovere debere, v. 3 et 4.

6° Tantam percepit lætitiam ex bono nuntio de eorum fidelitate, ut jam omnium obliviscatur periculorum, v. 6-8; utque pro hoc beneficio sufficientes Deo reddere gratiarum actiones nequeat, v. 9.

7° Desiderat ipsemet, visendo eos, complere id quod eorum

hoc sensu, ut sitis sancti sicut alii sancti, ut digni inveniamini qui omnibus sanctis consociemini. Sed ordo verborum postulare videtur ut verba illa conjungamus cum *in adventu D. N. J. C.*, ut faciunt Bisping et Beelen, hoc sensu: quando Christus cum sanctis suis, puta, cum angelis suis adveniet. Cf. Matth. XXV, 31; 2 Thess. I, 7. Sed, ut notat Drach, necesse non est ut per *sanctos* intelligamus angelos solos; nam sancti etiam judicem comitabuntur (1 Thess. IV, 14-16; 2 Thess. I, 10), ut simul cum ipso sententiam ferant: Matth. XIX, 28; 1 Cor. VI, 2. Cf. s. Aug., de civ. Dei 20, 5, 3.

instructioni forsitan adhuc deerat, v. 10 et 11. Quod sane documentum est ejus sollicitudinis pro eis.

8° Præclarissima et sanctissima vota pro eorum perfectione spirituali æternaque felicitate Deo offert, v. 12 et 13.

Quum Apostolus certo noverit se eorum corda lucratum fuisse, et libentissime suscipienda fore omnia sua verba, pergit nunc, quod in primo epistolæ puncto (cap. I) incepit, eis saluberrima tradere salutis monita; non adeo generalia ut antea, sed magis particularia, iis nempe de rebus, quæ præcipua correctione indigebant.

P. 4m. *Monita quædam, præsertim ad castitatem.*

IV, 1-11.

1 * De cetero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis ut abun-

[1] Ergo, fratres, quum Deum oremus pro vestra sanctitate, atque a Deo solo hæc effici nequeat, reliquum nunc est ut vos rogemus et obsecremus, nomine Jesu Christi, cujus vices gerimus, ut secundum normam vivendi, quam vos docuimus servandam esse ad placendum Deo, et quam reipsa observatis, magis

1. Ergo: indicat monita hæc ex præcedentibus colligi posse. Vide paraphr. Gratia Dei sola non sufficit, requiritur etiam hominis mutua operatio: igitur rogamus etc.

Sic et ambuletis. Probabile est auctorem Vulgatæ scripsisse *sicut et ambulatis*, adeoque ipsum in suo codice legisse: καθως και περιπατειτε. Hæc autem lectio, quam sequuntur Lachmann et Tischendorf (7a ed.), certo genuina est; nam testes habet codd. ABDEFG, et verss. goth., copt., armen., æth., slav. Eidem etiam favet ratio interna: quum enim sequatur περισσευητε, *magis id facite*, supponitur illud jam fieri. Estius quidem censet illa verba a quopiam in gratiam Thessalonicensium adjecta fuisse, eademque in textu græco Recepto recte omitti: sed, quum in confirmationem hujusce sententiæ afferri non possint nisi codices D***E**KL et versio syriaca, dicendum est longe præferendam esse Vulgatæ lectionem.

Ut abundetis: *ut* est pleonastica repetitio ejusdem particulæ, quæ ante

2 detis magis. * Scitis enim quæ
præcepta dederim vobis per
3 Dominum Jesum. * Hæc est
enim voluntas Dei, sanctificatio
vestra : ut abstineatis vos a for-
4 nicatione, * ut sciat unusquis-
que vestrum vas suum possidere
in sanctificatione, et honore :
5 * non in passione desiderii, sicut
et Gentes, quæ ignorant Deum :
6 *et ne quis supergrediatur, neque
circumveniat in negotio fratrem

in dies vivatis. [2] Vos eam normam docuisse dico ; scitis enim quæ præcepta vobis in nomine Jesu, a quo emanant, dederim. [3] Nimirum inter alia, vult Deus ut immaculatos et castos vos custodiatis, et a fornicatione abstineatis, [4] et unusquisque habeat sibi uxorem quacum caste et honeste conversetur ; [5] adeoque nemo pravis libidinis affectibus indulgeat, sicut faciunt gentiles, qui, cum Deum ignorent, nec pœnas ejus nec remunerationes cognoscunt. [6] Nemo etiam in contractu quolibet jus lædat proximi, aut eum injuria afficiat, per hoc quod amplius quid quam æquum sit appetat ;

adverbium *quemadmodum* jam scripta erat. In virtute autem semper progrediendum esse docet Phil. III, 13-15.

3. Enim, γαρ, est hic particula explicativa : *nimirum*. — Sanctificatio vestra, i. e. *ut vos sanctificetis*. Nolim cum Estio sensu passivo sumere : *ut sancti vos sitis*, quasi *sanctificatio* fuisset per hebraismum posita pro *sanctitas*. Ex contextu liquet sanctificationem intelligi, non generalem, sed specialem, illam scilicet quæ in vitandis peccatis contra castitatem consistit. — *Fornicatio* a paganis habebatur tamquam res per se indifferens : ideo sæpe eam damnat s. Paulus : 1 Cor. V, 11 ; VI, 9, 15-20 ; 1 Tim. I, 10.

4. Vas suum. Cum s. Aug. (serm. 278, 9 ; De nupt. et conc. 1, 9), s. Thom., Estio, Bisp. etc. intelligimus *uxorem* : 1° quia κτασθαι (*possidere* in Vulgata) significat *acquirere, sibi comparare*, quod commode dicitur de uxore, non autem de proprio corpore. 2° S. Petrus 1 ep. III, 7 eodem sensu adhibet vocem σκευος, vas : *Quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*. 3° Favet etiam contexta oratio : nam *fornicationi* opponitur castum matrimonium, tamquam remedium sæpe necessarium. Sanctus autem Chrys., Tert., All., Beel. *vas suum* interpretantur proprium corpus, in quo tamquam in vase, continetur anima. Cf. 2 Cor. IV, 7 ; 1 Reg. XXI, 5. Pariter Cic. (Tuscul. l. 1, c. 22, § 52) : " Corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum. "

5. Passiones desiderii, quæ opponuntur castitati conjugali, de qua v. 4, sunt affectus motusque libidinis adeo vehementes et effreni, ut erumpant in actus quibus honestas conjugalis lædatur.

6. S. Hier. (in cap. V ep. ad Eph.), s. Chrys., Estius etc., hæc interpre-

suum : quoniam vindex est Do-
minus de his omnibus, sicut
prædiximus vobis, et testificati
7 sumus : * non enim vocavit nos
Deus in immunditiam, sed in
sanctificationem.
8 * Itaque qui hæc spernit, non
hominem spernit, sed Deum :
qui etiam dedit Spiritum suum
sanctum in nobis.
9 * De charitate autem frater-

quoniam talia omnia delicta severe puniet Deus, sicut olim jam, cum apud vos eram, dixi et asseveravi. [7] Etenim Deus nos ad fidem christianam vocavit, non sane eo fine ut in iniquitate viveremus, sed ut sancti essemus.

[8] Itaque, qui hæc monita mea spernit, non me, qua homo sum, spernit, sed Deum qui ore meo vobis fidem nuntiavit; imo vero qui Spiritum sanctum, cui prorsus repugnant peccata, vobis dedit.

[9] Quod autem ad charitatem spectat

tantur de peccatis impudicitiæ; nimirum, de *adulterio*, ob rationes sequentes : 1° quia de impuritate agunt et quæ præcedunt et quæ sequuntur. 2 Quia πλεονεκτειν (quod Vulgata vertit *circumvenire*) potest intelligi de prava voluptate, ut notavimus Eph. IV, 19. Hanc interpretationem indicare videtur editio nostra Vulgatæ, cum in fine v. 6 habeat duplex punctum. Sed sententia s. Thomæ, All., Bisp., Beel. etc., quæ hæc de fraude et injustitia in contractibus explicat, est magis obvia, eique etiam favet articulus qui ante verbum ὑπερβαινειν (*supergredi*) reperitur. Dicendum itaque ab Apostolo obiter redargui aliud vitium satis commune, inter Græcos præsertim. Deinde, quod attinet ad contextum, voces *immunditia* et *sanctificatio* v. 7 non de sola castitate necessario intelligendæ sunt : nam per *immunditiam* designari potest quidquid animæ sanctitati contrarium est, proinde peccata tum contra castitatem quum contra justitiam.

7. In immunditiam. Græce εν cum dativo, cujus ea est vis ut cum motu simul quies subsecuta significetur : Deus non vocavit nos *ad immunditiam*, ut *in immunditia* vivamus. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 54, 5.

8. Non hominem spernit etc. Matth. XVIII, 17 : *si Ecclesiam non audierit, sit tibi* etc. Luc. X, 16 : *qui vos audit, me audit* etc. Nolim allegare Rom. XIII, 1 quia ibi agitur de potestate civili : hæc sane venit etiam a Deo, et qui ei resistit, Deo resistit; sed hoc multo verius est de potestate quam Apostoli acceperant.

In nobis, refert lectionem εις ἡμας : accusativum eodem modo explica ac v. 7. Sensus est : Deus ore nostro loquitur, ideo etiam nobis Apostolis Spiritum suum sanctum dedit. Majorem vero auctoritatem habet lectio εις ὑμας, *in vos*, quippe quæ inveniatur in codd. BDEFGKL, eamque in paraphrasi secuti sumus.

nitatis non necesse habemus
scribere vobis : ipsi enim vos a
Deo didicistis ut diligatis invi-
10 cem. * Etenim illud facitis in
omnes fratres in universa Mace-
donia. Rogamus autem vos, fra-
11 tres, ut abundetis magis, * et
operam detis ut quieti sitis, et
ut vestrum negotium agatis, et
operemini manibus vestris, sicut
præcepimus vobis : et ut honeste

fraternam, non opus est ut de ea scribamus vobis ; ipsi enim vos a Deo, per ejus gratiam, didicistis vos invicem diligere. [10] Idque vel ex eo probatur, quod amorem vestrum exhibetis omnibus christianis universæ Macedoniæ. Rogamus autem vos, fratres, ut in illa virtute magis magisque proficiatis.

[11] Conamini etiam vestra negotia quiete peragere, nec otiosi per domos et plateas discurrite, neque alienis rebus vos ingerite. Sed, uti præcepimus vobis, quando apud vos eramus, victum vobis acquirite per diligentem manuum laborem, tum ut honeste

10. Etenim. Demonstrat ex effectu : " Probatio dilectionis, ait s. Greg. M., exhibitio est operis. "

11. Ut quieti sitis. Hanc monitionem iis quæ de beneficentia christiana dixit ideo fortasse annectit, quia nonnulli, eleemosynis viventes, otio et inertiæ vacabant, per plateas et domos discurrebant atque alienis negotiis curiosius inhiabant. *Quieti* non refertur ad timorem extremi judicii quasi valde proximi, ut censet Drach. Sensus obvius, quem in paraphrasi tradimus, ex 2 Thess. III, 11 certo colligitur.

Operemini manibus vestris. Hæc et similia s. Pauli præscripta contra religiosos ordinum mendicantium, a pseudo-reformatoribus et incredulis nonnumquam detorta fuerunt, per insignem plane mentis perversitatem. Hujusce loci non est apologiam facere illorum ordinum, eorumque eximia in societatem universam beneficia recensere. Videsis Balmes : *Le protestantisme comparé avec le catholicisme*, chap. 38-47. Sufficiet hic pro subjecta materia notasse : religiosos voluntariæ paupertati et mendicitati sese subjicere, non ex otio aut inertia, sed e sublimissimo virtutis desiderio ; ut perfectiora Evangelii consilia adimpleant, et rebus divinis animarumque saluti se totos tradant, oratione et studio, prædicatione et sacro ministerio, imo vero omnigenis beneficentiæ et misericordiæ operibus dies noctesque occupati. Eo autem majore populorum admiratione et gratitudine digni sunt, quod, cum de Evangelio quod prædicant, et de altari cui inserviunt, vivere possint, suo juri sponte renuntient, nihilque accipiant nisi voluntarias fidelium oblationes. S. Thomas, Sum. th. 2ª 2æ, q. 187, a. 5 probat religiosos posse mendicare. Cf. quæ dicemus infra 2 Thess. III, 10. S. Hier. in præclarissima ep. ad Rusticum (ep. 125), inter alia commendat, et strenue quidem, ut monachi cum studio sacro opus quoddam manuale

ambuletis ad eos, qui foris sunt: et nullius aliquid desideretis.

viventes, iis qui christiani non sunt nullam detis offensionis occasionem, tum etiam ut nulla re indigeatis.

Analysis cap. IV, 1-11.

Ad hæc monita apte transiit, quando in præcedentibus, cap. III, 10, innuit quædam Thessalonicensibus adhuc deesse, quæ ad eorum instructionem spectent; et imprimis, quando v. 12, 13 exoptavit ut Deus eos redderet vere sanctos et irreprehensibiles. Ut autem tales sint, explicat nunc quid, inter alia, faciendum sit.

Monitum generale: vivant secundum normam quam Apostolus eis olim præscripsit: a/ secus enim Deo non placerent; b/ præcepta illa Christi nomine data fuerunt, v. 1 et 2.

Monita particularia: quatuor traduntur sequentia:

1° Ad castitatem, v. 3-5, nimirum:

a/ Abstineant a fornicatione, v. 3;

b/ Uxorem habeant, eamque honeste tractent, v. 4 et 5;

2° Ad justitiam in contractibus, v. 6 (juxta interpretationem quam ut probabiliorem admisi).

Simul adjungit nonnullas rationes quibus hæc monita confirmet:

a/ Dei voluntas est; igitur, qui monita illa spernit, Deum spernit, v. 3 et 8;

b/ Vocatio nostra, seu christianæ religionis sanctitas, etiam postulat ut virtutes illas servemus, v. 7;

conjungant: vide ib. n. 11. S. Aug. scripsit librum *De opere Monachorum*, quo acriter perstringit otiosos et desides Monachos, qui manibus laborare nolebant.

Et nullius... desideretis: χρειαν εχητε, *opus habeatis*, indigeatis. Duas igitur suggerit rationes ab quas pauperes debeant manibus laborare, potius quam ex otio discurrere: 1° ne scandalum præbeant iis qui christiani non sunt; 2° ut sufficientem vitæ sustentationem honeste sibi acquirant. A Lap.: " Otium, ait, parit indigentiam et penuriam; penuria fures facit aut mendicos. "

c/ Flagitia autem, his virtutibus opposita, Deus severe puniet, v. 6.

3° Monitum ad charitatem fraternam, v. 9 et 10 ;

4° Necnon ad quietum et assiduum laborem, v. 11.

P. 5m. *De mortuorum resurrectione mundique exitu.*

IV, 12—V, 3.

12 * Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ce-

12 Optamus autem, fratres, ut sortem christianorum, qui ante alterum Christi adventum moriuntur, recte cognoscatis ; ne tristes sitis de eorum decessu, sicut

12. Nolumus vos ignorare : formula Paulo solemnis, qua ad aliud argumentum, quod magni momenti ipsi videatur, transeat. Cf. Rom. I, 13; 1 Cor. XII, 1. — *Dormientes* vocat christianos defunctos, sub qua denominatione profundissimus latet sensus, " Ut cum *dormientes* audimus, *evigilaturos* minime desperemus " (s. Aug., serm. 172): cf. ann. Act. VII, 59. " Dormiens, " ait s. Th., tria facit : cubat in spe surgendi, anima ejus vigilat, et postea " homo resurgit magis refectus et vegetus. Sic qui moriuntur in fide. "

Contristemini..... Non omnis prohibetur christianis tristitia : " Consolabiles, ait s. Aug. (Serm. 32 de verbis Apost. ; juxta Drach, Serm. 172,3), " lacrymas fundant, conditione mortali ; quas cito reprimat fidei gaudium, " qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, et ad " meliora transire. " Idem, serm. 172, 1 : " Necesse est, ait, ut tristes " simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus : quia, etsi novimus " eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquantum præcedere " secuturos ; tamen mors ipsa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, " contristat in nobis ipsius dilectionis affectum... Dolet humana conditio, " sed sanat divina promissio. " — S. Cypr. (serm. 1 de mortal.) : " Sciamus, " ait, non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, " ut navigantes solent. " Cf. s. Chrys., hom. 6 ; s. Hier. ep. 39 ad Paulam. Obiter notare juvat hujusmodi testimonia pulcherrima in memoriis mortuorum (*images ou souvenirs mortuaires*) inscribi posse aptissime, potius quam inanem, et sape falsam, defuncti laudem.

Qui spem non habent, puta, futuræ corporum resurrectionis, simulque animorum immortalitatem non admittunt. Animadvertere oportet utramque hanc veritatem in doctrina novi Testamenti haberi tamquam inseparabiliter conjunctam, adeo ut qui tunc temporis corporum negarent resurrectionem,

13 teri, qui spem non habent. * Si
enim credimus quod Jesus mor-
tuus est, et resurrexit: ita et
Deus eos, qui dormierunt per
14 Jesum, adducet cum eo. * Hoc
enim vobis dicimus in verbo
Domini, quia nos, qui vivimus,
qui residui sumus in adventum

omnes ii qui spem non habent futuræ resurrectionis. [13] Nostra enim spes certa est: nam si, ut credimus, et ut res est, Jesus a mortuis resurrexit, nullum est dubium quin Deus christianos defunctos, qui membra sunt viva corporis Jesu, per eum ad vitam novam suscitaturus, et cum eo in regnum suum gloriosum adducturus sit. [14] Asserimus enim vobis, et hæc est doctrina quam ab ipso Christo didicimus, illos qui in vita superstites fuerint, quando Dominus in fine mundi

simul etiam animæ immortalitatem rejicerent. Cf. annot. 1 Cor. XV, 19. Spem: nervose Tert. (De res. carn. 1): " Fiducia christianorum, ait, resurrectio mortuorum. "

13. Si enim credimus. *Si*, non dubitantis est, sed præsupponentis (Estius). Ita et etc. Constructio regularis fuisset: ita credere debemus quod Deus etiam etc. Ex Christi resurrectione, quam ponit tamquam ab omnibus admissam, obiter demonstrat futuram omnium resurrectionem. Vim autem argumenti exposuimus in ann. 1 Cor. XV, 12.

Per Jesum, juxta s. Chrys. et Estium refertur ad *dormierunt:* et hic est sensus quem nostra Vulgatæ editio indicat, quum virgulam post *Jesum*, non post *dormierunt* habeat. Sed, si hoc voluisset Apostolus, certe scripsisset in *Jesu;* quamobrem melius est *per Jesum* nectere cum *adducet*, ut faciunt Beel., Bisp. etc.

Adducet, loco *resuscitabit.* Dictio est prægnans: eos resuscitabit, et adducet cum Jesu. — Cum eo, adeo ut cum Jesu in regno ejus glorioso conjuncti sint. Nemo non videt, hic, quemadmodum 1 Cor. XV, nonnisi de resurrectione justorum sermonem fieri.

14. In verbo Domini, per revelationem quam directe ab ipso Deo accepi (s. Chrys., Bisp., Beel. etc.): Gal. I, 12 *Neque... ab homine accepi illud* (Evangelium).., *sed per revelationem J. C.* Probabile non est, quod nonnullis placuit, per *verbum Domini* indicari hoc Christi dictum, Matth. XXIV, 31: *Mittet angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregabunt electos ejus a quatuor ventis.* Hæc enim nimis videntur generalia, quam ut synonyma verborum Apostoli hoc loco haberi possint.

Nos qui vivimus. Inde multi Protestantes, et cum iis cl. Bisping (quod mirum videtur), concludunt s. Paulum putasse se futurum esse de numero eorum qui in fine mundi, in altero Christi adventu, adhuc viverent. Sed

Domini, non præveniemus eos,
15 qui dormierunt. * Quoniam ipse
Dominus in jussu, et in voce

adveniet, non citius quam alios, qui antea mortui fuerint, neque solos ad bravium gloriosæ resurrectionis perventuros esse.
15 Etenim, quando Dominus ipsemet, postquam jussum datum fuerit, et archangelus quidam vocem extulerit, cete-

1º falsa hujusmodi opinio, quam auctor θεοπνευστος in scriptis suis expressisset, divinæ ejus inspirationi repugnaret; 2º traditio catholica talem sensum verbis Apostoli non tradit; 3º alibi s. Paulus ostendit se minime adhærere opinioni isti : 2 Cor. IV, 14 *Nos cum Jesu suscitabit* (sc. a mortuis); 2 Tim. IV, 6 *Ego enim jam delibor: tempus resolutionis meæ instat* etc. 4º Mox cap. V, 1, et 2 Thess. II, 2 satis declarat incognitum esse tempus quo rediturus sit Christus ad judicium extremum : igitur, per verba *nos qui vivimus* asserere non intendit adventum Domini futurum esse ante mortem suam ; sed personam induit justorum qui tempore secundi Christi adventus victuri sunt : " Illud *nos* non de seipso dicit, ait s. Chrys.; non " enim erat mansurus usque ad resurrectionem; sed dicit fideles. " Cf. ann. 1 Cor. X, 11 ; XV, 51.

Præveniemus, φθασωμεν : certe recogitat ludos publicos, in quibus palmam perdent victoriæ isti omnes qui ab aliis præveniuntur. Docet igitur justos defunctos, æque ac viventes, bravium salutis obtenturos esse : atque ita sanat Thessalonicensium errorem, quo putabant eos solos christianos, qui tempore ultimi Christi adventus adhuc in terris victuri essent, regni gloriosi participes futuros. Error autem ille causa erat quare amicos suos, qui ante illum adventum moriebantur, tam amare deflerent.

15. Ipse, additur emphasis causa: Dominus ipse, non ejus nuntius aut vicarius. Cf. Act. Ap. I, 11 : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Jussum, κελευσμα, proprie significat clamorem venatoris ad canes, vel naucleri ad remiges, vel ducis ad milites. Bisping intelligit mandatum Dei Patris, quo mundi fatum adesse declaraturus sit : cf. Matth. XXIV, 36. Estius autem putat esse Christi imperium, quo repente jubebit omnes ministros suos præsto esse ad suum descensum, vel quo mortuos evocandos esse significabit: Joan. V, 28 *Qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei.*

In voce archangeli. Jussum illud Dei Patris (vel, juxta Estium, jussum Filii) promulgabit archangelus quidam (græce non adest articulus), quem merito opinamur Michaelem, quippe qui ubique, in vetere et novo Testa-

Archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.
16 * Deinde nos, qui vivimus, qui

rique angeli tuba cecinerint, de cœlo descendet : tunc primum resurgent ii qui in statu gratiæ antea mortui erant;
16 deinde alii justi, qui adhuc in vita

mento, præcipuum in Ecclesiæ regimine ordinem occupet : cf. Dan. X, 13 ; Judæ 9 ; Apoc. XII, 7.

In tuba Dei. Ad vocem illius archangeli, tuba canent angeli, secundum Matth. XXIV, 31 : *Mittet angelos suos cum tuba et voce magna.* Tuba autem illa vocatur *tuba Dei,* " non, ait Beel. (Gram. gr. p. 255), tuba longe lateque personans (quasi dictio illa *tuba Dei* per hebraismum vim habeat superlativi), sed tuba quæ Dei est, h. e. quæ Deo jubente sonat. " Bisping autem non excludit sensum illum de tuba maxime sonora ; et s. Thom. ait : " *Tuba Dei* dicitur, in quantum divina virtute fiet. " Sic Ecclesia canit in Seq. *Dies iræ* : " Tuba mirum spargens sonum per sepulcra regionum. " Porro *tuba* intelligenda est metaphorice, ut explicavi supra 1 Cor. XV, 52.

Mortui qui in Christo sunt : *οἱ νεκροι εν Χριστῳ.* Optime vertit Vulgata, quia *εν Χριστῳ in Christo* refertur ad *νεκροι, mortui,* non autem ad *resurgent.*

Primi, vel *primum* (quæ probabilior est lectio), non significat justorum resurrectionem adventuram esse ante generalem mortuorum resurrectionem, et ante viventium transformationem ; sed refertur ad *deinde* v. 16, et hæc duo simul sumpta indicant duplicem actum in rerum consummatione : *primum* resurgent mortui, et, quod hic supplendum est, eodem tempore transformabuntur qui tunc adhuc vivent ; *deinde* (secundus actus) resuscitati a mortuis et viventes transmutati rapientur omnes simul obviam Christo, et, post peractum judicium, cum ipso in cœlestem gloriam introibunt.

Apostolus in hac pericopa non loquitur de resurrectione reproborum, quia tantum vult consolari christianos pios et bonos.

16. Nos qui vivimus... rapiemur. Græci interpretes censent viventes illos sine morte media transmutandos esse ad statum gloriosum ; sed longe communior est Latinorum sententia, quam amplectimur, omnes homines, etiam illos qui in fine mundi victuri sint, morituros esse : eos tamen ab Apostolo *dormientibus* non accenseri, propterea quod morte ordinaria, cui lenta in sepulcro succedat corruptio, morituri non sint, adeoque non ut alii e sepulcro surrecturi. " Dormitio præcedet, quamvis brevissima, " ait s. Aug., De civ. Dei XX, 20, 3. Vide ann. 1 Cor. XV, 51.

Simul rapiemur. *Simul* concinit cum : *Non prævenienius eos qui dormierunt,* v. 14. Rapiemur, non significat inertia adhuc et crassa fore corpora,

relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.

17 * Itaque consolamini invicem in verbis istis.

CAPUT V.

1 * De temporibus autem, et momentis, fratres, non indige-

superstites erunt, eodem momento transformati, nubibus vecti obviam Christo per aera, simul cum prioribus rapientur : atque ita omnes eadem sorte æque felici gaudebimus, et semper cum Domino erimus in gloria cœlesti.

[17] Itaque, non est quod mortuos vestros adeo defleatis ; quin potius, consolamini invicem per hanc doctrinam.

[1] De temporibus autem, et temporum articulis, in quibus evenient facta varia quæ ad mundi finem et judicium extremum spectant, non indigetis, fratres, ut scribamus vobis, quia jam vos docuimus omnia quæ de his scitu necessaria

siquidem agilitatis dotem jam habebunt ; sed verbum *rapere* indicat tum celeritatem motus quo ferentur corpora, tum magnitudinem potentiæ qua sese movebunt, et quam nihil impedire poterit.

In nubibus, *nubibus vecti.* Quemadmodum Christus *in nubibus* cœlum ascendit, Act. Ap. I, 9, eodemque modo de cœlo descendet, Matth. XXIV, 30, et Act. Ap. I, 11 : ita quoque justi *in nubibus* ad Christum ferentur. — In aera, *ad aera*, pendet a *rapiemur*. Ille autem sanctorum occursus fiet ante judicium universale, quando Christus ad illud e cœlo descendet.

Et sic... " Non in aere, ait s. Aug. (*De civ. Dei*, XX, 20, 2), semper mane-" bimus cum Christo ; quia nec ipse utique ibi manebit, quia veniens trans-" iturus est. Venienti quippe ibitur obviam, non manenti. "

Semper cum Domino erimus : ergo non erimus conversi in Deum, quasi in ipso absorpti. Igitur, jure merito damnata fuit a Joanne XXII a. 1329 hæc pantheistica propositio Eckardii : " Nos transformamur totaliter in Deum " et convertimur in eum. Sicut in Sacramento Eucharistiæ panis converti-" tur in corpus Christi, sic ego convertor in eum, quod ipse operatur me " suum esse, unum, non simile. " Ex hoc loco ep. ad Thess. colligitur verba 1 Cor. XV, 28 *Ut sit Deus omnia in omnibus* non pressius intelligenda esse : vide ann. supra ad ill. loc.

17. Consolamini invicem, ac mutuum lenite dolorem, quo vestros lugetis defunctos, quasi a regno Christi et a vestro consortio in perpetuum exclusi sint.

1. Transit (autem) ad aliud doctrinæ caput, cum præcedente connexum : monet eos diem Domini (a quo, ut dixit, mortui non sunt exclusi) ex improviso superventurum esse (1-3) ; ideoque oportere ut semper sint parati (4-11). — *Tempus*, quod est nomen generis, per *momentum* magis determi-

2 tis ut scribamus vobis. * Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita

sunt. [2] Ipsi enim optime nostis diem judicii extremi ex improviso adventurum, sicut fur in nocte hominibus secure dor-

natur ; simile est flandr. *tijd en stond.* Sed Apostolus dicit in plur. *tempora* et *momenta,* quia recogitat plura facta, quæ in adventu Christi vicissim evenient. — Non indigetis : est *præteritio* quædam.

2. Diligenter : *ακριβως, accurate.* Dies Domini. Hæc dictio, quæ in novo Testamento sæpissime occurrit, generatim significat tempus quo Christus insigni quodam et peculiari modo potentiam suam divinam exerit et declarat ; specialiter designat mundi finem, quando Christus rediturus est judex hominum, quo sensu reperitur 1 Cor. I, 8 ; V, 5 ; 2 Cor. I, 14 ; Philip. I, 6, 10 ; 2 Thess. II, 2. Verum animadvertendum est sub die illo comprehendi diem mortis : quia, ut ait s. Aug. (ep. 199, al. 80, n. 2), " In quo quemque " invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissi- " mus dies ; quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo " judicabitur. " Cf. ann. 1 Cor. X, 11.

Sicut fur : 2 Petr. III, 10 : *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli* etc. Matth. XXIV, 43 : *Si sciret paterfamilias qua hora fur* etc. Apoc. III, 3 : *Veniam at te ut fur* etc. ; pariter XVI, 15.

In nocte junge cum *fur*, non cum *veniet dies Domini.* Nonnulli ex antiquissimis Patribus opinati sunt, probabiliter ex hoc loco, Christum denuo venturum tempore noctis, imo nocte quæ festum Paschale præcedit. Inde s. Hier. et Lactant. (Instit. 7, 19) originem deducunt vigiliæ quam tunc agebant fideles, ut, si ex improviso adveniret Christus, eos vigilantes inveniret. " Traditio Judæorum est, ait s. Hier. (in Matth. XXV, 6), Christum " media nocte venturum... Unde reor et traditionem Apostolicam perman- " sisse ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere " non liceat, exspectantes adventum Christi. "

Sicut fur in nocte : vim hujusce comparationis explicavimus in introd. ad hanc epist. § 5. Causas plures, quare dies judicii et proinde mortis sit incertus, adfert hic s. Chrys. Et s. Aug. (De disc. christ.) : " Latet, ait, " ultimus dies, ut observentur omnes dies : " vel, quod hic v. 6 dicitur, ut semper *vigilemus* et parati simus.

Sed quomodo ex improviso, sicut fur nocturnus, adventurus sit dies Domini, quum Christus in Evangelio manifesto prædixerit varia præcessura signa in sole, luna etc.? Responderi potest primum, nesciri tempus quo signa futura sint ; deinde signa remota ab impiis, quos præsertim respicit s. Paulus, non agnoscenda fore, sicut accidit in diebus Noe (Matth.

3 veniet. * Cum enim dixerint, Pax et securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.

mientibus inopitato supervenit. [3] Etenim eo ipso tempore, quo improbi putabunt omnia esse tuta sibique nihil timendum esse, subito in eos irruet dies mortis et judicii, quemadmodum partus dolores mulierem prægnantem repente invadunt; nec malum imminens ulla ratione effugere poterunt.

Analysis cap. IV, 12 — V, 3.

Pluries jam in præcedentibus mentionem fecerat de altero Christi adventu in fine seculorum (I, 10; II, 19 et III, 13), quia nihil sane aptius esse poterat ad sanctum vitæ fervorem promovendum. Verum nec recte nec satis hac de re edocti erant Thessalonicenses; quum plures ex eis falso putarent christianos, qui ante Christi reditum morerentur, nullam habituros esse partem in futura felicitate. Forsitan fingebant sibi nescio quodnam regnum Christi temporale in his terris, quod participarent ii soli christiani qui ea tempestate adhuc in vivis essent. Hanc ob rationem, immodico luctu amicorum mortem deflebant; quia existimabant eos a regno Christi in perpetuum exclusos esse, adeoque nullam dari spem eos iterum videndi: v. 12—17. His prænotatis, indicabimus jam quomodo hæc exponantur.

Non oportet tristitiam habere de morte christianorum, v. 12, nam resurgent; quod probatur ex eo quod Christus, cujus sunt membra, resurrexit, v. 13; deinde eodem tempore ac ii, qui vivent in fine mundi, ad cœlestem gloriam pervenient; adeoque eorum

XXIV, 37); signa vero proxima reditum Christi perpaululum præcessura, adeo ut hæc sub dictione *dies Domini* comprehendantur.

3. Dixerint, sc. homines mundani, et peccatores. Cf. Matth. XXIV, 38 sqq., et Luc. XVII, 26 sqq. Sed objicitur Luc. XXI, 26: *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione* [eorum] *quæ supervenient universo orbi:* ergo nulla securitas erit. Resp.: quando ita perterriti erunt, jam aderit tempus quod per *diem Domini* designatur. — Sicut dolor...: hæc metaphora explicata fuit in intr. ad hanc epist. § 5.

status haudquaquam pejor erit, v. 14-16. Hæc autem doctrina certissima est, utpote ab ipsomet Christo revelata, v. 14. Quantum inde solatium ! v. 17.

Hac occasione eis in memoriam revocat diem Domini, seu alterum Christi adventum, ex improviso superventurum esse, neminemque posse se ei subtrahere : V, 1-3.

Nunc autem, quum sciat, ab una parte, ad commendandam vitæ sanctitatem nihil efficacius esse, quam spem gloriosæ resurrectionis ; et, ab altera parte, ad peccatorum fugam suadendam nihil magis conferre quam extremi judicii timorem : perite transit a recordatione resurrectionis et judicii ad alias quasdam salutis monitiones tradendas.

P. 6m. *Monita varia ad vitæ sanctitatem.*

V, 4—28.

4 * Vos autem fratres, non estis in tenebris, ut vos dies illa tam-

4 Vos autem, fratres, non estis sicut isti in tenebris, quasi somno peccatorum oppressi, adeo ut vos dies illa ex impro-

4. Quum dictione *dies illa* pro singulis hominibus intelligatur dies mortis, quo fiet judicium particulare, in v. 4—8 Apostolus memorat novissima nostra, ut abstineamus a peccatis (Eccli. VII, 40) et sancte vivamus. Nihil certe utilius est: " Facile contemnit omnia qui se semper cogitet esse " moriturum (s. Hier., ep. ad Paulin., *Frater Ambr.*) " Idem, ep. ad Heliod.: " Nihil, inquit, æque tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quam " cogitatio brevis ævi, et hujus incerti : quidquid facies, respice mortem. " Pari modo, Christus propter inopinatum mortis adventum ad sanctam vigilantiam nos adhortatur, Matth. XXIV, 42 sqq. Vide comm. nostr. 3a ed.

In tenebris etc. In tota hac pericopa est pulcherrima allegoria, quam exposui in introd. ad h. ep. § 5. Cf. ann. Eph. V, 8 *Eratis aliquando tenebræ* etc.

Ex hoc versu colligimus, mortem bonis christianis timendam non esse. " Perversum omnino est, ait s. Aug. (in Ps. 147), quem diligis timere ne " veniat; orare quotidie *Adveniat regnum tuum*..., et timere ne exaudiaris. (1)"

---

(1) Obiter nota 2m petitionem Orationis Dominicæ a s. Aug. intelligi de regno Christi glorioso, quum sensus literalis videatur esse de regno Christi in terris, per fidei amplificationem et Ecclesiæ propagationem. Vide comm. nostr. in Matth.

5 quam fur comprehendat : * om-
nes enim vos filii lucis estis, et
filii diei : non sumus noctis,
neque tenebrarum.
6 * Igitur non dormiamus si-
cut et ceteri, sed vigilemus, et
7 sobrii simus. * Qui enim dor-
miunt, nocte dormiunt : et qui
ebrii sunt, nocte ebrii sunt.
8 * Nos autem, qui diei sumus,
sobrii simus, induti loricam
fidei et charitatis, et galeam

viso tamquam fur nocturnus comprehendat, et animam vestram in exitium rapiat. [5] Omnes enim vos estis in lumine, utpote viventes in sanctitate; tamquam in die honeste et vigilanter conversamini: næ, nos christiani non pertinemus ad noctem et tenebras, i. e. a peccatis erroribusque per lumen fidei et justificationis gratiam erepti sumus.

[6] Igitur, non dormiamus amplius malitiæ somno, sicut isti qui lumen fidei non agnoscunt; sed contra, simus quasi expergefacti et ebrietate soluti, i. e. præsenti, alacri et sancto animo utamur. [7] Nam non solent homines dormire nisi noctis tempore, et qui ebrietati se tradunt, solent etiam id per noctem facere; [8] atqui nos, christiani, non sumus in nocte, sed in die; igitur, oportet ut opera diei honesta et sancta perficiamus. Hunc in finem, fidem et charitatem exerceamus, qua veluti lorica ab ictibus adversarii nostri protegamur; et spem salutis firmam in nobis excitemus, qua veluti galea caput armemus, adeo ut

Imo vero, mors tam parum timenda est sanctis, ut ipsi potius eam exoptent : cf. ann. Phil. I, 23.

6. Sobrii simus. Non est adhortatio ad virtutem hanc peculiarem quæ *sobrietas* dicitur; sed respondet metaphoræ de somno et ebrietate, adeoque significat universe vitam sanctam, honestam, vere christianam, esse peragendam.

7. Nocte ebrii sunt. Plerumque enim vespere fiunt convivia et multa nocte protrahuntur, quum tempus illud ebrietatibus ceterisque hujusmodi aptius esse videatur.

8. Induti..... : cf. Eph. VI, 11 sqq., ubi christiani militis armatura plenius describitur. — Fides, spes, et charitas, tres virtutes theologicæ, fundamentum simul et culmen sunt universæ nostræ sanctitatis et salutis; ideo etiam designantur tamquam præcipua arma, quibus spiritualium adversariorum impugnationes et tentationes repellere oporteat. — Loricam... galeam : " sunt in homine duo principalia membra, quæ consueverunt in " bellis protegi : cor et caput, nempe per *loricam* et *galeam* (s. Th.). " Videsis quæ diximus in intr. ad h. ep. § 5.

9 spem salutis : * quoniam non
posuit nos Deus in iram, sed in
acquisitionem salutis per Dominum
nostrum Jesum Christum,
10 * qui mortuus est pro nobis : ut
sive vigilemus, sive dormiamus,
simul cum illo vivamus.
11 * Propter quod consolamini
invicem : et ædificate alterutrum,
sicut et facitis.
12 * Rogamus autem vos, fratres,
ut noveritis eos, qui laborant
inter vos, et præsunt vobis

erectum illud illæsumque servemus. [9] Spes autem hæc in eo fundatur, quod Deus nos ad damnationem die judicii subeundam non destinavit, sed ad salutem acquirendam; sc., per merita D. N. J. C., [10] qui mortuus est pro nobis, ut omnes aliquando cum illo ad vitam æternam perveniamus, tam ii qui in fine mundi adhuc vivent, quam ceteri qui jam mortui erunt.

[11] His persuasi veritatibus, consolamini invicem de morte propinquorum, et vos mutuo ad sanctitatem promovete, sicut etiam facitis : sed magis magisque id peragite.

[12] Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis et debito modo honoretis eos, qui laborem sacri ministerii suscipiunt apud vos, quique præsunt vobis, et monent vos in iis quæ ad religio-

9. Quoniam. Probat quod modo dixit : *spem salutis.* — Nos, christianos omnes. *Ponere aliquem in aliquid :* hebraismus pro *destinare aliquem ad aliquid.* — *Ira,* pro *vindicta,* seu pœna.

10. Pro nobis, omnibus christianis. Valde improbo Estium, qui notat : hoc dicit in persona electorum. Cf. ann. 2 Cor. V, 14. — Sive vigilemus, sive dormiamus somno mortis. In paraphrasi interpretationem Beel. et Bisp. sequimur. Minus recte s. Thom. allegat Rom. XIV, 8, quasi sensus esset : sive in vita, sive in morte. Nota Apostolum triplicis somni mentionem facere : 1° mortis, 2° peccati, 3° naturæ, qui est somnus proprie dictus. Huic autem triplici somno triplex respondet vigilia : vitæ, justitiæ et naturæ.

11. Ædificate, promovete ad sanctitatem, tum piis sermonibus et adhortationibus, quum bonis exemplis.

12. Subjicit nunc varia monita particularia, et primum quidem circa officia in superiores ecclesiasticos. *Noscere,* pro *agnoscere,* æstimare, approbare etc., sæpe in s. Scriptura dicitur. — Qui laborant..... et præsunt... et monent. Non tria indicat personarum genera, nam si hoc facere voluisset, articulum ter repetivisset in græco; sed triplex assignat munus superiorum ecclesiasticorum : laborare, præsidere, monere.

in Domino, et monent vos, * ut
habeatis illos abundantius in
charitate propter opus illorum :
14 pacem habete cum eis. * Rogamus autem vos, fratres, corripite
inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, pa-
15 tientes estote ad omnes.* Videte
ne quis malum pro malo alicui
reddat: sed semper quod bonum
est sectamini in invicem, et in
omnes.
16 * Semper gaudete. * Sine in-
17
18 termissione orate. * In omnibus

nem christianam pertinent ; [13] utque eos summopere æstimetis et diligatis, propter opus sacrum quod perficiunt.

Pacem servate mutuam inter vos. [14] Obsecramus vos, fratres, corripite homines inordinatos et inquietos ; consolamini pusillanimes, benigne agite erga illos qui in fide minus sunt edocti, et longanimes seu mansueti estote erga omnes. [15] Cavete ne malum pro malo reddatis umquam ; sed contra, studete semper benefacere, non tantum confratribus vestris christianis, sed omnino omnibus, etiam infidelibus et persecutoribus.

[16] Semper gaudete : [17] hunc in finem estote semper Deo conjuncti per sanctas precationes ; [18] eique inter precandum

13. [illegible]c addit ut doceat honorem illum debere esse interiorem, vera chari[illegible]nformatum. — Cum eis, refert lectionem εν αυτοις, quam exhibent codd. [illegible], vers. syriaca, s. Chrys. etc. Verum, majorem auctoritatem habet le[illegible]ν ἑαυτοις, *cum vobis ipsis, inter vos invicem ;* nam reperitur in codd. A[illegible]*EKL, verss. gothica et coptica. Juxta hanc lectionem est [illegible]lia admo[illegible] secundum autem Vulgatæ lectionem, hæc ad præcedentia [illegible]tinent : [illegible] cum iis (superioribus vestris ecclesiasticis) servate.

[illegible] " Sup[illegible]ndit quomodo subditi debent se habere ad prælatos, " h[illegible]stend[illegible]onverso etc. (s. Th.). " Inquietos : ατακτους, *inordinatos,* [illegible]d dicit[illegible]oprie de militibus qui ordinem suum et locum assignatum (ταξιν) non se[illegible]vant. Designantur ii qui, sua non peragentes, otiosi discurrunt, atque aliena negotia curiosius perscrutantur. Cf. supra IV, 11 et 2 Thess. III, 3 6, 11. — Infirmos, sc. in fide, seu quoad conscientiam : cf. 1 Cor. VIII, 7 sqq.

15. Ne malum etc. : " Hæc enim revera est ultio, et illi damnum afferens, " et tibi utilitatem ; imo illi quoque magnam, si velit, utilitatem (s. Chrys., " Hom. X, n. 2). "

16-18. Gaudete : cf. ann. Philip. IV, 4. — Orate etc. " Qui assuevit cum " Deo versari, eique gratias agere in rebus omnibus, tamquam utiliter " contingentibus, planum est quod perpetuum sit gaudium habiturus " (Theoph.). " — Sine intermissione. Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare,*

gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.

19 * Spiritum nolite extinguere.

20 * Prophetias nolite spernere.

21 * Omnia autem probate : quod bonum est tenete.

gratias agite pro rebus omnibus, tam adversis quam prosperis. Hæc enim non mea est præscriptio, sed voluntas quam ipsemet Deus per J. C. vobis imposuit.

[19] Spiritus sancti charismata nolite impedire, [20] adeoque in particulari donum prophetiæ ne spernatis ; [21] attamen omnia quæ dicuntur ne accipiatis cæce ; sed singula probate, et quod bonum doctrinæque apostolicæ consentaneum est, id tenete.

et non deficere. " Licet enim non continuo in actu possimus orare, tamen " semper ex habitu charitatis debemus orare (s. Th. ad Col. I, 3). " Oratio enim est mentis elevatio in Deum, seu conjunctio cum Deo : hæc autem fit per charitatem. Unde s. Bas. (Hom. in Jul. mart.) : " Qui bene semper " vivit, hic semper orat. " Notandum tamen est habitum charitatis identidem et sponte erumpere in actus : igitur oportet ut piam intentionem, qua habitualiter referamus omnia ad Deum, sæpius renovemus. Cf. Eph. VI, 18 *orantes omni tempore.* Euchitæ hæretici (cf. Bergier, Dict.) illud nimis rigorose intelligebant. — De orat. cf. Comm. nostr. s. Matth. (ed. 3[a]) q. 265 sqq. ; Comm. in ep. Cath. (2[a] ed. 1887), ad Jac. V, 13 sqq.

Gratias agite etc. Necessitatem hujus virtutis sæpissime inculcat s. Paulus : cf. ann. Eph. V, 20. Quando loquitur de oratione, solet mentionem facere de gratiarum actione, quasi hæc sit præcipua sanctæ precationis species : Phil. IV, 6.

Hæc est voluntas Dei, ut semper oremus et in omnibus gratias agamus : ita Beelen. Bisping autem refert ad solum *gratias agite.* — In omnibus vobis : εἰς ὑμᾶς, *ad vos, erga vos.*

19. *Spiritum :* intelligimus, cum s. Chrys., Spiritus sancti charismata, ad aliorum utilitatem concessa, de quibus multa 1 Cor. XII-XIV. Hic sensus ex verbis sequentibus probatur. — Extinguere. Metaphora inde deducta, quod Spiritus sancti gratia comparetur flammæ, seu igni, quo corda fidelium ardore charitatis et sancto fervore accenduntur. Vult Apostolus ut nemo prohibeat quominus quisque utatur dono sibi a Spiritu sancto concesso. Sic 1 Cor. XIV, 39 : *Loqui linguis,* ait, *nolite prohibere.*

20. Quod generali modo dixit v. 19, id nunc specialiter de præcipuo et utilissimo prophetiæ dono repetit. Illud autem donum explicavimus 1 Cor. XIV, 1.

21. Probate. Simile præceptum dedit 1 Cor. XIV, 29 : *Prophetæ duo aut*

22 * Ab omni specie mala abstinete vos.

23 * Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia : ut integer spiritus vester, et anima,

[22] Abstinete, non tantum ab iis quæ aperte mala sunt, sed etiam ab iis quæ speciem mali præ se ferunt, et causa essent scandali.

[23] Sed, quum illud viribus vestris perficere non possitis, rogo Deum pacis auctorem et sanctitatis, ut sanctificet vos totos, et pacem tribuat vobis spiritualem ; ut mens vestra, et anima,

tres dicant, et ceteri dijudicent. Ad hanc probationem conferebatur peculiare quoddam charisma, *discretio spirituum,* de quo 1 Cor. XII, 10. Protestantes versu 21 abutuntur, quando ex eo colligunt unumquemque debere per judicium et examen privatum fidei dogmata sibi eligere.

22. Ab omni specie mala. Sunt qui vertant *a malo cujuscumque generis ;* sed Vulgatæ sensus tenendus est : ειδος enim vere significat *speciem.* Hanc autem præscriptionem cum eis quæ proxime præcedunt connectere non oportet : nam, ut notat Estius, videtur Apostolus refricare memoriam eorum quæ jam monuit, puta cap. IV, 11 : *Honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.*

23. Ipse autem... Vires enim et conatus uniuscujusque non sufficiunt ad efficienda illa quæ præscripsit : ideo gratiam Dei pro eis implorat. — Deus pacis. Hoc epitheton ideo elegit, quia supra de officiis in proximum, quarum observantia *pacem* præstat, præsertim locutus erat.

Spiritus, *πνευμα,* intelligitur pars *animæ superior,* seu animus humanus prout est vitæ superioris aut rationalis principium, per quod nempe intelligimus et volumus : proprie vocatur *animus.* Anima, *ψυχη,* pars *animæ inferior,* seu animus humanus prout est vitæ inferioris (animalis, sensitivæ, vitalis) principium, igitur animus humanus in quantum sedes est passionum seu affectuum. Hoc v. 23 nequaquam docetur in homine esse duas animas distinctas, seu duo principia distincta. Sensus est : in cogitationibus mentis cordisque desideriis, necnon in carnis concupiscentiis et affectibus, verbo in omnibus actibus internis, estote integri et irreprehensibiles. Alii *spiritum* interpretantur *dona divina supernaturalia,* quæ sunt principium vitæ supernaturalis ; nomine autem *animæ* dicunt significari hominem interiorem naturalem. Prior expositio præferenda est (cum Beelen, Bisping, Estio ; eamque primo loco adducit s. Thomas), quia nulla est ratio hic distinguendi vitam hominis supernaturalem et naturalem ; Apostolus loquitur ad chri-

et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.

et corpus serventur integra; ut, quando Dominus noster Jesus Christus extremum adveniet, in actibus internis et externis irreprehensibiles inveniamini.

24 * Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet.

[24] Spero autem id vobis concedendum fore; nam Deus, qui ad fidem, et per fidem ad sanctitatem et ad salutem, vocavit vos, verax, fidelis, et constans est in iis quæ promittit aut inchoat, et proinde vos usque ad finem immaculatos servabit.

25 * Fratres orate pro nobis.

[25] Fratres, orate pro nobis.

26 * Salutate fratres omnes in osculo sancto.

[26] Omnes christianos, qui vobiscum sunt, nostro nomine salutate affectu et more christiano.

stianos vita supernaturali viventes, et optat ut se totos, quoad omnes actus suos, irreprehensibiles et perfectos servent: actus autem illi hominis per gratiam sanctificati et vita supernaturali viventis, distinguuntur interiores (cogitationes, voluntates, et passiones appetitus sensitivi) et exteriores.

Et corpus, organa exteriora; adeoque actus etiam exteriores sint sancti, puri et integri. De distinctione inter πνευμα, ψυχην et σωμα vide annot. Hebr. IV, 12.

24. Fidelis est... Deus vocando eos, implicite promisit fore ut daret eis gratias, quibus ad sanctitatem et salutem adducerentur: atqui Deus fidelis est in promissis: ergo etc. Cf. 1 Cor. I, 8. — Vocavit. Græce constanter legitur ὁ καλων, in præsenti: *qui vocat vos.* Deus qui vocavit eos ad fidem, constanter *vocat* eos ad fidem perfectiorem sanctitatemque majorem.

Ex hoc versu colligimus 1° fidem donum Dei esse, 2° post acceptam fidem adhuc requiri gratiam ad bonum perficiendum, 3° unicuique a Deo concedi gratiam sufficientem.

25. Ergo nos etiam Christo, unico mediatori nostro, injuriam non facimus, quando Sanctorum intercessiones imploramus. — Quid autem Thessalonicenses pro Apostolo a Deo postulare debeant exponitur 2 Thess. III, 1.

26. Salutate fratres omnes. Rom. XVI, 16 et 1 Cor. XVI, 20 ait: *Salutate invicem.* Differentia probabiliter inde orta est, quod epistola nostra ad superiores ecclesiasticos scripta fuerit, ut fidelibus prælegeretur. — In osculo sancto. Cf. ann. nostr. in epist. ad Rom. XVI, 16.

27 * Adjuro vos per Dominum ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.

28 * Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.

27 Adjuro vos per Christum, ut legatur hæc epistola omnibus christianis qui apud vos sunt.

28 Gratia Domini nostri Jesu Christi sit vobiscum. Id opto !

Analysis cap. V, 4-28.

Connexio cum præcedentibus hæc est : dixerat s. Paulus diem judicii ex improviso adventurum et improbis formidandum fore, unde eum comparaverat furi nocturno qui dormientes inopinato invadit et occidit. Ne autem sors tam misera eis accidat, monet ut improbitatem fugiant. Cavete, ait, a somno spirituali peccatorum, ne dies judicii vos imparatos offendat atque occupet; potius id prosequimini ut vigilantes et paratos vos inveniat. Sic igitur ratiocinatur :

1° Estote semper in statu gratiæ, ne mors et judicium vos incautos invadant, et in infernum seu mortem æternam præcipitent, v. 4-8a.

2° Et ut in statu gratiæ permaneatis, vos armate virtutibus theologicis, fide, spe et charitate, v. 8b. Obiter ostendit quam solide fundata sit spes nostra, v. 9 et 10.

3° Vos mutuo promovete ad sanctitatem, v. 11.

Hæc sunt generalia monita ; sequuntur nunc specialia quædam :

27. Hæc adjuratio, quæ ad superiores ecclesiasticos dirigitur, et qua petitur ut epistola omnibus ecclesiæ Thessalonicensis (ita Beel.) fidelibus prælegatur, non ex diffidentia fit, sed ob causam nobis incognitam, vel ut christiani melius intelligant epistolæ lectionem unicuique utilem fore. Censet autem Drach mentem Apostoli esse ut epistola legenda tradatur aliis Macedoniæ ecclesiis : sed, in tali casu, ut mihi videtur, magis explicite illud significatum fuisset, v. gr. per additionem vocis *Macedoniæ*.

1° Circa officia in superiores ecclesiasticos, v. 12 et 13a;
2° Et officia in proximum, v. 13b-15.
3° Gaudium et oratio commendantur, v. 16-18.
4° De usu charismatum, v. 19-21.
5° Cavendum a scandalo, v. 22.

Peroratio totius epistolæ, per modum sanctissimæ apprecationis, in qua paucis resumitur argumentum primarium, sc. paræneticum, v. 23 et 24.

Salutationes finales, quæ quasi *post-scriptum* epistolæ efformant, v. 25-28.

EPISTOLA

2ª AD THESSALONICENSES.

Clarificetur nomen Domini nostri J. C. in vobis, et vos in illo. 2 Thess. I, 12.

INTRODUCTIO.

§ 1. Scribendi occasio et finis scribentis.

Postquam Apostolus primam suam epistolam ad Thessalonicenses miserat, dum adhuc Corinthi cum Timotheo et Silvano commoraretur (2 Thess. I, 1), comperit literarum effectum non fuisse sub omni ratione perfectum et sufficientem. Animi anxietas de sorte christianorum ante alterum Christi adventum decessorum fuit quidem sublata ; sed majores exortæ fuerant solicitudines et perturbationes de tempore quo adventus ille futurus esset. Quia enim in 1 Thess. IV, 15-17, loquens de mortuorum resurrectione et glorioso Christi reditu, prima persona plurali usus fuerat ; deinde, quia ib. V, 2-4 dixerat vigilandum esse, ne tamquam fur nocturnus imparatos eos comprehenderet dies ille Domini : quidam inde concluserant judicium extremum brevi instare, et singulis quasi horis posse supervenire [1]. Hunc errorem confirmaverunt et adauxerunt nonnulli ex ipsis per fictas quasdam revelationes, imo vero per suppositiciam aliquam Pauli epistolam

---

[1] S. Petrus 2 ep. III, 15, loquens de Epistolarum Paulinarum obscuritate, et monens quædam loca ab indoctis depravari, respicere videtur ad falsam illam intelligentiam ; nam ibi agit de fine mundi, et docet non necesse esse ut clades illa tam cito adveniat, quum *unus dies apud Dominum* sit *sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus* (ib. v. 8).

(2 Thess. II, 2). Facile concipitur mente, pessimos ex hoc errore profluxisse effectus in re morali, quibus universa Thessalonicensium ecclesia perturbaretur. En causam et occasionem hujusce epistolæ.

Finis igitur Apostoli primarius fuit falsam illam corrigere sententiam terroresque ex ea exortos sedare. Huic autem accedit 2° alter quidam scopus secundarius, nimirum otiosos et inquietos, quos in priore epistola jam reprehenderat, et nondum emendatos esse audierat, severius monere. 3° Tandem quædam ingerit verba, occasione data, ut Thessalonicenses laudet et consoletur ob ærumnas et vexationes quas pro fide sustinent, atque simul adhortetur ad constantiam.

§ 2. Argumentum et divisio.

Argumentum partim est *dogmaticum,* nempe cap. II, 1-11, ubi docet Apostolus gloriosam Christi apparitionem non futuram, antequam regnum iniquitatis plenissime evolutum fuerit, et in Antichristo ad suæ culmen potentiæ pervenerit. Partim *morale* seu *parœneticum* est : namque cap. I eos laudat et consolatur, præsertim per considerationem justissimi Dei judicii ; et II, 12-fin. ep., eos ad constantiam adhortatur, et quorumdam inertiam arguit.

Tria igitur statuemus divisionis puncta :

1° Paulus eos laudat et consolatur, toto cap. I ;

2° Nimium timorem de propinquitate judicii extremi sedat, atque eos instruit de iis quæ extremum judicium prævenient II, 1-11 ;

3° Eos denuo adhortatur et nonnullos ex iis ob pigritiam corripit II, 12-III, 18.

§ 3. De tempore et loco scriptionis.

Hæc epistola non diu post primam exarata est : quum eadem rerum adjuncta, eædemque necessitates, in quibus versabatur ecclesia Thessalonicensis, ei causam dederint. Imo etiam *Corinthi,* sicut prima, scripta fuit, a. 54 vel 55 æræ vulgaris. Quod probatur ex inscriptione I, 1, in qua Paulus Timotheum et Silvanum sibi adjungit ; atqui, post sesquiennalem Apostoli apud

Corinthios commorationem nusquam duo illi adjutores in Pauli comitatu simul fuerunt, ut colligitur ex Act. Apost. Namque, quando postea Timotheus primum legitur cum Paulo versatus fuisse, Ephesi erat (Act. XIX, 22), et de Sila tunc mentio non fit, nec deinceps occurrit ejus nomen. Quamobrem fidem non merentur suscriptiones, quæ dicunt epistolam fuisse *Athenis* compositam (ita codd. AB**KL, vers. copt., syr. philox., arab.; ita etiam Theodoretus et Euthalius), vel *Laodiceæ* (syr. peschito), vel *Romæ* (vers. slav., synops. Athan., et Œcum.).

Grotius, et post ipsum Rationalistæ scholæ Tubingensis, et nuper apostata Renan, contenderunt hanc epistolam ordine temporis primam esse, adeoque anteriorem esse illa quæ in Vulgata nostra dicitur *Prima ad Thessalonicenses.* Eorum argumenta jam indicabimus, eaque confutabimus.

1° Affirmant verba cap. III, 17 epistolæ cuidam priori magis quam posteriori convenire. Sed contrarium potius dicendum videtur, quum verisimilius sit, signum authentiæ speciale ab auctore traditum non fuisse, nisi postquam audierit literas suppositicias sub ejus nomine sparsas fuisse, ut factum est Thessalonicæ: cf. 2 Thess. II, 2.

2° Hæc epistola, aiunt, alteri postposita fuit, eo quod brevior sit. Verum cum hoc gratis asseratur, gratis negari posset; sed non debemus id gratis negare, siquidem ex ipsis Pauli verbis cap. II, 14 *per epistolam nostram* certo concludendum est aliam præcessisse epistolam.

3° Timores, inquiunt, de propinquo Christi adventu præcedere debuerunt incertitudinem et sollicitudinem quibus Thessalonicenses erant affecti circa sortem mortuorum suorum, et de quibus agitur in prima nostra epistola. Sed contra, haud improbabile est timores illos de propinquitate judicii extremi ortos vel saltem adauctos fuisse per ea quæ scripsit s. Paulus 1 Thess. IV, 14-16 et V, 4 sqq.

§ 4. Authentia et integritas.

Ante rationalistas nostræ ætatis, nemo umquam in dubium

vocavit authentiam integræ hujus epistolæ, quippe quæ antiquissimis nitatur testimoniis. Cf. De Valroger, *Intr. au N. T.*, et cl. Drach, ubi allegantur testimonia. Objectiones autem Rationalistarum, quæ ex argumentis internis desumuntur omnes, quæque hypothesibus et assertionibus gratuitis nituntur, singillatim enumerat et confutat cl. Drach.

Initio hujus seculi, Germanus quidam, nomine *Schmidt*, conatus est demonstrare duodecim priores versiculos capitis secundi non esse opus Pauli genuinum, sed ab aliena manu, probabiliter a Montanistis, furtim insertos fuisse. Argumenta, quæ adduxit, postea ab aliis Rationalistis renovata fuerunt, et ansam dederunt ut totam epistolam respuerent. Vanissima tamen sunt ista : etenim

1° Contendit in aliis epistolis Paulinis nihil usquam reperiri, quod simile sit iis quæ hic dicuntur, de Antichristo. 2° Ubique in omnibus suis literis s. Paulus gloriosum Christi adventum tamquam brevi futurum exhibet. 3° Pars illa II, 1-12 potest deleri quin ulla verba deesse videantur : nam II, 13 commode annectitur ultimo versiculo capitis primi.

Resp. ad 1^m. Alibi de Antichristo non loquitur Paulus, quia hoc solo loco illud habuit argumentum pertractandum. — Ad 2^m. Prorsus negamus errorem hunc ab ipso teneri aut doceri. Cf. ann. nostr. 1 Cor. X, 11; XV, 51; 1 Thess. IV, 14. — Ad 3^m. Dato, non concesso ; an ideo liceret prætermittere ? Cf. Glaire, *Intr. au N. T.*

§ 5. De locis præcipua attentione dignis.

In hac epistola, quæ inter omnes, quas ad ecclesias a s. Paulo scriptas habemus, brevissima est, peculiari modo notandus est locus II, 3-11, ubi de absconditissimo mundi perituri mysterio et de Antichristo agitur.

Cap. II, 14 auctoritas *traditionis apostolicæ*, quam negant Protestantes, stabilitur.

Cap. III, 10-12 clare demonstrat religionem christianam mendicitati haudquaquam favere.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ SECUNDÆ AD THESSALONICENSES.

Inscriptio et salutatio: I, 1, 2.

P. 1^{m} : MORALE. I, 3-12.	Thessalonicenses *laudat*, 3 et 4; Eosdem *consolatur*, tum per recordationem judicii divini, 5-10, tum per preces quas facit pro eis, 11 et 12.
P. 2^{m} : DOGMATICUM. De die judicii et de Anti - Christo. II, 1-11.	Non brevi adveniet dies ille, 1 et 2; Antea fiet apostasia magna et apparebit Anti-Christus (quid eum detineat hucusque), cujus describitur perversitas, mala operatio, et mors: 3-11.
P. 3^{m} : iterum MORALE. II, 12-III, 15.	*Adhortatur* lectores epistolæ ut, propter gratias jam obtentas, firmi in fide permaneant: 12-15; deinde ut orent pro se Paulo etc. III, 1-5. *Corripit* eos qui otiosi et curiosi per domos et plateas discurrunt eleemosynasque aucupant, 6-15.

Gratiæ apprecatio, et salutatio manu ipsius Pauli, 16-18.

P. 1[a]. *Consolationes.*

CAPUT I.

1 * Paulus, et Silvanus, et Timotheus: ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.
2 * Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.
3 * Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem: * ita ut et nos
4 ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationi-

[1] Paulus, et Silvanus, et Timotheus, scribimus christianis Thessalonicensibus, qui per gratiam sanctificantem vivunt in Deo patre nostro, et in Domino Jesu Christo. [2] Gratia et omne bonum salutare vobis concedantur a Deo Patre, et a Domino Jesu Christo.

[3] Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, christiani; hoc enim æquum et justum est, siquidem ultra modum crescit fidei vestræ firma professio, et charitatem mutuam in dies majorem vobis invicem exhibetis.

[4] Et non tantum Deo gratias ideo agimus, sed nos ipsi apud alias ecclesias christianas de vobis gloriamur, videlicet de patientia et fiducia vestra mediis in persecutionibus et tribula-

1. Cf. 1 Thess. I, 1.

2. Nostro, abest in codd. BDE, sed legitur in codd. AFGKL. Facile potuit fieri ut ex locis parallelis huc irrepserit. — Pax etc... cf. Rom. 1, 7.

3. Laudem sub forma gratiarum actionis solerter occultat. — Ita ut dignum est. Nolim hæc tamquam nudam explicationem verbi *debemus* sumere, et referre *quoniam* ad *gratias agere*, ut facit Estius; sed ita explico cum cl. Bisping: debemus (nos, subjective) gratias agere, quia id (objective) æquum est; et ideo æquum est, quia fides etc. — Supercrescit.... abundat: " periculose custodiuntur bona spiritualia, nisi " proficiat in eis homo (s. Th.). "

4. *Gloriatur*, sed simul agnoscit rem Deo adscribendam esse, quum de ea gratias Deo agat, v. 3. — In vobis gloriemur: " Bonum enim discipulorum est gloria prælatorum (s. Th.). " — *Fides* hic non intelligitur virtus theologica prima, sed *fiducia* seu *spes* quæ latet in *patientia;* etenim in græco non repetitur articulus ante *πιστις, fides.*

5 bus, quas sustinetis * in exem-
plum justi judicii Dei, ut digni
habeamini in regno Dei, pro
6 quo et patimini. * Si tamen ju-
stum est apud Deum retribuere
tribulationem iis, qui vos tribu-
7 lant : * et vobis, qui tribula-
mini, requiem nobiscum in re-
velatione Domini Jesu de cœlo
8 cum angelis virtutis ejus, * in
flamma ignis dantis vindictam

tionibus. [5] Hæ autem adversitates, quas sustinetis, sunt argumentum quo probetur, justum fore Dei judicium, tum erga vos, ut, in patientiæ remunerationem, digni sitis regno Dei glorioso, pro quo et patimini; tum erga persecutores vestros. [6] Justitia enim Dei requirit ut tribulationes subeant ii qui vos tribulant ; [7] vobis autem, qui in hac vita tribulamini, detur nobiscum requies.

Quod utrumque fiet, quando Dominus Jesus de cœlo ad judicium extremum gloriosus descendet, stipatus angelis, potentiæ suæ ministris, [8] igne et fulgure circumdatus. Tunc enim ultionem petet

5. In exemplum : græce non legitur *in*, et ενδειγμα (*exemplum*) est in nominativo, tamquam appositio ad phrasim præcedentem. — Exemplum, seu potius, secundum vim vocis græcæ, *ostensionem, demonstrationem.* Sed quomodo adversitates et persecutiones, quas justi patiuntur, probant Dei justitiam? nonne potius inde sumunt quidam occasionem Dei justitiam negandi? S. Thomas respondet, ex eo quod bonis non parcat Deus in hoc seculo, colligi posse quanto cum justitiæ rigore malos in altero seculo plecturus sit; et adducit locum 1 Petr. IV, 17. Verum ærumnæ, quas justi sustinent, non semper sunt in pœnam levium eorum peccatorum. Ideo sententiam præfero Theophylacti : vexationes, quas justi passi erunt, eos aliquando perducent ad gloriam cœlestem, et simul causa erunt quare persecutores æternum damnabuntur: tunc igitur mala hominibus justis illata argumentum erunt justitiæ Dei. Favet omnino contextus.

6. Si tamen, dubium non exprimit, sed ειπερ est pro επειπερ, *siquidem, quandoquidem.*

7. Requiem, ανεσιν, *relaxationem,* sc. a pressuris hujus mundi. Modo negativo indicatur beatitudo cœlestis. — In revelatione : namque Pater omne judicium dedit Filio (Joan. V, 22), et hoc in quantum ipse Filius hominis est.

8. In flamma ignis, ut in codd. BDEFG, vel *in igne flammæ* quod reperitur in codd. AKL : sensus idem est. Sunt qui hæc ad sequentia referant cum s. Thoma, quasi ignis sit instrumentum quo ultionem petiturus sit Christus. Sed, propter similitudinem cum aliis s. Scripturæ locis, melius refertur ad præcedentia, tamquam modus quo apparituras sit Christus.

iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.
9 * Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, et a gloria

et e gentilibus qui verum Deum agnoscere noluerunt, et e Judæis etiam qui Evangelio D.N.J.C. credere recusarunt : [9] omnes isti æternæ pœnas damnationis in inferno sustinebunt, procul a facie Christi et ab effectu salutari gloriosæ

Cf. Matth. XXV, 31 ubi de fulgore gloriæ ejus mentio fit. Sic in vetere Testamento Jehovah videndum se præbet igne circumdatum, Exod. III, 2; XIX, 18, et Dan. VII, 9. — Dantis refertur ad *Domini Jesu*, non ad *ignis*.

Et qui non... Quum in græco repetatur articulus, dicendum est duplex damnandorum genus distingui, gentiles nempe qui verum Deum, quem cognoscere poterant, non coluerunt (Rom. I, 19); et Judæos, qui verum quidem Deum colunt, sed Christum ejusque doctrinam rejiciunt.

9. Pœnas etc.: græce *pœnam luent, interitum æternum.* " Aliter est de " pœnis hujus vitæ et de illis. Nam hic quanto plus acerbiores, tanto sunt " breviores, quia exstinguuntur; sed illæ sunt gravissimæ, quia sunt " pœnæ mortis, et sunt interminabiles (s. Th.). „

Possitne, quæso, dogma æternitatis pœnarum clariore modo doceri quam hic apud s. Paulum? Vix concipitur mente qua fronte Protestantes ex Anglia, qui divinam s. Scripturæ inspirationem profitentur, veritatem illam in dubium vocare audeant. Istud tamen factum est paucis ab hinc annis, et in opere quidem quod sub auspiciis augustissimæ Anglorum reginæ vulgatum fuit, sub titulo: *Méditations sur la mort et l'éternité* 1863.

Ceterum, circa hanc quæstionum de pœnarum æternitate, quemadmodum circa alia capita doctrinæ catholicæ de vita futura, cf. Perr., *De Deo creat.*, a n. 579 de futura hominis vita, et speciatim n. 726-807 de inferno. H. Martin, *La vie future*, Paris 1858. Laforet, *Les dogmes cath.* vol. 4[e]. Carle, *Du dogme cath. sur l'enfer.* Paris, 1842. Non omnia tamen, quæ apud auctores ultimo loco nominatos habentur, approbanda sunt: sic v. gr. iste Carle non raro favet sententiis singularibus, cum temeritate vere damnabili. Videsis quæ de inferno æterno notavi in Comm. s. Matth. (3[e] ed.) ad hæc verba cap. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum:* ubi etiam verbulum dixi de utilitate magna quam affert frequens inferni recogitatio.

A facie... απο προσωπου. Plures id explicant de causa efficiente pœnæ impiis inferendæ, hoc sensu: adventus Christi gloriosus, ejusque potentia impios quasi fulmine percellet, atque eos in infernum præcipitabit. Sed nihil impedit quominus præpositionem απο sensu consueto sumamus, de

10 virtutis ejus: * cum venerit glo-
rificari in sanctis suis, et admi-
rabilis fieri in omnibus qui cre-
diderunt, quia creditum est
testimonium nostrum super vos
in die illo.
11 * In quo etiam oramus sem-
per pro vobis: ut dignetur vos
vocatione sua Deus noster, et

ejus potentiæ. [10] Tunc etiam veniet glorificare sanctos, qui sunt membra ejus mystica, in quibus igitur ipse glorificabitur et mirabilis fiet; eos, inquam, omnes qui fidem amplexi sunt: inter quos estis etiam vos, quum Evangelio, quod vobis prædicavi, credideritis.

[11] Hujus glorificationis causa, oramus etiam semper pro vobis, ut Deus noster vos aliquando dignos habeat quos ad gloriam vocet; et vobis det gratiam

separatione (s. Thomas, Beel., Bisp.). Hæc est enim essentialis damnatorum pœna, separatio a Deo, quæ *pœna damni* vocatur; quemadmodum essentialis beatorum felicitas in perfectissima unione cum Deo per visionem et amorem consistit.

Et a gloria etc.: exclusi a gloria, quam Dominus Jesus dabit electis suis, quæque effectus est mirabilissimæ ejus potentiæ (*virtutis*).

10. Glorificari in sanctis suis: " Gloria sanctorum quantum ad essen-" tiam est participatio gloriæ Dei... Sancti sunt membra ejus, in quibus " habitat, et in quibus glorificatur, quando sua gloria, sc. capitis, derivatur " usque ad sua membra... Et hoc excedit omnem admirationem: unde dicit " *Admirabilis fieri.* " (s. Thom.).

Quia creditum... vos: obiter significat Thessalonicenses esse revera tales *qui crediderunt.* Voces igitur *in die illo* referuntur ad *venerit* et *fieri*, ut videre est in paraphrasi. Parum obvius est sensus quem Estius verbis *in die illo* tradit: prædicatio nostra a vobis fide suscepta est, cum spe mercedis in illo die percipiendæ; vel, a vobis respicientibus ad illum diem.

11. In quo: εις ὁ, *ad quod*, sc. ad illud *glorificari.* — Oramus etc.: unum petit ex parte Dei, alterum ex parte nostra. — Dignetur, αξιωση, *dignos vos habeat*, non autem: *dignos vos reddat.* Nam αξιουν nusquam sign. *dignum reddere*.

Vocatione: græce cum articulo, cujus vim recte expressit Vulgata per sua. Vocatio hæc, quum sit futura, intelligitur vocatio *ad gloriam;* Thessalonicenses enim vocatione *ad fidem* jam potiebantur. Vocatio autem illa ad gloriam, quatenus pendet a perseverantia finali, meritis humanis non subest, sed per divinam gratiam obtineri debet. " Si quis, ait Conc. Trid. " sess. 6, can. 22, dixerit, justificatum... sine speciali auxilio Dei in accepta " justitia perseverare posse..., anathema sit. "

impleat omnem voluntatem bonitatis, et opus fidei in virtute,
12 * ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

adimplendi omne bonum quod ipsi placet, et fortiter perficiendi id quod fides vestra requirit; [12] eo fine ut in vobis, tamquam optimis christianis, splendescat gloria Domini nostri Jesu Christi, magistri vestri; et vicissim, ut vos quondam in illo gloriam acquiratis cœlestem : quod fieri non potest nisi per gratiam Dei nostri, quam nobis promeruit Dominus Jesus Christus.

Analysis cap. 1.

Inscriptio, v. 1, et salutatio per modum sanctæ apprecationis, v. 2.

Laudat eorum virtutes, v. 3, præsertim patientiam in persecutionibus sufferendis, v. 4.

Consolatur eos :

1° Eis in memoriam revocando judicium divinum, v. 5-7, in quo

a/ Damnabuntur persecutores et increduli, v. 8 et 9;

b/ Glorificabuntur christiani fideles, v. 10.

2° Dicendo se assidue pro eis orare, ut hanc glorificationem accipere mereantur, v. 11 et 12.

Transitio. Supra v. 7 de glorioso Christi adventu ad judicium extremum mentionem facit, et v. 12 exoptat ut Thessalonicenses

Omnem voluntatem bonitatis, πασαν ευδοκιαν αγαϑωσυνης. Estius ad Deum refert verbum αγαϑωσυνης : compleat (Deus) æternum decretum seu beneplacitum bonitatis suæ, quo nempe vos ad gloriam vocavit. Quum tamen Apostolus vocem αγαϑωσυνη de Deo nusquam adhibeat, eam, duce s. Chrys., ad Thessalonicenses refero : ut compleat (Deus) omnem bonitatem vestram, quæ est beneplacitum ejus ; seu : ut det vobis gratiam adimplendi quidquid recte factorum ipsi placet. — In virtute, refer ad *impleat.* Εν δυναμει, *in potentia, cum potentia, potenter.*

12. Ut clarificetur etc. : finis ultimus illius quod a Deo postulat. Et vos in illo, finis proximus ob quem eis perseverantiam in bonis operibus apprecatur.

eam Christi gloriam tunc participent. Hac occasione docet, adventum illum non tam cito futurum esse quam opinentur; quod ut comprobet, varios indicat eventus qui antea accidere debent.

P. 2m. *De fine mundi et de Antichristo.*

II, 1-11.

1 * Rogamus autem vos, fratres,
per adventum Domini nostri
Jesu Christi, et nostræ congre-
2 gationis in ipsum : * ut non cito
moveamini a vestro sensu, neque
terreamini, neque per spiritum,
neque per sermonem, neque per

[1] Quod autem spectat ad alterum Domini nostri J. C. adventum in fine seculorum, et nostram justorum unionem cum ipso gloriosam, rogamus vos, fratres, [2] ut mentis vestræ tranquillitatem non statim deperdatis, nec terreamini, sive per prophetiam quamlibet, sive per prædicationem nostram oralem male intellectam, sive per epistolam supposi-

1. AUTEM, δε, particula transeuntis. — PER ADVENTUM. *Per:* ὑπερ, quod melius redderetur, ut aiunt Bisp., Beel., Drach, *super adventum, quod attinet ad adventum.* Nusquam enim, in novo Testamento, ὑπερ inducit formulam jurisjurandi; nec probabile videtur Apostolum jurare per id ipsum de quo eos instruere velit.

ADVENTUS. Intelligitur alter Christi adventus ad judicium extremum, in fine seculorum. Sententia interpretum, quorum non pauci inter Protestantes veteres et recentiores rationalistas reperiuntur, qui adventum illum intelligunt de pœna Judæis in clade Hierosolymitana sub Tito inflicta, nullo fulcitur fundamento solido, atque apertam verbis et contextui vim infert.

NOSTRÆ CONGREGATIONIS. Cf. 1 Thess. IV, 16: *Rapiemur obviam Christo.*

2. CITO, mox ut contrarium quid asserere audiatis. — MOVEAMINI A..., σαλευθηναι απο..., prægnans dictio : concuti, agitari, et ex timore dimoveri a sensu etc. — SENSU, του νοος (*vestro* non additur, sed per articulum indicatur), quod Estius explicat per *sententiam:* ne cito dimoveamini a sententia, quam de Christi adventu a nobis accepistis. Sed nihil impedit quominus νους sensu ordinario sumatur : mente moveri, mentis tranquillitatem amittere, timore turbari.

PER SPIRITUM, puta, quasi divinum et propheticum. Videtur indicare falsas quasdam revelationes (ita s. Thom.), quas de adventu Christi mox futuro quidam, sive mala sive bona fide, nuntiaverant. Non enim omne

epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini.
3 * Nequis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perdi-

ticiam, quæ nobis falso adscribitur, putantes diem extremi judicii brevi futurum esse. [3] Nemo vos, hoc vel ullo alio modo, in hujusmodi falsam ducat sententiam. Dies enim ille non aderit, nisi venerit antea terribilis ista et maxima defectio a fide et religione, quæ in ultima mundi ætate fiet, et apparuerit homo iste perditissimus in quo peccatum summæ

quod dicebant prophetæ admittendum erat, ut docet ipsemet Apostolus 1 Thess. V, 21.

Tamquam per nos missam: *missam* non est in græco originali. Illud *tamquam per nos* refertur tum ad *epistolam*, tum etiam ad *sermonem*. Ideo verba *per sermonem* in paraphrasi reddimus : per prædicationem nostram oralem male intellectam; sensus est: quasi nos in prædicatione orali, aut in aliqua epistola, id docuissemus. *Epistola* intelligitur suppositicia, non, ut opinatur s. Thomas, prior ad Thessalonicenses.

3. Hunc locum, 3-11, explicat s. Aug., De civ. Dei 20, 19; et s. Hier. in ep. 121 ad Algas., n. 11. Quoniam, nisi... Oratio manet suspensa et imperfecta; facile suppletur hoc modo: *quoniam, nisi primum venerit discessio...., non adveniet dies Domini.*

Discessio, *ἡ αποστασια*. SS. Chrys. et Aug. dicunt esse abstractum pro concreto: *apostasia* pro *apostata*, sc. magnus ille apostata, autonomastice sic vocatus, Anti-Christus. Sed arbitraria est hæc interpretatio; dein apostasia illa diversum quid est ab Antichristo, a quo Apostolus eam sedulo distinguit. S. Hier. (ep. 121 ad Algas.), Tert. (De resur. carn. 24), Ambrosiaster etc., per *discessionem* intelligunt defectionem ab imperio Romano, vel rebellionem contra illud imperium. Verum, olim jam ab imperio Romano defecerunt gentes, nec tamen venit Antichristus. Præterea, vox illa *ἡ αποστασια* in novo Testamento de defectione religiosa seu de apostasia a fide plerumque usurpatur (Act. Ap. XXI, 21; 1 Tim. IV, 1). De hac autem defectione loquitur Christus (Matth. XXIV, 11) : *Et multi pseudo-prophetæ surgent, et seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Hanc interpretationem de discessione a fide s. Thomas tradit 1° loco; et alteram de discessione ab Imperio Romano tali modo exponit ut eodem recidat; namque dicit imperium illud de temporali in spirituale commutatum fuisse, adeo ut sensus sit: discessio a fide catholica Romanæ Ecclesiæ.

Homo peccati: dictio hæc magnam habet vim, quam per verborum

4 tionis, * qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.

culmen malitiæ attinget, [4] Antichristus ille qui totus quantus Christo oppositus erit; imo qui se extollet, non tantum super Deum verum, sed etiam super omne quod ab idololatris tamquam Deus habetur aut colitur; et, in templo Dei sedens, semet ipse tamquam summum numen adorare faciet.

circuitum indicavi in paraphrasi. Eam autem ita nervose describit s. Thom.: " Sicut in Christo abundavit plenitudo virtutis, ita in Antichristo multitudo " omnium peccatorum. Et sicut Christus melior est omnibus sanctis, sic " ille pejor omnibus malis. Et propter hoc *homo peccator* dicitur, quod " totaliter erit peccato deditus. " — FILIUS PERDITIONIS : hebraismus pro *vir perditissimus* : Joan. XVII, 12, ubi de Juda proditore dicitur. De Anti-Christo vide ad finem hujus epistolæ nostrum *Excursum*.

Hæretici non pauci ausi sunt asserere, hunc hominem peccati, ab Apostolo prædictum, esse Romanum Pontificem : quæ blasphemia impiissima nihil aliud quam istorum perversitatem, qui divinis Literis adeo abutuntur, demonstrat.

4. QUI ADVERSATUR : ὁ αντικειμενος (flandr. *de tegenstrever*), *adversarius* κατ' ἐξοχην, utique quod attinet ad Christum ejusque regnum; adeoque idem ille qui apud s. Joannem 1 epist. II, 18 *Anti-Christus* vocatur.

ET EXTOLLITUR... Probabilis est conjectura quorumdam interpretum, qui putant Apostolum respicere ad verba quibus Daniel (Dan. XI, 36, 37) regem Antiochum Illustrem describit: *Elevabitur et magnificabitur adversus omnem deum; adversus Deum deorum loquetur magnifica ;... nec quemquam deorum curabit ; quia adversum universa consurget.*

IN TEMPLO DEI : vel metaphorice intelligitur, in Ecclesia (ss. Chrys. et Thom. 2° loco), in quam scelestus ille se intrudet (alibi etiam Ecclesia a s. Paulo vocatur *templum Dei vivi* 2 Cor. VI, 16, et *templum sanctum* Eph. II, 21); vel *templum* indeterminate sumitur (in quocumque templo Deo dicato, secundum Cajetan.), quod probabilius videtur. Tandem, nonnulli hoc dictum putant de templo Jerosolymitano; sed obstat templum illud diu jam destructum esse. De cetero, " in quo templo Dei sit sessurus, incertum est ", ait s. Aug., De civ. Dei l. c.

OSTENDENS SE TAMQUAM SIT DEUS. Græca melius verti possunt, hoc modo : ostendens se esse Deum.

5 * Non retinetis quod cum ad-
huc essem apud vos, hæc dice-
bam vobis ?
6 * Et nunc quid detineat sci-
tis, ut reveletur in suo tem-
7 pore. * Nam mysterium jam

5 An obliti estis hæc ipsa vobis fuisse a me exposita, quando apud vos prædicabam ? Quare igitur, si hæc novistis, ita terremini ?
6 Scitis etiam quid hactenus impediat Antichristi adventum, quidque prius accidere debeat, ut iste tunc suo appareat tempore.
7 Etenim, quamvis iniquitas illa,

5. Subito sententiam abrumpit, per tacitam quamdam objurgationem.

6. Locus obscurissimus : vera crux interpretum ! — Scitis. Id noverant utique Thessalonicenses, sed nos nescimus, incertisque ducimur conjecturis. " Ego prorsus quid dixerit (Apostolus) me fateor ignorare (s. Aug. l. c.). " Et ab ævo s. Augustini usque ad hodiernum diem non multum processit scientia nostra hac in re.

Plerique veterum interpretum *id quod detinet* dicunt esse imperium Romanum, et v. 7 *eum qui tenet* summos illius imperii principes. Apostolus, aiunt, id aperte scribere noluit, ne invidiam incurreret Romanorum, qui æternum fore suum imperium sperabant. S. Aug., l. c., hanc opinionem refert, eique aliquatenus assentitur. Verum, cum ab initio seculi decimi noni ultimum antiqui imperii Romani vestigium perierit, oportet ut, qui hanc voluerit amplecti sententiam, modo generaliore imperium Romanum consideret ; exempli gratia, illud habeat tamquam formam tunc temporis perfectissimam gubernii regularis. Cf. infra excursum de fine mundi et de Antichristo, n. 9. Ideo minime approbo A Lapide, qui scribit absolute cum audacia vere stupenda : Certum est Imperium Romanum esse ultimum, et duraturum usque in finem mundi. Sunt qui facile affirment certum esse quod ipsi opinentur.

7. Mysterium iniquitatis, i. e. iniquitas arcana, latens, occulta ; quæ ita vocatur per oppositionem ad Antichristi tempora, in quibus iniquitas summa grassabitur palam et publice. Omnis malitia universorum seculorum, tum in ordine intellectus, ut errores, hæreses, incredulitas etc., quum in ordine voluntatis, ut peccata, morum corruptio, subversio sanorum ordinis civilis principiorum etc., haberi debet tamquam præparatio quædam et inchoatio pessimi regni Antichristi. " Persecutiones Ecclesiæ hujus tem- " poris, ait s. Thom., sunt figuræ illius ultimæ persecutionis. " Quemadmodum ex adverso, quivis Christi et Ecclesiæ triumphus, quævis regni Dei propagatio, præsertim per malorum castigationem, vocari potest præcursus et initium adventus Christi in fine seculorum.

operatur iniquitatis: tantum ut
qui tenet nunc, teneat, donec
8 de medio fiat. * Et tunc revela-
bitur ille iniquus, quem Domi-
nus Jesus interficiet spiritu oris
sui, et destruet illustratione
9 adventus sui eum: * cujus est
adventus secundum operatio-
nem satanæ in omni virtute, et
signis, et prodigiis mendacibus,

quæ culmen attinget in Antichristo, jam hic illicve vim suam partim et occulte exerat, tamen in omni sua plenitudine non apparebit, antequam prorsus ablatus et destructus fuerit is qui plenariam illam iniquitatis efficaciam hucusque impedit. [8] Tunc, et non antea, adveniet nequissimus ille Antichristus. Sed iste non obtinebit victoriam perpetuam; nam Dominus eum tandem interficiet sola præsentia sua, nimirum per flatum oris sui, seu per gloriam suæ manifestationis. [9] Verum antea innumera operabitur mala: adventus ejus, qui fiet secundum operationem satanæ, erit omni munitus potentia, et varia faciet pseudo-miracula

Operatur, ενεργειται, sensu medio (vim suam exerit), potius quam sensu passivo, ut vult Estius, sumendum est. Cf. ann. nostr. Gal. V, 6.

Teneat. Vulgatæ auctor hoc verbum et *ut* præcedens ex suo supplevit. Græce sic legitur in omnibus codicibus: Μονον ὁ κατεχων αρτι ἑως εκ μεσου γενηται, quod apud Beelen et Bisp. ita vertitur et explicatur: *tantum* (occulte operatur iniquitas), *donec de medio fiat ille qui nunc detinet* (Antichristi adventum); et tunc palam vim suam exeret in Antichristo. Secundum hunc sensum verba sic interpungere oportet: Mysterium jam operatur iniquitatis, tantum donec de medio fiat ille qui nunc detinet: et tunc revelabitur etc.

Qui tenet, ὁ κατεχων, idem intelligi videtur ac v. 6 *quid detineat;* adeo ut obstaculum adventus Antichristi tamquam res quædam et simul tamquam persona cogitandum sit; quod, ut diximus, multi de imperio Romano ejusque imperatoribus explicant. Estius verbum *tenet* in hoc versiculo aliter interpretatur quam verbum *detinet* in v. 6, quamvis græce eadem sit vox κατεχειν, et ita explicat: interim, quicumque tenet Christum (veram ejus religionem), eum firmiter retineat, donec de medio Ecclesiæ fiat apostasia. Sed hæc contextæ orationi minus favent.

8. Interficiet spiritu etc., jussu suo, vel sola præsentia sua. Manifesta recordatio verborum Is. XI, 4, ubi de Christo dicitur: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* S. Paulus ex æstu quodam ingenii mentionem de morte Antichristi inordinate interjicit; nam v. 9 ipsum describere pergit.

10 * et in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio,
11 * ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

atque prodigia fallacia, [10] quibus multos ad iniquitatem seducet; sed eos tantum qui, quum veram fidem ex corde amplecti noluerint, qua potuissent salvari, in æternam sponte ruunt damnationem. Deus enim, in pœnam perversæ illorum voluntatis, falsa illa miracula permittet, eo fine ut, per malitiam suam obcæcati, istis credant; [11] atque ideo meritam incurrant damnationem ii omnes qui veritati credere abnuerunt, sed contra, se totos errori et iniquitati tradiderunt.

10. Iis qui pereunt. Græce, ait Estius, *in pereuntibus;* sed ita solummodo legitur in ed. textus Recepti, et in codicibus D***EKL et vers. syr.; dum Vulgatæ suffragentur ABD*FG et vers. copt., sahid., æthiop. etc.

Qui pereunt eo quod... Hæc adjicit pro consolatione piorum, et ut nemo desperet. Clare docet adultorum neminem sine propria culpa perire; adeoque plane confutatur horrenda Calvini blasphemia, prædestinatione Dei positiva ad æternam damnationem ante prævisa demerita quosdam devoveri.

Ideo, in pœnam illorum perversitatis, et ob præcedentia peccata. Eodem sensu dicitur Deus quosdam *indurare, obcæcare, tradere in peccatum* etc. Cf. ann. in epist. ad Rom. IX, 18.

Ut credant. *Ut, ἵνα,* particula *finalis,* in consueta significatione intelligi potest, de *fine,* ut fuse docet s. Aug. l. 5 contra Jovin., c. 3; hoc sensu, Antichristum a Deo mittendum esse *eo fine ut* homines perversi, qui divinæ gratiæ diu restiterint, in malitia sua obdurati permaneant, atque in ea morientes meritas luant suæ impœnitentiæ pœnas. Cf. Beelen, *Gramm. græc.* N. T. § 57, 6, ann. 6, ubi ostendit ἵνα plerumque adhiberi τελικως, de *fine,* et non εκβατικως, de *eventu.* Eodem sensu dicitur Rom. I, 28: *Tradidit illos* (gentiles) *Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniant,* i. e. quæ maxime dedecent.

11. Judicentur, κριθωσιν, pro *condemnentur,* κατακριθωσιν, verbum simplex pro verbo composito. Ita quoque Rom. II, 1, 2, 3 et Col. II, 16.

Analysis cap. II, 1—11.

Error est, nullo nixus fundamento, diem judicii extremi brevi adventurum, v. 1-2.

Nam antea fiet generalis quædam apostasia et apparebit Antichristus. Verum quidem est nonnulla jam ejus adventui præludere, sed sunt et alia quæ hucusque eum impediant, v. 3-7.

Descriptio Antichristi, v. 3-10 :

1⁰ Erit homo pessimus, quasi *peccatum personificatum*, si ita loqui fas est;

2⁰ Christo ex adverso sese opponet;

3⁰ Imo vero, sese extollet supra Deum, et non permittet ut præter se alius Deus adoretur;

4⁰ Operatio ejus erit quasi operatio satanæ; adeoque

a/ Potentissima,

b/ Fallacissima (nam falsa faciet miracula),

c/ Pessima (nam ad malum seducet multos);

5⁰ Ad finem tamen eum interficiet Christus; et facillime quidem, videlicet per solam præsentiam suam, quasi per oris halitum.

Apostolus deinde explicat qua ratione Deus juste permissurus sit ut per falsa Antichristi miracula multi ad malum pertrahantur. Eorum enim perversio erit prorsus voluntaria, atque pravitati mentis eorum unice adscribenda erit : inanitatem istorum miraculorum non videbunt, quia, per incredulitatem suam oculos lumini fidei ultro claudentes, erunt obcæcati, v. 10 et 11.

Postquam ita Thessalonicensium sententiam falsam correxit, eosque a timore judicii liberavit, redit ad eorum adhortationem et correptionem moralem.

P. 3m. *Adhortationes et correptiones.*

II, 12-III, 18.

12 * Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus,
13 et in fide veritatis: * in qua et vocavit vos per evangelium nostrum in acquisitionem gloriæ Domini nostri Jesu Christi.
14 * Itaque fratres state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive

[12] Vos autem, fratres a Deo dilecti, de numero illorum non estis incredulorum; contra, Deo sint gratiæ, ante omnes fere alios Europæ incolas, adeoque tamquam primitiæ quædam præstantissimæ, ad salutem electi fuistis a Deo, nimirum, per sanctificationem a Spiritu sancto acceptam et per veræ fidei professionem. [13] Ad hanc autem gratiam a Deo vocati estis per nostram Evangelii prædicationem, eo fine ultimo ut gloriam Domini nostri J. C. aliquando obtineatis.

[14] Itaque, fratres, estote sine tanto judicii timore, et constanter tenete traditam vobis doctrinam, quam a no-

12. Incredulis illis, de quibus v. 11 loquitur, opponit (*autem* δε) fideles Thessalonicenses, eosque excitat et adhortatur. — Primitias, απαρχην, sicut legitur in codicibus BFG, et in vers. syr. philox. In textu autem Recepto habetur απ' αρχης, *a principio*, cum codicibus ADEKL. Lectio Vulgatæ videtur præferenda quia difficilior. Imago de primitiis, seu primis frugibus, occurrit etiam Rom. XVI. 5 et 1 Cor XVI, 15. Recogita legem Mosaicam de primitiis, Exod. XXV, 2 et Num. XV, 19. Si quis velit sequi lectionem textus Recepti, sensus erit: *elegit vos ab initio, a seculis*, ut Col. I, 26.

Finis divinæ illius electionis est salus hominis electi æterna; medium duplex: a parte Dei gratia Spiritus sancti, et a parte hominis fides cum sanctis operibus: quod docet Apostolus verbis *In sanctificatione... gloriæ D. N. J. C.*

13. In qua: εις ὁ, *ad quod*, nempe ut habeatis *sanctificationem Spiritus* et *fidem veritatis*.

14. Verba luculentissima, quibus contra Protestantes demonstratur Scripturam sacram non unicum esse fidei fontem, adeoque et admittendas esse traditiones apostolicas. " Hinc perspicuum est, ait s. Chrys. ad. h. l., " apostolos non omnia tradidisse per epistolas, sed multa etiam sine

per sermonem, sive per episto-
lam nostram.
15 * Ipse autem Dominus noster
Jesus Christus, et Deus et Pater
noster, qui dilexit nos, et dedit
consolationem æternam, et spem
16 bonam in gratia, * exhortetur
corda vestra, et confirmet in
omni opere, et sermone bono.

CAPUT III.

1 * De cetero, fratres, orate pro
nobis, ut sermo Dei currat, et
clarificetur, sicut et apud vos :
2 * et ut liberemur ab importunis,
et malis hominibus : non enim
omnium est fides.

bis didicistis, sive per oralem prædicationem nostram, sive per epistolam quam ante hanc vobis scripsimus.

[15] Illud autem vobis concedat divina gratia : igitur Dominus noster J. C. et Deus Pater, qui et pater est noster, qui ex sola bonitate et gratia dilexit nos, in filios suos nos adoptans, consolationemque quam nemo subripere potest dedit nobis in hujus vitæ adversitatibus, necnon et spem bonam pro altera vita, [16] ipse consoletur corda vestra, et in omni bono, tum in verbis quum in operibus, vos confirmet.

[1] De cetero, fratres, orate pro nobis, fidei prædicatoribus, ut sermo Dei nostro ministerio velociter propagetur, et ubique agnoscatur, sicut apud vos factum est; [2] et ut liberemur ab improbis et malis hominibus. Mirum videri non debet hujusmodi homines reperiri, quum fidei donum non omnes suscipiant.

" scriptis; et ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque " traditionem fide dignam esse censeamus. Traditio est, nihil quæras " amplius. "

15. In gratia : refer ad *dilexit* et *dedit ;* ideo in paraphrasi : nos, inquam, ex sola bonitate et gratia dilexit.

16. Exhortetur : verbum est in singulari, quamvis duplex sit ejus subjectum *Christus* et *Deus*, quia Christus Deus est, adeoque ejus operatio una eademque est cum Dei Patris operatione. Loco *exhortetur* verbum παρακαλεσαι præferrem vertere *consoletur*, eo vel magis quod statim v. præc. dictum sit *consolationem.*

1. Ut sermo etc. Col. IV, 3 : *Orantes pro nobis ut Deus aperiat nobis ostium sermonis* etc. Notat s. Chrys. Pauli arma fuisse suas suorumque preces : hæc pariter a nobis adhibenda sunt. — Sicut et apud vos. Obiter eos laudat, ut eos magis stimulet.

2. Importunis, ατοπων, quod melius vertitur per *improbis :* videtur intelligendum de Judaizantibus. — Non omnium est fides, quia nonnulli ob voluntatis malitiam fidem suscipere nolunt. Cave ne hoc sensu explices, Deum aliquibus conantibus et volentibus subsidia ad salutem necessaria denegare: nemo enim ex adultis absque propria et personali culpa peribit.

3 * Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo.
4 * Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, et facitis, et facietis.
5 * Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi.
6 * Denunciamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a
7 nobis. * Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos : quoniam non inquieti fuimus in-

[3] Sed istos non timete : Deus, qui fidelis est et constans in iis quæ facit et promisit, vos roborabit et contra dæmonem ejusque ministros tuebitur.

[4] Confidimus autem omnia præscripta nostra per Christi gratiam a vobis observari nunc in præsenti, et perseveranter in futuro observanda esse.

[5] Dominus autem det vobis ut ex corde Deum diligatis, utque in tribulationibus vestris patientiam Christi imitemini.

[6] Mandamus vobis, fratres, vice et auctoritate Domini nostri J. C., ut sejungatis vos ab iis omnibus christianis, qui inquiete et inordinate se gerunt, adeoque qui non observant præcepta quæ dedimus ea de re. [7] Omnes enim, qui ex vobis sunt, rite sciunt quomodo se gerere debeant, et nostrum imitari exemplum; nimirum, sciunt nos inquietos

3. Fidelis, πιστος, paronomasia cum *fides*, πιστις, v. 2. — A malo, του πονηρου. Incertum mihi videtur utrum cum Beel. intelligendus sit *malus* (in masc. genere), i. e. diabolus, qui sæpe ita vocatur (cf. Matth. XIII, 19; Ephes. VI, 16), adeo ut respondeant hæc verba ad illa v. 2 *malis hominibus ;* an vero, ut opinatur Bisp., *malum* sit in neutro genere positum, ex antithesi cum ultimo versu capitis præcedentis : *in omni opere et sermone bono.*

5. Tertio jam, in hæc epistola, orat pro eis : cf. I, 11; II, 15.

In charitate Dei et patientia Christi : *Dei* et *Christi* sunt genitivi objecti : in Deum et in Christum. Loco *in charitate et patientia*, græce sunt accus. *in charitatem et patientiam.* Jam vero Estius ita interpretatur verba *in patientiam Christi :* ad sustinentiam Christi, ad exspectandum patienter adventum Christi remuneratoris. Sed hæc significatio proprie competit voci αναμονη ; hic vero habetur ὑπομονη, quæ plerumque sign. vel patientiam seu injuriæ et vexationis tolerantiam, vel perseverantiam : ideo præfero cum s. Thoma, Beelen et Bisping sic explicare : ut patientiam, cujus exemplar fuit Christus, exerceatis.

6. In nomine. Non obtestatur *per nomen* etc., quod censet Erasmus ; sed auctoritatem suam allegat : vide paraphrasim.

Subtrahatis etc. Hac de re monita jam tradiderat 1 Thess. IV, 11 ; V, 14.

8 ter vos : * neque gratis panem
manducavimus ab aliquo, sed in
labore, et in fatigatione, nocte
et die operantes, ne quem ve-
9 strum gravaremus. * Non quasi
non habuerimus potestatem, sed
ut nosmetipsos formam daremus
10 vobis ad imitandum nos. * Nam
et cum essemus apud vos, hoc
denunciabamus vobis : quoniam
si quis non vult operari, nec
manducet.

non fuisse, [8] nec panem gratis ab aliquo acceptum manducasse, sed laborasse usque ad fatigationem, nocte æque ac die manibus operantes, ut nostræ provideremus sustentationi nemiuique vestrum oneri essemus. [9] Id autem fecimus, non quod jus nobis non esset subsidia temporalia a vobis exigendi, sed ut vobis daremus exemplum quod imitaremini. [10] Et non exemplo tantum, sed et aperta nostra prædicatione, id vos docuimus ; etenim, quando apud vos eramus, hoc vobis injunximus mandatum : qui laborare non vult, manducare non debet.

Non pronuntiatur hic excommunicatio stricte dicta, quemadmodum 1 Cor. V, 5 ubi incestuosus, et 1 Tim. I, 20 ubi Hymenæus et Alexander satanæ traduntur.

8. PANEM. Dictio *panem manducare*, per synecdochen Hebræis familiarem, sign. generatim vitam alere et sustentare. — NE QUEM VESTRUM GRAVAREMUS. Eodem modo se gessit erga Corinthios : cf. 2 Cor. XI, 7-9.

9. *Potestatem* illam fuse demonstrat 1 Cor. IX, 4-14.

10. SI QUIS NON VULT OPERARI.... Est quasi proverbium, quod ultimum habet fundamentum in Gen. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Prov. XXXI, 13-27 laudatur mulier fortis quod panem otiosa non comederit. Eccli. XXXIII, 29 : *Multam malitiam docuit otiositas.* Prov. VI, 6 : *Vade ad formicam, o piger.* S. Chrys., Hom. 35 in Act. Ap., otii turpitudinem graphice depingit. Illud vitium comparat cum rubigine quæ ferrum corrodit. Idem, Hom. 7 in 2 Cor. : " Sicut, ait, terra non occupata semente aut consi- " tione quamlibet herbam producet : sic etc. "

Hæc Pauli verba aperte damnant mendicantes validos, pigros, inertes, otiosos, qui opus ultro oblatum refugiunt : hos numquam, quidquid clamitent religionis hostes, approbavit aut tolerandos judicavit Ecclesia catholica, nec civile Romani Pontificis gubernium. Hujusmodi homines per leges et pœnas a civili potestate merito reprimuntur. Sed non idem sane dicendum est de iis qui, vel præ virium debilitate, vel ex corporis quodam vitio, vel propter laboris cessationem, operari non valent ; bene enim animadvertendum est Apostolum dixisse : *qui non vult operari*, non autem : *qui non operatur*. Absit igitur ut, cum recentioribus quibusdam Ecclesiæ adversariis et falsi nominis

11 * Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agen-
12 tes. * Iis autem, qui ejusmodi sunt, denunciamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.
13 * Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.
14 * Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc

11 Hæc autem dicimus, quia audimus quosdam esse inter vos qui inquiete se gerunt, et otiosi discurrunt ut aliena negotia curiosius scrutentur. 12 Hujusmodi autem hominibus præcipimus, eosque obsecramus, per auctoritatem nobis a Christo concessam, ut quieti sint, et vivant de iis quæ suo labore acquisiverint.

13 Vos autem, qui tales non estis, nolite ab operibus beneficentiæ abstinere, quamvis isti abutantur eis.

14 Si quis tamen obedire nolit iis quæ in hac epistola præscribimus, hunc notate, et ab ejus commercio abstinete, in

philanthropis, asseramus mendicitatem ipsam esse per se delictum, eamque nemini umquam licitam esse. Ceterum facile videt quisque, hic apud s. Paulum non agi de iis qui ministerio divino sunt consecrati, de quibus alibi manifesto docetur, eos jus habere ad honesta vitæ subsidia accipienda: 1 Cor. IX, 1-14. Nec religiosis mendicantibus objici posse verba hujusce v. 10, jam diximus supra 1 Thess. IV, 11.

11. Audivimus: in omnibus mss. ακουομεν, *audimus*. Significat igitur se nuper adhuc nuntios ea de re accepisse.

Nihil operantes, sed curiose agentes: μηδεν εργαζομενους, αλλα περιεργαζομενους, elegans paronomasia, quasi dicat *nihil operantes, sed circumoperantes;* quod vario modo intelligi potest: vel cum Vulgata, sua negligentes, et male seduli de rebus aliorum; vel cum Beel. et Bisp., nihil facientes (vere bonum), sed rebus inutilibus dediti; vel, nihil agentes, sed satagentes, *se trémousser et ne rien faire.*

13. Benefacientes: καλοποιουντες, quod volunt quidam sensu primigenio generali intelligere: recte et sancte agentes; sed contexta oratio significationem postulat strictiorem quam habet Vulgata: *benefacientes.*

14. Per epistolam. Epistola intelligitur hæc 2ª ad Thessal., ut innuit articulus qui in græco habetur ante *epistolam.* Verba hæc *per epistolam* cum præcedentibus jungenda sunt; non autem cum sequentibus, quasi sensus esset: hunc notate per epistolam, quam spero fore ut a vobis accipiam. Constructio verborum et articulus της huic obstant sententiæ; etenim oportuisset scribere: τουτον δια επιστολης σημειουσθε, hunc per epistolam (aliquam, sine articulo) notate; sed scripsit Apostolus: δια της (i. e. ταυτης) επιστολης, τουτον σημειουσθε.

notate, et ne commisceamini
5 cum illo, ut confundatur : * et
nolite quasi inimicum existi-
mare sed corripite ut fratrem.
6 * Ipse autem Dominus pacis
det vobis pacem sempiternam in
omni loco. Dominus sit cum
omnibus vobis.
7 * Salutatio, mea manu Pauli :
quod est signum in omni epi-
stola : ita scribo.
18 * Gratia Domini nostri Jesu
Christi cum omnibus vobis.
Amen.

eum finem ut per salutarem confusionem emendetur. [15] Attamen, nolite eum habere tamquam inimicum, quem opprimere oporteat ; sed corripite eum tamquam fratrem, quocum pacem inire cupiatis.

[16] Ipse autem Deus, qui pacis est auctor, det vobis constanter et ubique vera pace frui. In hunc finem Dominus sit cum omnibus vobis.

[17] Ecce nunc salutationem quam ego Paulus, mea manu, in omnibus epistolis tamquam authentiæ signum addere soleo. Subscribo :

[18] « Gratia D. N. J. C. sit cum omnibus vobis ! Id exopto. »

Ne commisceamini : non videtur intelligendum de excommunicatione proprie dicta, ut opinatur s. Thom. ; nam v. seq. additur *corripite ut fratrem.*

15. Corripite ut fratrem. Ut statim dicebam, et ut supra v. 6 notavi, noluit Apostolus eum ab Ecclesia prorsus separare ; manebat igitur frater, Ecclesiæ membrum. Quum tamen fideles jubeantur ab ejus commercio abstinere, correptio hæc a superioribus ecclesiasticis facienda erit.

16. In omni loco. Græce, in textu Recepto, legitur *in omni modo* (τροπῳ), cum A**BD***EKL et vers. syr. et copt. : sed cum Vulgata (τοπῳ) concinunt A*BD*FG et vers. goth., nec est quod ab ea recedamus.

17. Mea manu Pauli : sic quoque 1 Cor. XVI, 21 et Col. IV, 18.

Signum, puta, authentiæ ; nam, ut vidimus supra II, 2, apud Thessalonicenses vulgatæ fuerant epistolæ Pauli suppositiciæ. — Quodnam autem intelligitur signum ? Tres dantur sententiæ ; alii : signum aliquod nobis incognitum, v. g. sigillum ; alii : hæc ipsa verba *Salutatio mea manu Pauli ;* et, quum hæc verba non in omnibus epistolis Paulinis reperiantur, contendunt illa *in omni epistola* intelligenda tantum esse de omnibus epistolis quas forsitan Thessalonicensibus deinceps scripturus esset. Sed probabillior est 3ª sententia, salutationem manu Pauli additam contineri in v. 18 : *Gratia* etc.

Analysis cap. II, 12—III.

Primum, proponit firmissimam quamdam rationem, qua suadeantur monita mox tradenda : nimirum, eis in memoriam revocat gratias a Deo antehac obtentas, v. 12 et 13.

Monita autem ista ad duo capita revocari possunt, I° ad adhortationem et II° ad correptionem.

I. Jam vero *adhortatur* Thessalonicenses

1° Ut, per divinam gratiam, firmi in fide, non obstantibus persecutionibus, permaneant, v. 14 et 15 ;

2° Ut pro se Paulo aliisque fidei prædicatoribus orent, III, 1 et 2 ;

3° Deo, constanti adjutori, confidant, v. 3 ;

4° Præscripta Apostoli omnia custodiant, v. 4 ;

5° Deum ament, et ad Christi exemplum patiantur, v. 5.

II. *Corripit* eos qui otiosi et curiosi per domos et plateas discurrunt, atque eleemosynas aucupant, v. 6-15.

1° Isti sunt devitandi, v. 6 et 14, antea tamen corripiendi ut fratres, v. 15.

2° Neque præscripta aut exempla Apostoli observant ; ipse enim, quamvis jus ad sustentationem haberet, labore manuum victum sibi acquisivit, v. 7-9.

3° Sensus hominum communis dictat, eum, qui laborare nolit, nec manducare debere, v. 10.

Finalis apprecatio, v. 16 ; dein salutatio, propria Pauli manu, in testimonium authentiæ, subscripta, v. 17 et 18.

Excursus ad 2 Thess. II, 1—11.

De mundi fine et de Antichristo, secundum s. Scripturam.

Præcipua s. Scripturæ loca, quæ ad hanc materiam spectant. Thess. 2, II, 1-11, qui quidem locus, quum omnium præcipuus sit, sedes propria hujus quæstionis dici debet. — 2 Petr. III, 3-13, ubi de mundi transformatione per ignem præsertim agitur : vide Comm. nostr. in Epist. Cath. 2ª ed. a. 1887. — Matth. XXIV-XXV, collato Marc. XIII, Luc. XXI : in his Evangeliorum capitibus quædam ad nostrum argumentum, quædam vero ad eversionem Hierosolymæ pertinent. Lectorem studiosum ad Comm. nostr. s. Matthæi (3ª ed. 1880-1882, 4 vol. in-8) remittere liceat. — 1 Thess. IV, 12-V, 3. — Apoc. XX, 7-XXI, 5. Secundum sententiam probabiliorem nonnulla huc referenda in Apoc. V-XI reperiuntur. — Quædam etiam in Dan. VII-XII de mundi interitu intelligenda esse videntur.

Quod autem attinet ad Is. LXV, 17 et LXVI, 22, de *spirituali* mundi renovatione per Messiæ adventum ibi proprie sermo fit : at vero, illa renovatio in fine seculorum, quando etiam mundus materialis instaurabitur, sub omni ratione perficietur.

Sunt qui allegent etiam Mal. IV ; et, quamvis nonnulli dubitent utrum necne de Antichristi temporibus illa dicta sint, sententia priorum, quæ longe communior est, etiam probabilior nobis videtur. Cf. Comm. nostr. in s. Matth. (3ª ed.), q. 428.

Utilissimum erit legere s. Augustinum : *De civit. Dei*, l. XX.

---

1. Certum est mundum hunc physicum aliquando periturum, saltem quod ad præsentem ejus formam pertinet. *Præterit*, ait s. Paulus, *figura hujus mundi* (1 Cor. VII, 31). — *Cœlum et terra*, inquit Christus, *transibunt* (Matth. XXIV, 35). — *Peribunt* (cœlum et terra)..; *sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos* (ea), *et mutabuntur* (Ps. CI, 27). Hæc est Ecclesiæ catholicæ doctrina, a qua recedunt rationalistæ omnes, utpote qui systema de *progressu indefinito* tueantur, quique contendant nullum existere nec mundi nec singulorum hominum terminum extremum. Cf. P. Felix, *Conf.* 1856, 3ᵉ conf. *Le terme final du progrès.*

2. Quo modo periturus sit mundus docet nos s. Petrus 2 ep. III, 10; nimirum, per ignem conflagrationis universalis: videsis Comm. nostr. in epist. Cath., 2ª ed. 1887. De cetero, quod spectat ad causas et circumstantias incendii istius terribilis, maxima est incertitudo. Si quis velit ingeniosam hac de re audire conjecturam, adeat GRATRY, *Conn. de l'âme*. L. 5, ch. 2-6. Conferatur etiam MARTIN, *La vie future*. Ch. 9.

2. Ignis tamen mundum non penitus destruet, quasi in fumum et pulverem resolutum; a fortiori ad nihilum non redigetur rerum substantia, sed solummodo transformabitur et glorificabitur. Cf. ann. in Rom. VIII, 19-22. Insertum hic velim cap. ult. Summæ s. Thomæ contra gent., ubi multa circa hanc materiam pulcherrime exponuntur.

4. Quandonam fiet illa mundi transmutatio rerumque consummatio? Respondeo primum: s. Scriptura N. T. nusquam affirmat mundum periturum brevi post Christi adventum, vel saltem non tamdiu esse permansurum quamdiu nunc jam extitit. Falsissimum est, quod rationalistæ (v. gr. Laurent et Renan) contendunt, Christum et Apostolos in hac quæstione vel erravisse, vel populi erroribus se accommodasse. Cf. ann. 1 Cor. X 11; XV, 52; 1 Thess. IV, 14.

5. Sed contra, aperte docet s. Scriptura, neminem, absque speciali Dei revelatione, cum certitudine cognoscere tempus quo mundi fatum adventurum sit. Marc. XIII, 32: *De die illo et hora nemo scit, neque angeli in cœlo.* Et Act. Ap. I, 7: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Imo, haud novimus quidem utrum magna illa calamitas post pauca, an vero post plurima secula futura sit. Sanctus enim Petrus, in 2 ep. III, 8 loquens de tempore illo, monet, in computatione ejus notandum esse: unum diem apud Dominum esse tamquam mille annos, et mille annos sicut diem unum. Plures quidem e ss. Patribus, quos citat CALMET (*Dict. bibl.* V° Antichr.), censuerunt sua jam ætate non longe abfuisse mundi interitum: sed ipsorum conjecturas posse derelinqui, jam pridem ostendit rei eventus.

6. Inde colligimus, sapientissimam esse Ecclesiæ præscriptionem, in Conc. Later. V (sess. 11, const. 1) latam his verbis: "Prædicari non potest "determinatum tempus futurorum, ut Antichristi vel judicii..., sub pœna "excommunicationis Papæ reservatæ." Cit. ap. FERRARIS, *Prompta bibl.*, verbo *Prædicare*.

7. Quamvis autem in sacris concionibus determinato modo nuntiare non liceat, quo tempore dissolvenda sint mundi elementa, non tamen prohibitum est quasdam hac de re conjecturas prudenter facere; quæ eo majorem probabilitatem præ se ferent, quo argumentis internis et externis solidius erunt confirmatæ.

8. Conjecturæ iis præsertim nituntur locis s. Scripturæ, in quibus signa, quæ alterum Christi adventum præcedent, describuntur. Nam, ut docet divinus Salvator, Matth. XXIV, 32, quemadmodum ex arborum germinatione discimus mox adventuram esse æstatem, ita etiam ex prognosticis variis prævideri poterit jam appropinquare magnam rerum omnium instaurationem.

9. Oportet igitur ut paucis indicemus signa quæ eventum illum præcedent.

Primum quidem, duo sunt quæ antea fieri debent, quæque signa ultimi diei *remota* et quasi *negativa* dici possunt: *negativa*, inquam, nam dies non aderit antequam hæc facta fuerint; sed non *certo* novimus eum adventurum esse *statim* post horum adimpletionem; innuit tamen Scriptura fore ut mundi finis haud diu post illa accidat. Ista autem duo sunt sequentia :

1° Antea prædicabitur Evangelium per universum terrarum orbem, Matth. XXIV, 14; Marc. XIII, 10.

2° Antea auferendum est aliquid, de quo loquitur s. Paulus 2 Thess. II, 7, et de quo dicit quod detineat et impediat adventum Antichristi, adeoque mundi interitum retardet. Quid autem intelligendum sit, non unanima sententia docent interpretes. Varias jam audiamus conjecturas.

Fere omnes, qui ante seculum XIX scripserunt, id explicant de imperio Romano, et censent Apostolum ideo hac de re obscure locutum fuisse, ne, quum innueret imperium illud aliquando de medio tollendum esse, dominatores illius temporis, qui æternum fore imperium censebant, offenderet. Huic autem sententiæ opponi potest, Romanorum imperium a multis jam seculis per Barbarorum invasionem fuisse destructum; mundum tamen adhuc stare. Respondent nonnulli : illud a Carolo Magno fuisse restitutum, et ad nostra perseverasse tempora in imperio Austriaco, cujus nempe princeps titulum semper gessit Imperatoris Romani. Verum hujusmodi explicatio videtur nimis violenta; præterea, saltem ab initio hujus seculi, quando destructum fuit imperium Germanicum, non amplius exstat ullum antiqui imperii Romani vestigium. S. Thomas illud inconveniens prævenit, quum docuerit (Comm. in 2 Thess. II) imperium Romanum, de quo scribit Apostolus, *de temporali in spirituale* fuisse commutatum; puta, per regnum Ecclesiæ et dominium summi Pontificis.

Probabilior autem videtur conjectura auctoris cujusdam recentioris (Bisping, *Exeget. Handb.* in h. l.) : Apostolum locutum quidem esse de imperio Romano, non tamen quatenus erat particulare quoddam regnum, sed in quantum, tunc temporis, forma erat potentissimæ et ordinatissimæ institutionis civilis et socialis; adeo ut voluerit docere, Antichristum non

adventurum esse quamdiu exstaret ordo societatis firmus et regularis, sub forma quapiam gubernii æqui ac recti. In hac sententia, socialismus et communismus, qui totam societatem funditus subvertere conantur, si umquam prævalerent, mundi hujus existentiam in summum discrimen adducerent, viamque sternerent ad ultimam cladem.

Hæc est, ut dixi, conjectura, et nuda conjectura, a qua potest unusquisque recedere. Ad me quod attinet, libenter subscribo his s. Augustini verbis : " Ego prorsus quid dixerit (s. Paulus) me fateor ignorare. " *De civ. Dei*, XX, 19.

10. Signa appropinquantis finis tria sunt præcipua. 1° Calamitates plures et terribilissimæ, ut bella, fames, terræmotus etc. Cf. Matth. XXIV, 6 sqq., Apoc. XX, 7 sqq., ubi directe agitur de fine mundi ; multa etiam, quæ ad illas pertinent calamitates, reperiuntur sparsa in Apoc. V-XI. 2° Persecutio sævissima contra christianos, loc. indic. 3° Multorum seductio per falsos prophetas et miracula falsa, ib., et 2 Thess. II, 9 et 10.

11. Hæ autem tribulationes præcipue accident sub ANTICHRISTO : quædam igitur nunc de ipso dicenda sunt.

a/ Sententia communis est, et prorsus tenenda, intelligendum esse virum quemdam determinatum, qui vivet in fine seculorum : 2 Thess. II, 3-9. Omnes quidem Christi adversarii a s. Joanne 1 ep. II, 18 ; IV, 3 vocantur *antichristi;* sed ultimæ persecutioni præerit unus quidam Christi *ανταγωνιστης*, qui absolute et secundum totam nominis significationem *Antichristus* dicitur.

b/ Erit homo (non dæmon incarnatus, ut quidam Scholastici opinati sunt) ; sed homo pessimus, " Homo quidam, ait s. Chrys., suscipiens omnem " Satanæ operationem " ; homo impiissimus, qui magna cum potestate christianos vexabit, et multos falsis prodigiis a via veritatis et sanctitatis avertet, præsertim per ministerium quorumdam pseudo-prophetarum.

c/ Secundum communem ss. Patrum traditionem, eodem tempore in terram redibunt Enoch et Elias, ut falsis prophetis se opponant ; postquam autem per certum temporis spatium (tribus annis cum dimidio, Apoc. XI, 3 : forsitan numerus definitus pro indefinito) prædicaverint, ab Antichristo morti tradentur, Apoc. XI, 7. An de hoc Eliæ reditu agatur Malach. IV, 4, incertum nonnullis videtur ; sed sententia affirmativa a nobis probatur : cf. comm. nostr. in Matth. 3ª ed., p. 670 et seq.

d/ Non diuturna erit persecutio et dominatio Antichristi : Apoc. XX, 3 : *modico tempore.*

e/ Eum interficiet Christus, vi supernaturali solius adventus sui : 2 Thess. II, 8.

Atque hæc quidem præcipua sunt doctrinæ capita, quæ e s. Scriptura et ss. Patrum interpretationibus de Antichristo admittenda esse videntur. Cetera vero, quæ apud nonnullos scriptores catholicos, tum veteres quum recentiores, reperiuntur, fere omnia valde dubia sunt; quippe quæ nec claris s. Scripturæ testimoniis neque unanimo aut communi ss. Patrum consensu nitantur.

Talia sunt quæ dicuntur de ortu Antichristi e stirpe Judæa et e tribu Dan; de patre ejus et matre; de initio regni ejus a Babylone; de serie populorum ab ipso devictorum; de restitutione templi Jerosolymitani etc. Auctores nonnulli universam Antichristi historiam, singulasque ejus partes, etiam minutissimas, tanta describunt distinctione et certitudine, ut crederes ipsos viri cujusdam coævi vitam enarrare. Sic MALVENDA, *De Antichristo*, Romæ 1604; et nuper adhuc ROUGEYRON (M. l'abbé), *De l'Antéchrist*, Paris 1861. Notitias autem omnes, quas afferunt, a priori rejicere et tamquam falsas contemnere nolim; ut vero eas admittam, satis firmum nondum inveni fundamentum. Plurimas hujusmodi notitias reperies etiam apud CALMET, *Dict. bibl.* ad vocem *Antichristus;* et in opusculo: *De adventu et statu et vita Antichristi*, quod, abhinc quibusdam annis, sub nomine s. Thomæ Aquinatis vulgatum fuit, quodque (bona venia lectoris sit dictum) tanto Doctore parum dignum videtur.

De Antichristo hactenus: jam redeamus ad examinanda signa illa appropinquantis finis, de quibus supra nº 10.

12. Prognostica ultimi diei non hujus sunt naturæ, ut ex eis liceat, notabili quodam temporis lapsu antea, cum solida probabilitate et prudenti ratione conjecturas facere de majore vel minore propinquitate tremendi illius eventus. SS. Patres non pauci in hac materia decepti fuerunt opinione quadam satis generali, quæ non adeo mira nobis videbitur, si recogitemus orbem Romanum universum primis post Christum seculis vehementer conturbatum et labefactatum fuisse, imo vero usque in infimis ordinis tum civilis quum religiosi fundamentis concussum; atque hanc rerum omnium perturbationem maxime adauctam fuisse seculo V et VI, quando irruentibus Barbaris, Romanum imperium cecidit.

Notum præterea est, sub finem seculi X a quibusdam propagatam fuisse falsam opinionem, mundum mille annis post Christum periturum esse. Error autem ille nequaquam fuit universalis, ut vulgo creditur: huic enim se opposuit, inter alios, s. Abbo abbas, qui scripsit exeunte sec. X (Vide Rohrbacher, Hist., l. 62). Attamen notatu dignum est circa a. 1000 per totum fere orbem christianum ecclesias splendide refectas vel denuo ædificatas fuisse (Rohrb. ib.). Utrum nec-ne liberatio a timore antea sparso (de mundo

perituro ante a. 1000) hac in re aliquid contulerit, judicent doctiores. Utcumque sese habeat hæc quæstio historica, nostra etiam ætate non defuerunt scriptores, qui, optima ducti mente, conjicere ausi sint mundi fatum brevi adfuturum : verum, rationes quas afferunt isti non satis firmæ sunt ut persuasionem cuipiam ingerant. Ad nos autem quod attinet, omnino subscribimus s. Augustini verbis : " *Frustra igitur*, ait in lib. 18 De civ. Dei, c. 53, *annos qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore Veritatis audiamus.* "

13. Sic, exempli gratia, quidam contendunt cladem ultimam adventuram esse ad finem seculi sequentis (vigesimi), propterea quod Deus sex diebus creaverit mundum, et quod dies unus sit tamquam mille anni in oculis Dei (Ps. LXXXIX, 4 et 2 Petr. II, 8); unde concludunt mundum non ultra sex annorum millia permansurum (cf. Bellarm. *De summo Pont.* III, 3) : quæ quidem conclusio prorsus infirma, et syllogismo vanissimo nixa, habenda est. Valda mirum est istiusmodi ratiocinationem a viris, aliunde doctis, admissam umquam fuisse. Dicam quod sentiam : si quædam conjectura, ex universa salutis nostræ œconomia, ut in s. Scriptura veteris et novi Testamenti describitur, facienda sit, potius opinandum erit, mundum per plura adhuc secula mansurum : ut nempe in ævo christiano harmonica quædam detur proportio cum diuturnitate veteris Testamenti, quod nonnisi præparatio fuit et quasi vestibulum novi Testamenti per Christum instituti.

14. Quidquid sit de certo et definito temporis articulo quo dies ille calamitatis et miseriæ adventurus sit, hoc saltem ex sacris Literis novimus, eum pro multis (imprimis pro malis) futurum esse tamquam furem nocturnum, adeoque istos ex improviso fore deprehendendos. Cf. Matth. XXIV, 27, 36-44; 1 Thess. V, 1-4.

15. Postquam autem Antichristus per breve quoddam tempus regnaverit, jussu Christi Domini vel solo ejus adventu occidetur, dum interea obscurabuntur sol et luna, cadent stellæ, virtutes cœlorum movebuntur etc. (quæ vero omnia a multis sensu proprio, ab aliis vero sensu metaphorico intelliguntur, ut dixi in Comm. s. Matth., 3ª ed., q. 512) : ac tandem rerum universitas igne destruetur (quoad statum præsentem). Tunc apparebit Filius hominis in nubibus, cum gloria et majestate, angelorum sanctorumque agmine circumdatus, et de cœlo descendet ad judicium in omnes homines exercendum, Matth. XXIV, 29 sqq.

16. Eodem tempore tuba Dei sonabit per ministerium angelorum, et mortui resurgent omnes (vide quæ de mortuorum resurrectione generali notavimus 1 Cor. XV), et qui tunc vivent transformabuntur : justi autem

rapientur obviam Christo in aera. Deinde fiet judicium extremum, in quo primum separabuntur electi a reprobis; hi a sinistris, illi vero a dextris summi Judicis statuentur. Apostoli vero aliique sancti majores sedem a latere Judicis obtinebunt, et simul cum ipso sententiam pronunciabunt. Hæc autem et in justos et in malos feretur: tandem mali in ignem æternum repellentur, justi vero cum Christo cœlum ingredientur, et *sic semper cum Domino erunt*. Cf. 1 Thess. IV, 15-17; et Matth. XXV, 31-46.

Tunc demum perficietur plena illa cœli terræque transformatio, quæ per ignem conflagrationis universalis inchoata fuit: tunc enim erit *cœlum novum et terra nova*, et omnis creatura mundi physici glorificabitur, ut glorificationi filiorum Dei admirabili quodam modo accommodetur. Cf. ann. Rom. VIII, 19-22.

EPISTOLA
PRIMA AD TIMOTHEUM.

Hæc meditare, in his esto.., ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia. 1 Tim. IV, 15 et III, 15.

Tres apostolicas [pastorales] epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita.
S. Aug., De doctr. christ. IV, 16, 33.

INTRODUCTIO.

Ordo rei tractandæ, atque expositionis perspicuitas, postulant ut *primum* introductionem generalem in omnes s. Pauli epistolas Pastorales, *deinde* peculiarem in binas ejusdem epistolas ad Timotheum, ac *tertio* specialissimam in primam epistolam ad Timotheum tradamus.

I. EPISTOLÆ S. PAULI PASTORALES.

§ 1. Designatio.

Tres s. Pauli epistolæ, ad Timotheum binæ et una ad Titum, *pastorales* vocantur, tum ratione *personarum* ad quas scriptæ sunt, tum præsertim ratione *argumenti* quod pertractant (1).

Pastores enim Ecclesiæ erant ss. Timotheus et Titus, quum episcopi ab Apostolo constituti essent, hic nempe in Cretensium, ille vero in Ephesiorum Ecclesia (1 Tim. IV, 14 ; V, 22 ; 2 Tim. I, 6; Tit. I, 5). Neminem sane fugit, superiores ecclesiasticos, tum

---

(1) Epistolæ illæ ab aliquibus nominantur *hierarchicæ*, ob similes rationes : 1° quia scribuntur ad personas in alto hierarchiæ gradu constitutas, utpote episcopali dignitate insignitas ; et 2° quia speciales continent instructiones circa dotes et virtutes eorum qui varios hierarchiæ gradus occupant.

in vetere quum in novo Testamento, atque deinceps per universa Ecclesiæ secula, apte et significanter appellatos fuisse *pastores*, eorumque munera sub imagine *pastoris*, gregem sibi commissum ducentis, fuisse exposita ([1]).

Argumentum porro illarum epistolarum merito dicitur *pastorale*, quia de officiis et dotibus pastorum Ecclesiæ, præsertim vero episcoporum, primarie et fuse agunt; quamvis materiam hanc, non abstracte et universe, sed habita potissimum ratione illius temporis, pertractent, neque omnem theologiæ *pastoralis* ambitum complectantur.

§ 2. Authentia.

Tanta est trium epistolarum Pastoralium similitudo, et in argumento, et in elocutione, ut omnium authentia simul stabilienda videatur; eo vel magis, quod ipsimet Rationalistæ tres simul admittendas vel rejiciendas esse fateantur: ita apostata RENAN, *S. Paul*, introd.

Quum autem agatur de facto historico, quæstio pendet a testimoniis historicis, quæ quidem omnia, fatentibus etiam adversariis, authentiæ epistolarum Pastoralium plane favent ([2]). Etenim, ab initio Ecclesiæ usque ad recentiorem rationalistarum ætatem, nemo umquam eas epistolas rejecisse legitur, præter Marcionem et

---

([1]) Joan. XXI, 15-17 Christus primatum Petro tradens: *Pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas.* Act. Ap. XX, 28 *Posuit vos Spiritus s. episcopos regere* (gr. *pascere*) *Ecclesiam Dei* (cf. ann. nostr. ad h. l.). Ipsemet Christus se *pastorem* dixit, Joan. X, 11: *Ego sum pastor bonus; bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis:* eique idem dedit nomen s. Petrus, sc. *pastorem et episcopum animarum* (I Petr. II, 25). E vetere Testamento citari meretur Ps. XXII, 1, ubi Deus ipse sub imagine *pastoris* describitur: *Dominus regit* (hebr. et gr. *pascit*) *me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit.* Jer. III, 15 *pastores* dicuntur doctores et prophetæ ecclesiæ Judaicæ: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Cf. Is. LXIII, 11; Ezech. XXXIV, 11 etc.

([2]) Ipsemet De Wette agnovit harum authentiam haud minus quam ceterarum Pauli epistolarum demonstrari per testimonia *externa.* Eas tamen rejicit propter argumenta *interna.*

Tatianum [1], qui propter rationes dogmaticas tantum, quia suis repugnabant erroribus, adeoque nonnisi ex præjudicata opinione, eas admittere noluerunt. Citationes Patrum, aliaque antiquitatis testimonia, videsis apud cl. Drach.

Neque argumento illi *externo,* quod primarium et decretorium est, adversantur rationes *internæ,* quæ ex ipsismet epistolis, e sententiis, elocutione et scribendi modo, in confirmationem testimonii historici, hauriri possunt. Quod quidem abunde patebit vel ex succincta confutatione objectionum, quas rationalistæ contra authentiam excogitaverunt.

Objectio prima. Haud paucæ reperiuntur in epistolis Pastoralibus sive sententiæ, sive voces, sive dicendi formulæ, quæ ab usu loquendi Paulino recedunt, atque majorem linguæ elegantiam, quam in ceteris literis Apostoli conspicimus, referunt.

Resp. Ante omnia, quod *sententiarum* diversitatem spectat, prorsus negamus, quidquam in epistolis Pastoralibus dictum aut assertum inveniri, quod cum Pauli doctrina alibi tradita ullo modo pugnet, idque ex nostro demonstrabitur commentario. Manet igitur de stylo et elocutione solummodo agendum.

Etiamsi certo constaret, adeo diversam esse dicendi rationem, ut admitti nequeat eam ab eodem scriptore, quamvis in aliis rerum, locorum, temporum et personarum adjunctis versetur, oriundam esse; atque proinde s. Paulus ipse verbotenus has literas, vel manu sua exarasse, vel amanuensi dictasse non videretur: attamen statim inde concludendum nequaquam esset, eas ut apocryphas aut spurias Apostolo abjudicandas esse. Gravissima enim plurimaque argumenta impediunt, quominus admittamus, hujusmodi epistolas per *piam,* ut dicitur, seu potius *impiam* fraudem, ab aliquo Pauli discipulo, persona ipsius simulata, fuisse confictas, atque passim per omnes christianorum ecclesias sub ementito nomine fuisse divulgatas.

Potius amplectenda esset conjectura quorumdam, literas illas

---

(1) Tatianus nonnisi binas ad Timotheum, Marcion vero omnes respuebat epistolas Pastorales.

nomine et auctoritate s. Pauli exaratas fuisse a quodam ex sodalibus ejus, v. g. a s. Luca etc., cui Apostolus res scribendas distincte exposuisset, vel etiam chartam tradidisset, in qua præcipua argumenti tractandi capita summatim essent indicata, ab interprete illo amplius evolvenda, et ad normam veræ epistolæ elaboranda; quam deinde scripturam Paulo prælectam, atque ab eo approbatam, ejusque subscriptione consignatam supponeremus. Quæ quidem conjectura epistolarum authentiam, atque divinam inspirationem, sartam tectam servat: regi enim adscribi merito solet epistola, ejus nomine a ministro regio composita, atque ab ipsomet rege consignata. Cf. infra intr. in ep. ad Hebr. § 2, ubi ostendemus conjecturam illam, quod spectat ep. ad Hebr., valde probabilem esse.

Verumtamen, quamvis libenter fateamur, majorem in literis Pastoralibus splendescere scribendi elegantiam, compositionis facilitatem, locutionum bene græcarum abundantiam, hebræismorumque paucitatem; quamvis præterea voces dictionesque alibi a Paulo haud adhibitas iis inesse agnoscamus: nihilominus cum plurimis doctissimisque interpretibus censemus, non adeo singularem esse illarum epistolarum formam exteriorem, ut Paulo scriptori accenseri nequeant. Quis enim negare ausit per peculiaria rerum adjuncta, in quibus versetur scriptor, sc. per ætatem, animi affectionem, finem quem intendit, atque materiam præsertim scribendam, ejus stylum atque elocutiones facile posse immutari?

Ceterum, hoc prætermittendum non est, haud raro occurrere in his epistolis quæ indolem Apostoli plane referant, ejusque dicendi genus peculiare certo indicent; cujus quidem rei unum adduco exemplum, plurima uberioribus relinquens auctoribus: Tit. III, 5 hominis sanctificatio vocatur interior *renovatio* (ανακαινωσις), quæ dictio est vere Paulina, nam Rom. XII, 2; 2 Cor. IV, 16; Col. III, 10 recurrit, et præter scripta Pauli nusquam legitur in novo Testamento.

Objectio secunda. Plura sunt quæ tempus apostolica ætate recentius innuant, adeoque Paulo adscribi nequeant: ex. gr. per omnes epistolas Pastorales polemica agitur disputatio adversus hæreticos Gnosticos, quos seculo tantum secundo, satis diu post Paulum,

ortos fuisse novimus; præterea, de hierarchia jam per omnes ferme gradus evoluta hic sermo fit, qualis ævo apostolico nondum constituta fuerit, ut videtur.

Resp. Hujusmodi observationes solummodo huc tendunt, ut opinemur epistolas Pastorales post omnes fere alias s. Pauli literas fuisse exaratas. Gnosticismi autem primordia quædam atque præambula ætate apostolica exstitisse, jam animadvertimus in introd. epist. ad Colossenses; ibi enim plurima sunt loca quæ ad eosdem referuntur errores. Deinde, quod hierarchiam spectat, cujus varii gradus, episcopatus (presbyteratus), et diaconatus, sapientissimis diriguntur monitis, nemo horum institutionem graduum ad primitivam Ecclesiam pertinere dubitabit, qui eorumdem pleniorem evolutionem ineunte seculo secundo per varias ecclesias stabilitam jam esse meminerit.

Obj. 3ª. Difficultas etiam contra authentiam ex eo petitur, quod in decursu vitæ s. Pauli non reperiatur tempus ad quod scriptio harum epistolarum commode possit referri. Quæstionem vero, infra in introductione ad singulas epistolas, utilius exponemus.

Obj. 4ª. Tandem objicit *De Wette* rationalista (*Exeg. Handb.* Leipz. 1847) plurima esse in illis literis quæ Timotheo et Tito prorsus fuissent inutilia et supervacanea. Verum, nihil impedit quominus admittamus, et multa id innuunt (cf. 1 Tim. I, 1), epistolas ad pastores scriptas fuisse ea mentis intentione ut etiam fidelibus prælegerentur, aut saltem explicarentur.

§ 3. Specialis epistolarum pastoralium utilitas.

Inter omnes Scripturæ sacræ partes, nulla sane reperitur quæ majorem utilitatem sacerdotibus præbeat, quam tres epistolæ Pastorales. Argumentum enim earum ita accommodatum est Dei ministris, quod ex dictis supra § 1 colligitur, ut omnia fere eorum officia exponat et fortiter inculcet.

Id vero melius intelligetur, si attendatur fere omnia et singula monita et præcepta, quæ in personis Timothei et Titi episcopis traduntur, ad alios animarum pastores, imo ad unumquemque

sacerdotem, mutatis mutandis pro varia singulorum dignitate et conditione, referri posse, ne dicam debere. Qua de causa merito scribit s. AUGUSTINUS (De doctr. christ., l. 4, c. 16) : *Tres apostolicas epistolas* (ad Timotheum et ad Titum) *ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita.* Ideo etiam, quum optandum sit ut quivis sacerdos Pauli verba tamquam sibimetipsi dicta habeat, hanc epigraphen epistolis illis præfigendam duxi : *Hæc meditare, in his esto,* o sacerdos..., *ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia,* 1 Tim. IV, 15, et III, 15.

II. BINÆ AD TIMOTHEUM EPISTOLÆ.

De s. Timotheo.

S. Timotheus, patre natus pagano, matre Judæa quæ ad fidem christianam se convertit (Act. Ap. XVI, 1—3, et 2 Tim. I, 5), ab infantia sacras literas edoctus (2 Tim. III, 15) diligentia Loydis aviæ et Eunices matris suæ, mulierum fide eximia præditarum (2 Tim. I, 5), Lystris in Lycaonia, Asiæ Minoris provincia, morabatur, et jam Christi discipulus erat (forsitan antea a Paulo, in primo itinere apostolico, Evangelio imbutus, 1 Tim. I, 2), et quidem fidelissimus (utpote a christianis Lystrarum et Iconii collaudatus, Act. Ap. XVI, 2), quando s. Paulus in secundo itinere illuc advenit, eumque sibi comitem adscivit. Eum tamen circumcidi jussit Apostolus, prudenti quadam usus œconomia, ne Judæos, legi Mosaicæ adhuc mancipatos, ab audienda et suscipienda veritate evangelica arceret.

Deinde, prophetica revelatione de ejus vocatione admonitus (1 Tim. IV, 14), per solemnem consecrationem eum ad munus episcopi et prædicatoris initiavit (1 Tim, IV, 14; VI, 12 ; 2 Tim. I, 6), et in omnibus fere itineribus socium adjutoremque assumpsit (Act. Ap. inde a cap. XVI passim) ; ob eamque rem nomen ejus suo adjunxit nomini in plurimis epistolis, scil. in 1ª et 2ª ad Thess., in 2ª ad Cor., in ep. ad Phil., ad Col., et ad Philem. Inde novimus s. Timotheum cum s. Paulo Romæ, tempore prioris carceris, com-

moratum fuisse; quocum, ut videtur, post soluta vincula, in Orientem perrexit, Ephesumque advenit. Huic autem ecclesiæ præfectus fuit episcopus, quando Paulus inde digressus est in Macedoniam (quod 1 Tim. I, 3 etc. innuitur, et veterum scriptorum testimonio firmatur). Haud diu post Apostoli discessum, binas ab ipso accepit epistolas, quibus ad munus episcopale recte gerendum instrueretur atque adjuvaretur.

Festum diem s. Timothei celebramus 24 Januarii in Brev. Rom., ubi refertur, ex traditione, ipsum martyrio obiisse. Disputatur autem utrum nec-ne de eo agatur Apoc. II, 1-7.

III. EPISTOLA PRIOR AD TIMOTHEUM.

§ 1. Occasio scribendi, et scribentis finis.

Aliquamdiu postquam s. Paulus dilectum discipulum Timotheum, ut modo diximus, Ephesinæ ecclesiæ præfecerat, comperit quosdam ibi surrexisse pseudo-doctores e secta Judaizantium, qui episcopi auctoritatem agnoscere nollent, puramque fidei doctrinam figmentis variis, quæ erroribus Gnosticorum præluderent, evertere conarentur.

Quam pestem ut sanaret, atque etiam ut Timotheum, in gravissimo munere episcopali plenius institueret, epistolam misit, ipsi quidem inscriptam, sed et Ephesiis destinatam (ut patebit legenti), qua falsos doctores redargueret, Timothei auctoritatem stabiliret, eique fuse et distincte exponeret quid tamquam episcopus, in administratione ecclesiæ, in delectu ministrorum etc., peragere, quid vitare, quid docere, quid corripere teneretur.

§ 2. Argumentum et divisio.

Præmissa brevi salutatione (I, 1-2), Timotheo in memoriam revocat præceptum quod dedit, quando, eum Ephesi relinquens, jussit ut redargueret pseudo-doctores Judaicos, qui lites movebant per falsas suas theorias, et contendebaut salutis vim a lege Mosaica, non a Christi gratia, repetendam esse. Simul affirmat se

per hanc Christi gratiam factum esse Apostolum, quum antea fuisset fidei adversarius, atque per eamdem gratiam peccatores omnes salvandos esse (I, 3-20).

Non sufficit ut episcopus pravos reprimat doctores, oportet etiam ut fideles christianos ad rectum debitumque ordinet cultum Dei externum : quamobrem Apostolus, in cap. II, quædam tradit monita, quæ spectant ad conventus liturgicos habendos, precesque publicas rite instituendas ; quid hac in re a mulieribus quoque observandum sit præscribens.

Deinde, in cap. III, transit ad superiores ecclesiasticos, qui conventibus illis publicis præsunt ; atque dotes describit quæ in episcopo, diacono, et diaconissis requiruntur.

Materiam autem hanc abrumpit per universum cap. IV, ut redeat ad id quod in his literis principalius intendit, et quod cap. I jam tractare inceperat : nimirum falsas Judaizantium doctrinas et præscriptiones iterum rejicit, atque distinctius explicat qualis Timotheus esse debeat in universa agendi ratione.

Posthæc, cap. V, eumdem ulterius instruit, quomodo oportet ut se gerat erga singulos fideles, pro diversitate ætatis, sexus et dignitatis ; in specie erga viduas, quæ publicis Ecclesiæ sumptibus alendæ, vel etiam ad officium aliquod seu ministerium ecclesiasticum, v. g. Diaconissarum, eligendæ sunt ; tandem erga presbyteros, tum probos, tum publice peccantes. Addit personalia quædam monita Timotheo utilissima.

In ultimo tandem capite, post verbulum de officiis servorum, pseudo-doctores tertium reprehendit, eorumque præsertim avaritiam redarguit ; Timotheum vero ad vitam sanctam, et indefessum studium pro vera fide tuenda, adhortatur.

Divisionem in sex capita, tamquam totidem tractationis puncta aliquantulum distincta atque separata, retinemus, quum inutile esset, hoc in genere epistolari, informationem stricte logicam ulterius inquirere.

§ 3. Tempus et locus scriptionis.

De tempore, quo scripta sit epistola, et unde sit missa, nequa-

quam constat ; imo vero, opinionem quamdam hac in quæstione cum solida probabilitate eligere et defendere difficillimum mihi videtur. Illud unum ex cap. I, 3 novimus : epistolam exaratam fuisse, paulo postquam Apostolus, Timotheo Ephesi relicto, ex hac civitate in Macedoniam abiisset. Jam vero, quo præcise tempore id factum sit, multum disputant auctores.

Tres sunt sententiæ præcipuæ, quas singillatim indicabo paucisque dijudicare conabor.

Prima sententia illud proponit tempus, quo (ut narratur Act. Ap. XX, 1) Paulus, propter tumultum a Demetrio argentario excitatum, Ephesum relinquere coactus fuit, circa annum 59.

Huic autem sententiæ obstat Apostolum, cum hanc epistolam scriberet, sibi proposuisse brevi reverti Ephesum (1 Tim. III, 14. 15, et IV, 13); atqui eo tempore, quo seditio Demetriana accidit, Paulus statuerat abire in Achaiam, indeque Jerosolymam petere, ac demum Romam proficisci, ut patet ex coll. Act. Ap. XIX, 21 cum 1 Cor. XVI, 4 sqq.; et hoc consilium (cf. Act. XX, 2 et 3) revera executus est; saltem partim, quum iverit Corinthum, et inde tetenderit in Palæstinam, non directe quidem, ut voluerat, sed itinere facto per Macedoniam propter Judæorum conjurationem. Deinde probabile non videtur, ipsum voluisse, tam cito redeundo Ephesum, se novo periculo sponte committere; et hoc quidem adeo verum est, ut, cum oram Ephesinam accessisset in itinere Hierosolymitano, non adierit ipsam Ephesum, sed Mileti, in vicinia Ephesi, paulisper steterit, eoque Ephesinos episcopos et presbyteros vocaverit, Act. Ap. XX, 16, 17.

Secunda quorumdam est conjectura, quæ illud assignat iter, quod Apostolus, intra triennium Ephesi transactum (Act. Ap. XX, 31), Epheso per Macedoniam Corinthum suscepit. Et re quidem vera, ex 1 Cor. XVI, 7, 2 Cor. II, 1 ; XII, 14, et XIII, 1, docemur istud iter (de quo nihil dicit s. Lucas in Act.) institutum fuisse.

Sed huic opinioni opponi potest, Paulum, cum postea Ephesinos sacerdotes valere juberet, falsorum doctorum ortum tamquam eventum futurum prædixisse (Act. Ap. XX. 29 sqq.), cum tamen 1 Tim I, 3 isti tamquam jam orti describantur. Præterea, in iis

quæ dicuntur in hac ep. 1 ad Tim., adeo evolutæ apparent constitutio et disciplina Ecclesiæ apud Ephesios, ut, quum in aliis epistolis Paulinis (2 Tim. et Tit. exceptis) vix habeatur aliquod hujus rei vestigium, epistola 1 ad Tim. post eas omnes conscripta videatur.

Tertia demum et verisimilior conjectura, quam amplexi sunt Theophyl., Calmet, Bisp., Beel., Reischl etc., quamque nos etiam secuti sumus in intr. ad Act. Ap., tenet, epistolam nonnisi post liberationem Pauli e vinculis Romanis, adeoque inter priorem ejus et posteriorem carcerem Romanum, anno circiter 65, fuisse exaratam.

In hujus patrocinium sententiæ, præter alia indicia, etiam hæc adduci potest consideratio : errores, qui in 1ª ad Timotheum confutantur, ab iis, de quibus in epistola ad Romanos et ad Galatas agitur, multopere discrepare; sed cum iis, qui in epistola ad Colossenses arguuntur, quamdam similitudinem præ se ferre; imo vero falsæ doctrinæ, quæ in epistola ad Colossenses satis generaliter sunt indicatæ, jam distinctius explicantur in 1 ad Tim.: ex quo conjicere licet hanc epistolam posteriorem esse; adeoque post soluta vincula illa Romana, quæ dum ad Colossenses scriberet adhuc patiebatur, compositam.

Objiciuntur autem quæ 1 Tim. IV, 12 de contemptu Timothei ob *juventutem* dicuntur. Sed notandum est, juventutem illam intelligi ratione muneris gravissimi episcopalis, ad quod vocari potuissent multi ex Ephesiis viri graviores et ætate provectiores.

Objicitur etiam s. Paulum presbyteris Ephesinis dixisse (Act. XX, 25), fore ut faciem ejus non amplius viderent; atqui, si ponamus hanc epistolam post prima vincula Romana scriptam fuisse, Apostolus Ephesum rediit (1 Tim. I 3), et prædictio ejus eventu confirmata non fuit. — Respondetur, a s. Paulo (Act. XX, 25) non factam esse prophetiam proprie dictam, sed firmam ejus persuasionem indicatam fuisse, atque in ea errorem admitti posse : cf. Comm. nostr. Act. Apost. (4ª ed.).

Locum vero, unde scripserit Paulus, alii dicunt Macedoniam (propter 1 Tim. I, 3), alii Laodiceam in Phrygia, sicut habet subscriptio codd. A (A**?) KL.

TABULA SYNOPTICA

PRIMÆ AD TIMOTHEUM.

Inscriptio et salutatio: I, 1, 2.

Cap. I.	Impugnandi sunt Pseudo-doctores Judaizantes : 3-11. S. Paulus auctoritatem suam obiter confirmat : 12-17. Munere suo rite fungatur Timotheus : 18-20.
Cap. II.	Orandum pro omnibus (1, 2), quia Deus vult omnes salvare : 3-6. Hanc doctrinam confirmat Paulus sua divina auctoritate, v. 7. Viri quomodo precibus interesse debeant, v. 8. Mulieres autem in cœtu sacro sint modeste ornatæ (9, 10), et taceant : 11-15.
Cap. III.	Dotes in episcopis requisitæ : 1-7. Item in diaconis et diaconissis : 8-13. Quanti momenti sit regere Ecclesiam Dei : 15, 16.
Cap. IV.	Pseudo-doctrinæ 1-3a, quarum una refutatur : 3b-5. Devita errores et exerce pietatem, quæ tam utilis est : 6-10. Da bonum exemplum, prædica, utere gratiis a Deo acceptis, ut te aliosque salves : 11-15.
Cap. V. Agendi ratio erga	1° personas variæ ætatis : 1, 2. 2° viduas : 3-16. — Quænam sustentandæ sint : 3-8, 16. Quænam eligendæ in Diaconissas : 9-15. 3° presbyteros : 17-21. — Boni large et liberaliter sunt tractandi : 17-18 ; Criminosi quomodo arguendi : 19-21. 4° eos quibus Ordo sacer conferendus sit (obiter duo monita : caste vivas, noli unice bibere aquam) : 22-25.
Cap. VI.	Servi christiani quomodo se gerere debeant erga dominos suos : 1, 2. Contra pseudo-doctores : 3-5. Contra lucri studium seu avaritiam : 6-10. Divites monentur : 17-19. Adhortatio generalis ad Tim., nixa spe gloriæ : 11-16. Monitum ultimum, ut depositum bene custodiat, 20, 21.

Finalis gratiæ apprecatio, 21.

Impugnandi sunt pseudo-doctores Judaizantes.

CAPUT I.

1 * Paulus Apostolus Jesu
Christi secundum imperium Dei
Salvatoris nostri, et Christi Jesu
2 spei nostræ: * Timotheo dilecto
filio in fide. Gratia, misericordia,
et pax a Deo Patre, et Christo
Jesu Domino nostro.
3 * Sicut rogavi te ut remaneres

[1] Ego Paulus, factus Jesu Christi Apostolus, non per humanam delegationem, sed per divinam voluntatem, utpote a Deo Patre (qui per Filium mundum salvavit), et a Christo Jesu (qui, quum sit Dei Filius, spes nostra est et salutis auctor), immediate vocatus ad apostolatum: [2] scribo has literas Timotheo discipulo meo genuino, quem ad fidem christianam converti, et in Christo spiritualiter genui. Gratiam, misericordiam, et omne bonum salutare tribuat tibi Deus Pater, et Christus Jesus Dominus noster. [3] Quemadmodum, proficiscens in Ma-

1. *Inscriptio et salutatio*, v. 1 et 2. — Apostolus etc. Dignitatem suam in epistolis Pastoralibus affirmat, ut pseudo-apostolos reprimat, et majorem sibi conciliet auctoritatem, non sane apud Timotheum vel Titum, sed apud fideles quibus ipsi præerant, et quibus utiliter prælegenda erat epistola.

Secundum imperium etc. Sensus paraphraseos ex locis parallelis colligitur, ut 2 Tim. I, 1; Gal. I, 1; Rom. I, 1.

Dei salvatoris. Deus Pater vocatur *salvator* (quæ denominatio in aliis epistolis Paulinis præter Pastorales non occurrit), quia Christum ad salutem nostram misit.

Spes nostra. Metonymice, *auctor spei nostræ*, in quo spes nostra fundatur, Col. I, 27. Dictum est contra Judaizantes, qui in lege Moysis spem salutis collocabant.

2. Dilecto: vera lectio est γνησιῳ, *genuino*. Filio in fide, quem ad fidem converti et spiritualiter genui, cf. 1 Cor. IV, 14. Quidam interpretes opinantur Timotheum non fuisse a Paulo conversum (nam quando primum legitur ad Paulum accessisse jam erat christianus, cf. Act. Ap. XVI, 1), sed plenius edoctum, atque hoc sensu minus proprio eum nominari *filium in fide*. Dicitur autem filius *genuinus*, forte ex antithesi ad pseudo-doctores, quia fidem sinceram et illibatam custodierat.

3. *Monet Timotheum ut pseudo-doctoribus se opponat*, v. 3 et 4. Sicut

Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam ne aliter docerent,
4 * neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

cedoniam, te hortatus sum ut Ephesi permaneres, et quorumdam falsam argueres doctrinam: ita nunc etiam ad id ipsum te adhortor.[4] Istis igitur pseudodoctoribus prohibe ne figmentis, seu inanibus speculationibus, occupentur; quales sunt series illæ infinitæ generationum vel emanationum quas *Æones* vocant; hujusmodi enim doctrina nihil aliud quam disceptationes efficit, et universam Dei in re salutis œconomiam, secundum quam per fidem oportet salvari, evertit.

ROGAVI TE etc. Quum nihil sequatur quod respondeat adverbio *sicut*, elliptica est oratio, quam in paraphrasi supplevimus. — QUIBUSDAM: eos non nominat præ contemptu, sed satis designat in sequentibus. ALITER DOCERE, aliter quam oportebat, vel aliter quam s. Paulus docuerat; ea intelligit quæ a vera Christi doctrina abhorrent: verbo *heterodoxa*.

4. FABULIS ET GENEALOGIIS. Quænam sunt istæ fabulæ et genealogiæ? Valde dissentiunt interpretes: alii explicant de vano Judæorum studio stemmata familiarum suarum conficiendi; sed id peragere dici potest *inani gloriæ studere*, non *aliter docere*. Quamobrem aliqui explicant de fabulis quas Rabbini excogitabant, quarum haud paucæ reperiuntur in Thalmude. Nos autem intelligimus fabulosas angelorum seu *Æonum* genealogias, quales in secta Simonianorum eo tempore jam proponebantur, sed quales postea præsertim Gnostici somniarunt. Pseudo-doctores isti Deum immediate in mundum agere negabant, adeoque contendebant, hominem creatum atque regeneratum fuisse per spiritus quosdam e sinu Divinitatis emanatos, quorum innumeram ponebant seriem, atque in illa serie posteriores prioribus semper imperfectiores habebant: igitur, non admittebant Christum Dei Filium esse mundi redemptorem, ejus legem haud agnoscebant, atque proinde legem Moysis adhuc stare asserebant, cf. Col. II, 18.

MAGIS QUAM, sign. *et non*, adeoque membrum sequens prorsus negat. Comparatio improprie adhibetur, ut alterum affirmetur et negetur alterum. Vicissim alibi affirmatur unum alterumque negatur, ut simpliciter exprimatur comparatio inter utrumque, v. g. *vermis sum et non homo*.

ÆDIFICATIONEM DEI, refert lectionem οικοδομιαν quam habent cod. D* et ***, verss. syr., goth., Iren. apud Epiph., et ss. Patr. lat.; verum longe probabilior est lectio οικονομιαν, cui codd. ABFGKL etc. adstipulantur. Sensus vix differt.

5 * Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.
6 * A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium,
7 * volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

8 * Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur:

[5] Finis autem, quem in arguendo et adhortando constanter persequi debes, charitas est vera et interior, talis quæ ex corde puro, bona intentione, et sincera fide oritur. [6] Hac vero charitate destituti, pseudo-doctores vestri ad vanas falsasque deflexerunt doctrinas; [7] adeo quidem ut, quando se optimos legis Mosaicæ magistros jactant, neque suas intelligant theorias, neque quid dictis suis probare velint, ipsi sciant.

[8] In suis autem doctrinis legem Mosaicam extollunt; nos quoque ultro concedimus eam esse per se bonam, sed modo legitime, i. e. secundum verum sensum, explicetur et intimetur, quatenus ad

5. *Dixit quos et qua de re monere debeat; addit nunc quem finem in monendo et adhortando persequi teneatur.* Præcepti, της παραγγελιας, *denuntiationis* illius (v. 3) contra pseudo-doctores faciendæ. Estius quidem παραγγελιαν legem Mosaicam, de qua v. 7, intelligit, hoc sensu: Lex per charitatem impletur; et allegat Rom. XIII, 10; verum, vox illa de lege Moysis nusquam adhibetur; præterea, eodem sensu hic ac v. 3 et 18 sumenda est. Finis illius præcepti, imo omnium præceptorum, est charitas. " Virtutes omnes, ait s. " Th., respiciunt theologicas sicut finem. Inter theologicas vero illa plus " habet de ratione finis, quæ propinquius se habet ad ultimum finem. " Fides autem ostendit eum, spes facit tendere in eum, charitas unit. "

6. *Hunc finem, quem in docendo coram oculis habere oportet, non tenent pseudo-doctores,* v. 6; *adeoque legem Mosaicam non perfecte intelligunt,* v. 7. — A quibus, refertur ad tria præcedentia *cor purum, conscientia bona* et *fides non ficta;* his sunt destituti, igitur etiam carent charitate, quæ ex eis profluit. — Vaniloquium, idem quod v. 4, *fabulæ et genealogiæ interminatæ,* et VI, 20 *scientia falsi nominis.*

8. *Lex enim Mosaica, si rite intelligatur, ad morum sanctitatem ducit,* v. 8-10; *proinde Evangelio non repugnat,* v. 11. — Scimus autem quia bona est Lex, i. e. utique bona est, concedo plane et profiteor eam in se bonam esse, cf. Rom. VII, 12, 14, 16. Polemice agit contra adversarios suos Judaizantes, qui eum legis Mosaicæ contemptorem habebant. Si quis ea legitime (νομιμως) utatur, modo quis verum ejus finem

9 * sciens hoc quia lex justo non
est posita, sed injustis, et non
subditis, impiis, et peccatori-
bus, sceleratis, et contaminatis,
parricidis, et matricidis, homi-
10 cidis, * fornicariis, masculorum
concubitoribus, plagiariis, men-
dacibus, et perjuris, et si quid
aliud sanæ doctrinæ adversatur,
11 * quæ est secundum Evange-

morum sanctitatem conducit. 9 Absit igitur ut Legis pœnas urgeamus contra homines justos ac pios, quales sunt christiani fideles; Lex enim lata solummodo est adversus improbos et peccatores, nefarios et profanos, parricidas, matricidas, homicidas, 10 fornicarios, eosque qui cum masculis nefandam exercent libidinem, et qui homines liberos furantur ut eos vendant tamquam servos, adversus mendaces et perjuros, aut reos cujuspiam alius peccati gravis quod veræ sanctæque doctrinæ repugnat. 11 Hæc autem doc-

consideret, modo severitatem ejus non nimis augeat, neque ejus obligationem urgeat contra eos qui jam sunt liberati ab ea, ex. gr. contra christianos probos, qui omnes Legis præscriptiones quæ sunt juris naturalis adimplent, sed qui positivis mandatis, per Christum abrogatis, non adstringuntur.

9. Lex justo non est posita. Sensus sane non est, leges a viris justis, qui in statu gratiæ sint, observandas non esse; hoc tantum sibi vult s. Paulus: legem Mosaicam (a pari legem positivam quamvis) non fuisse conditam propter viros justos, qui sancte vivunt, siquidem ii ante legem et sine lege faciunt quod lex præscribit: “ Non opus habet terrente litera quem delectat ipsa justitia (s. Aug., Contra Faust. 15, 8) ”; sed propter homines pravos, quos oportet terrore legum constringere et a malitia cohibere. Igitur, quod inde concludendum relinquit Apostolus, non est quod Judaizantes præscriptiones Mosaicas adversus nos christianos urgeant; nam eas omnes observamus, per vitam sanctam et immaculatam. Patet sermonem tantum fieri de lege Moysis qua moralis est et præcepta juris naturalis comprehendit, et aliunde certum poni abrogata esse præcepta positiva, de cibis, diebus festis, etc.

10. *Plagiarii* (a *plagæ, filet, piége,* quasi venatores hominum) vocantur ii qui vel homines liberos, vel servos aliorum, furantur, eosque in remota regione ut servos suos vendunt : quod quidem abominabile scelus lege Mosaica graviter puniebatur, cf. Exod. XXI, 16; Deut. XXIV, 7.

Perjuris. *Perjuri* post *mendaces* merito recensentur : a mendaciis enim ad perjuria progressus facilis.

11. Verba *quæ est* non pertinent ad textum originalem, in quo legimus κατα το Ευαγγελιον; cum Estio tamen et Theophyl. ea supplemus et Vulgatæ adhæremus, adeo ut v. 11 determinet quid per *sanam doc-*

lium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

12 * Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio :

13 * qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in

trina continetur in Evangelio, cujus prædicatio mihi divinitus concredita est, et in quo gloria beati Dei resplendet.

[12] Quod autem munus adeo præclarum mihi fuerit commissum, id Christo Jesu D. N. unice adscribo; eique gratias ago, propterea quod vires mihi largitus est quibus illo fungar officio, atque satis fidum me habuit cui tale ministerium conferret; [13] quamvis olim in Christum ejusque discipulos fuerim maledicus, persecutor et contumeliosus. Verum, peccatorum veniam consecutus sum, quia non ex sola malitia ita agebam, sed potius ex ignorantia quadam, et ex zelo præpostero pro

trinam intelligendum sit. Fateor linguæ accuritatem postulare articulum τῃ κατα το Ευαγ.; et ob ejus absentiam præferrem interpretationem eorum, qui referunt *secundum Evangelium* ad universam assertionem v. 8 et 9 (legem bonam esse, sed justis non esse positam, affirmo secundum Evang.), nisi sensus inde oriretur parum obvius parumque naturalis.

Beati Dei. Deum dicit *beatum*, ut hanc sententiam : Deum glorificari per Evangelium, corrigat aliquantulum seu restringat, utque insinuet gloriam hanc esse tantum adventiciam, quoniam Deus in se ipse est summe beatus et summe gloriosus.

12. Dignitatem suam obiter confirmat v. 12, tum ut suam auctoritatem a Judaizantibus impugnatam (qui forsitan ei exprobrabant pristinas adversus christianos persecutiones) stabiliat, tum ut ostendat suam conversionem et vocationem Christo adscribendam esse; adeoque Christum salutis omniumque gratiarum mediatorem dici debere, non vero angelos, ut falso contendebant pseudo-doctores, v. 13-16.

13. Ignorans feci : fecit enim ex zelo nimio pro lege Mosaica : [Rom. X, 2;] Gal. I, 14. Hæc quidem ignorantia non erat plane invincibilis, neque omnem facti malitiam auferebat, quamobrem v. 15 se magnum dicit peccatorem; verumtamen, levius fuit crimen, quam si ex sola malitia, cum prava mentis intentione, christianos persecutus fuisset. Si voluntas ejus fuisset penitus perversa atque obdurata, adeo ut peccatum ejus iis accensendum fuisset de quibus loquitur Christus, Matth. XII, 31 (peccatis contra Spiritum sanctum, quæ *non remittuntur, neque in hoc seculo, neque in altero*),

14 incredulitate. * Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu.

15 * Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum

religione Judaica, quum nondum essem christianus; [14] et quia gratia Domini nostri, quæ fidem et charitatem christianam operata est in me, abundanter et supra modum data est mihi.

[15] Per Christi gratiam, inquam, deleta sunt peccata mea: hæc enim est doctrina certissima, et quam amplectamur dignissima, Jesum Christum in hunc mundum venisse ut peccatores salvaret, inter quos maximum me fuisse

veniam sane non obtinuisset, quia gratiæ divinæ cooperari noluisset: hominis autem cooperatio semper requiritur; nam Deus, qui nos creavit sine nobis, non sine nobis salvabit. Igitur, *causam* non adfert justificationis *meritoriam*, vel de condigno, vel de congruo; sed solummodo conditionem sine-qua-non, sive occasionem per modum removentis impedimentum.

14. Superabundavit autem etc. Hæc est, ait *Mack* (*Comm. üb. die Pastoralbr.* Tübing. 1841), altera ratio, et præcipua sane, ob quam Apostolus misericordiam consecutus sit. Secundum hanc sententiam, verba *superabundavit autem* etc. pendent a conj. ὅτι, *quia*, v. præc.

15. Fidelis sermo etc. Verba sunt asseverantis, quibus vim auget suæ propositionis, similia his Christi: *Amen, amen, dico vobis.* Dictio autem *fidelis sermo* etc., nonnisi in epistolis Pastoralibus occurrit (III, 1; IV, 9; 2 Tim. II, 11; Tit. III, 8).

Christus venit etc. Matth. IX, 13: *Non veni vocare justos sed peccatores.* Luc. XIX, 10: *Venit filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.* S. Aug. (Serm. 224): " Si, ait, homo non periisset, Filius hominis non venisset. " Ergo, aiunt plures theologi, Verbum Dei incarnatum non fuisset, si Adam non peccasset: cf. s. Thom. p. 3, q. 1, a. 3. Hoc plenius demonstrat Vuitasse, *De Incarn.*, q. 2.

Quorum (peccatorum) primus ego sum. Se maximum dicit peccatorem, non quod revera nullus fuisset vel esset ipso major; sed hyperbolice loquitur ex humilitate, hoc sensu quod unus sit ex præcipuis, vel quod se peccatorem valde magnum existimet, absque comparatione cum aliis, de quibus judicare ad ipsum non spectat (Estius). Simili modo 1 Cor. XV, 9 se Apostolorum *minimum* affirmat. Neque oportet in his *peccatorum primus sum ego,* ullam reperire repugnantiam cum iis v. 13 *ignorans feci in incredulitate;* etenim ignorantia illa, ut supra notavimus, non impedivit quominus

16 primus ego sum: * sed ideo
misericordiam consecutus sum:
ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam
17 æternam. * Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli

existimo. [16] Sed nunc jam non sum peccator: et ideo misericordiam consecutus sum ut in me, tamquam in gravissimo peccatore, ostenderet Jesus Christus vim omnem suæ bonitatis, utque exemplar essem eorum qui fidem christianam, qua vitam obtineant æternam, suscepturi sunt. [17] Tanta autem Dei bonitate commotus, grato animo exclamo: Ei, qui, quum sit immortalis, per omnia tempora regnat, cujus natura prorsus spiritualis adeoque oculis carneis invisibilis est,

peccator vere insignis fuerit; et ex profundissima provenit humilitate, quod, absque comparatione cum aliis quibusvis, culpæ suæ magnitudinem palam confiteatur.

16. Supra, v. 13 et 14, rationem misericordiæ a Deo sibi impensæ reddidit ex parte *causæ effectricis* (sc. gratiæ Dei), et *causæ cooperatricis* (quoniam voluntas ejus plane perversa, adeoque in malo obdurata non fuit: *ignorans feci in incredulitate*): nunc eam assignat ex parte *causæ finalis:* id fecit Deus, ut suam manifestaret bonitatem, aliosque peccatores per exemplum Pauli ad pœnitentiam adduceret.

In me primo, i. e. præcipuo, maximo peccatore, ut v. 15 (Estius, Bisp., Beel. etc.). Altera tamen explicatio (primo, aliorum exemplari) commendatur per verba *ad informationem* etc.

Ad informationem, ὑποτυπωσιν, ad exprimendum exemplar iis qui credituri sunt: "Ut dicant sibi omnes: si Paulus sanatus est, ego quare despero? (s. Aug., Serm. 175, 9)." Sic medicus, ait Theod., cum in una domo multi ægrotant et de salute desperant, si unum pessime affectum sanaverit, facit ut alii omnes fiduciam concipiant.

17. *Ex consideratione tanti beneficii in laudem Dei erumpit*, v. 17. Similis habetur doxologia Rom. XI, 36, et Eph. III, 20.

Immortali, αφθαρτῳ, proprie *incorruptibili*, qui est sensus connexus. Infra VI, 16 idem dicitur: *qui* (Deus) *solus habet immortalitatem.*

Invisibili, ut VI, 16 *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest;* puta, oculis corporeis, quippe qui pure spiritualis sit; imo etiam, ne mentis quidem acie eum perfecte perspicere aut comprehendere potest homo viator; etenim nonnisi in gloria cœlesti eum intuebitur facie ad faciem et per essentiam videbit (cf. Matth. V, 8 *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*); attamen etiam tunc eum adæquate intelligere non poterit

Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

18 * Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut

quique solus est Deus verus, sit honor et gloria per omnium seculorum seriem! Fiat!

[18] Monitum illud (v. 3) de oppugnandis pseudo-doctoribus tibi summopere commendo, Timothee, fili mi in Christo, eo fine ut, tamquam bonus Evangelii miles, optime fungaris munere tuo,

sed tantummodo secundum vim naturæ creatæ: Deus enim, utpote infinitus, ab ente finito absolute et adæquate comprehendi nequit.

Soli Deo. Textus *Receptus* legit *μονῳ σοφῳ, soli sapienti Deo*, cum codd. D** et ** KL etc. Sed omnino tenenda est lectio Vulgatæ, propter majorem testium numerum. Istud *σοφῳ, sapienti* ex Rom. XVI, 27, per glossema huc irrepsisse videtur. Soli Deo, quidam explicant : honor et gloria soli Deo eminenter et absolute debetur, non angelis aut creaturis quibusvis; verum, longe probabilior est sensus quem in paraphrasi dedimus : *ei qui solus est Deus.*

18. *Monet Timotheum ut munere suo bene fungatur*, v. 18, *et sancte vivat : ne fidem perdat*, v. 19, *sicut quidam quos Paulus excommunicavit*, v. 20.

Hoc præceptum, *παραγγελια*. Cum s. Thoma, Estio, Bisp. intelligimus præceptum seu monitum quod dedit v. 3 (*rogavi te ut remaneres Ephesi...., ut denuntiares, παραγγειλῃς, quibusdam ne aliter docerent*); adeo ut hic recolligat orationem v. 4 abruptam, et causam tradat ob quam Timotheo adhuc juveni tantum commiserit munus : nimirum, quia per divinam aliquam revelationem seu *prophetiam* ad id designatus fuerat. Quum autem nimis durum videatur ut pronomen demonstrativum *hoc* (*ταυτην*) ad versiculum 3^{m} adeo remotum referatur, alii per *præceptum hoc* putant significari quod statim sequitur : *ut milites in illis bonam militiam.* Ita Beel.; sed obstat *ινα ut*, quod indicat finem ob quem illud commendatur.

Secundum præcedentes in te (*επι σε, de te*) prophetias. In ecclesia primitiva, ut notat s. Chrys., electiones episcoporum sæpe fiebant per revelationem Spiritus sancti. Cum enim Apostoli exiguo tantum temporis spatio in singulis locis morarentur, humanis adjumentis recte scire non poterant quinam magis idonei essent ad munus episcopale : ideo vel spirituum discretionem, vel specialem revelationem de personis illis accipiebant. Tali ratione ad opus prædicationis missi leguntur Barnabas et Saulus, Act. Ap. XIII, 2; et infr. IV, 14 : *Noli*, inquit Apostolus, *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.*

milites in illis bonam militiam,
19 * habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragave-
20 runt : * ex quibus est Hymenæus et Alexander : quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

atque ita opere confirmes prædictiones quæ olim de te factæ sunt. [19] Igitur serva fidem, et conscientia tua sit pura ab omni peccati macula. Quidam enim per hoc quod male viverent, et conscientiam inquinarent, etiam a fide descive-
runt : [20] ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos per solemnem excommunicationem Satanæ tradidi, ut salubri castigatione corrigantur, neque amplius contra Christum ejusque doctrinam loquantur.

Ut milites in illis. *In illis* (prophetiis) redundat : ut, secundum prophetias de te editas, milites bonam militiam. Milites... militiam. Libenter hac utitur metaphora ad significandam vitam laboriosam hominis christiani (Eph. VI, 10 sqq.; 2 Cor. X, 3; 1 Thess. V, 8; Phil. I, 30; Hebr. XII, 1; 1 Cor. IX, 25), adeoque et episcopi, qui majus adhuc certamen habet : infra VI, 12; 2 Tim. II, 3 : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu* etc.

19. Quam (conscientiam bonam) quidam repellentes etc. Omnium constat seculorum experientia per pravos mores fidem amitti, quum malæ cordis cupiditates ac animi motus effreni mentem obcæcare soleant. Nam qui male agere volunt, omni ratione quærunt sibi persuadere vera non esse quæ de præmiis ac pœnis æternis dicantur. " Ne enim, ait s. Chrys., " futurorum metu crucientur, menti suæ suadere student nostra omnia " esse falsa. "

Naufragaverunt : pulchra metaphora ; quamdiu manet quis in navi, i. e. in fide et in Ecclesia, quæ est fidei magistra, spem habet salutis.

20. Hymenæus, idem ac 2 Tim. II, 17, qui resurrectionem jam factam esse docebat, sc. modo spirituali, adeoque futuram carnis resurrectionem negabat. Alexander, an idem sit cujus fit mentio 2 Tim. IV, 14, et Act. Ap. XIX, 33, non liquet.

Quos tradidi Satanæ, quos excommunicavi, e cœtu christianorum exclusi : quæ pœna spiritualis, istis primævæ Ecclesiæ temporibus, pœnas corporales, a dæmonis possessione oriundas, annexas habere solebat : cf. annot. nostr. in 1 Cor. V, 5.

Ut discant, *ἱνα παιδευθωσιν, ut more puerorum* (*παις*) *educentur*, ad rectam disciplinam informentur, castigentur et corrigantur. Cf. 1 Cor. V, 5 *tradere Satanæ in interitum carnis ut spiritus salvus sit.*

De precibus publicis et habitu mulierum in cœtu sacro.

CAPUT II.

1 * Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:
2 * pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate.
3 * Hoc enim bonum est, et ac-

[1] Itaque, ut debite fungaris munere tuo, adhortor te ante omnia ut cures fieri publicas et omnigenas preces, intercessiones et supplicationes, æque ac gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, etiam ethnicis et inimicis, [2] pro regibus, et omnibus magistratibus civilibus, ut per eorum incolumitatem vitam quietam ac tranquillam agamus, qua ad pietatem morumque honestatem uti oportet.
[3] Etenim, pro omnibus hominibus

1. *Orandum pro omnibus hominibus,* v. 1; *in specie pro superioribus civilibus,* v. 2. OBSECRO, παρακαλω, *adhortor,* refero ad v. 18: *ut milites bonam militiam.* PRIMUM OMNIUM, junge cum *obsecro,* non, ut Estius, cum *fieri,* quasi sensus esset : moneo et hortor ut præcipuum studium et cura sit de precibus Deo rite offerendis. " Apostolus aperte ostendit quod inter omnia " necessaria ad vitam christianam præcipua est oratio (s. Th.). "

OBSECRATIONES, ORATIONES, POSTULATIONES : difficile plane est, teste s. Aug. (ep. 149, 15), horum trium statuere differentiam, nisi quod *postulationes,* εντευξεις, possint intelligi supplicationes *pro aliis.* Haud dubium quin omnes et singulæ precum publicarum species indicentur.

2. PRO REGIBUS ET OMNIBUS etc., cf. Rom. XIII, 1 : cui quidem præscriptioni consentaneum est quod refert Tert. (Apol. 30) : " Etenim pro salute Imperatorum Deum invocamus. " — UT QUIETAM etc. Non est orationis materies, quasi sic orarent : Concede nobis, o Deus, ut reges tranquille nos gubernent; sed exprimitur finis ob quem pro regibus et magistratibus orare debeant (Bisp. et Beel.).

IN OMNI PIETATE ET CASTITATE (σεμνοτητι, potius *honestate*) : finis, ob quem Reipublicæ pacem et proinde tranquillitatem vitæ nostræ privatæ optamus, non est ut nobis indulgeamus, et commoda vitæ persequamur ; sed ut nullo belli vel seditionis tumultu impediti, officia nostra tum religiosa (*pietate*) quum moralia (*honestate*) majore cum facilitate perficiamus.

3. *Duplex ratio quare pro omnibus orandum sit :* 1° *quia illud in se bonum est, et* 2° *quia Deo acceptum : quod autem Deo sit acceptum, patet, tum ex eo*

ceptum coram Salvatore nostro
4 Deo, * qui omnes homines vult
salvos fieri, et ad agnitionem

orare bonum est et Deo nostro, hominum salvatori, gratum; [4] quippe qui velit ut omnes homines salutem æternam consequantur, adeoque omnes ad fidem christianam et agnitionem ve-

quod velit Deus ut omnes salvi fiant, v. 3, 4, *tum ex eo quod Christus pro omnibus mortuus sit*, v. 5 et 6.

4. In hoc versiculo est ordo inversus: nam per veritatis agnitionem salus obtinetur; sed præponitur finis, tamquam res principalior. Verba Apostoli luculentissima sunt et nonnisi ex præjudicatis opinionibus in sensum obscurum et pravum contorqueri possunt. Sic Estius, in hac materia caute legendus, septem proponit explicationes diversas, quarum quinque ad minus vim verborum et loci contextum plane negligunt. Accipe quasdam, ut hoc exemplo discas quomodo s. Scripturam interpretantur, qui non sensum auctoris sacri quærunt, sed suum sensum violenter obtrudunt.

Deus vult omnes homines salvos fieri: hoc est, ait iste, 1° vult salvos fieri omnes quicumque salvantur; 2° vult homines quosdam ex omni genere salvari; 3° vult *multos* salvari; 4° Christus vult omnes salvari, humana voluntate, seu velleitate et pietate; 5° Deus vult et facit pios homines velle seu desiderare omnium salutem: atque hæc est explicatio quam Estius maxime amplectitur et approbat. Mira aberrantia! Ergone Deus dici potest velle id omne quod homines pii velint ac desiderent? Certe volunt isti multa acquirere merita : an Scriptura diceret Deum velle multa acquirere merita?

Sed redeamus ad v. 4, eumque in sensu obvio et naturali consideremus. Sive verborum vim, sive finem scribentis, atque orationis contextum attendamus, patet, dictionem *omnes homines* absque restrictione de universitate humani generis, non de multitudine quadam, aut de certa hominum specie, intelligendam esse. Etenim Apostolus vult ostendere, pro omnibus orandum esse; atqui neminem, fatente ipso Estio, ab orationibus nostris excludere licet; ergo nemo a Dei voluntate salvandi homines excluditur. Deinde, v. 5 et 6, duo adducit argumenta quibus confirmat id quod modo dixerat *Deus vult omnes homines salvos fieri :* nimirum, unus et idem est omnium Deus; unus et idem mediator inter Deum et homines : atqui nullus sane est qui eumdem ac ceteri Deum et mediatorem non habeat; ergo nemo invenitur quem Deus salvum fieri non velit. Igitur, secundum scribentis mentem, ad omnes et singulos homines se

5 veritatis venire. * Unus enim Deus, unus et mediator Dei et

ritatis perveniant. [5] Unus enim est Deus atque idem pro omnibus, æqualiter bonus erga omnes; unus etiam atque idem pro omnibus est mediator

extendit illa Dei voluntas. Nunc autem, voluntatem Dei salvandi omnes, esse voluntatem veram, sinceram, internam, seriam, efficacem (hoc sensu quod salutis adjumenta tradat iis qui cooperari velint), concluditur vel ex hoc solo, quod debeamus pro omnium salute serio et sincere orare, atque id peragere quia *Deo* est gratum et *acceptum*, i. e. consentaneum divinæ voluntati, quæ proinde etiam vera et sincera dicenda sit. Juvat tandem nostram explicationem ex loco s. Petri 2 ep. III, 9 confirmare, in quo negative exprimitur eadem Pauli assertio : *nolens* (Deus) *aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Vix monere oportet voluntatem Dei salvandi omnes esse *antecedentem* et *hypotheticam*, adeoque ejus effectum pendere a libero hominis arbitrio, seu a libera ejus cooperatione.

Ex dictis sequitur, locum hunc maximi esse momenti in theologia dogmatica. Huic enim adversantur : 1° horrenda Calvini hæresis : quosdam ex hominibus positivo voluntatis divinæ decreto ad æternam damnationem ante prævisa demerita fuisse prædestinatos ; 2° propositio Jansenistarum hæretica, qua contendunt Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse; unde consequeretur Deum voluntate beneplaciti seria et antecedente nonisi prædestinatorum velle salutem (cf. 5ᵐ prop. Jansenii damnatam).

Ex hoc autem loco non solum confutantur isti errores, sed etiam eruitur doctrina, quam cum P. Perrone (Tract. de Deo, N° 474) veram, piam, catholicam et fidei proximam dicimus : Deum, supposito etiam peccato originali (nam id evidenter supponit Apostolus), velle vere et sincere, voluntate *beneplaciti*, seu proprie dicta, quæ sola est vera voluntas, omnes et singulos, saltem adultos (de adultis omnibus directe loquitur s. Paulus, sed non excludit infantes), salvos fieri; in quantum sc. voluntatem divinam consideremus *antecedentem*, i. e. eam quam Deus habet ex se ipso, cujus ipse causa est, non exspectata causa vel occasione ex parte creaturæ. Præterea, ex illa doctrina sequitur et hæc alia de gratiæ distributione : omnibus hominibus concedi a Deo gratias sufficientes, quibus si debito modo obsequi vellent, ad cognitionem veritatis et ad salutem æternam pervenire possent; quamobrem certum est adultorum neminem absque culpa personali damnatum iri.

5. Unus mediator, stricte dictus, talis qui hominem, a Deo per pecca-

hominum homo Christus Jesus:	inter Deum et homines, Christus Jesus homo-Deus; [6] qui æqualiter pro omnibus tradidit semetipsum in mortem, ut soluto mortis pretio satisfaceret pro omnibus,
6 *qui dedit redemptionem semet-	atque adeo omnes a morte liberaret. Hæc autem omnium redemptio a Christo peracta magnum illud est mysterium, quod
ipsum pro omnibus, testimonium	in misericordiæ testimonium statuto et

tum originale divisum et alienatum, iterum cum Deo conjungere atque reconciliare possit. Mediator ille est homo-Deus, seu Deus simul et homo; *Deus*, ut pretium infiniti valoris solvere possit, adeoque infinitam peccati malitiam expiare secundum jus summum divinæ justitiæ (loquimur in supposito, atque hæc videtur mens Apostoli, quod Deus debitum peccati infinitum stricte urgere voluerit; hoc autem fecit; et, ut ostendunt ss. Patres, congruenter fecit); *homo* quoque esse debuit, secus mereri, et pati, et mori haud potuisset. Atque ita Christus, qui duos terminos (Deum et hominem) in se conjunxit, qui hominem cum Deo reconciliavit, utramque naturam divinam et humanam necessario habuit. Inde patet, de B. Maria Virgine, de Angelis, et Sanctis, sensu improprio et participativo dici eos esse *mediatores* nostros: quatenus intercedunt pro nobis apud Deum cum Christo, quatenus participant merita Christi eaque nobis applicant etc.

Homo Christus Jesus. *Homo* vocatur cum emphasi, non quod tantum homo sit, nam hoc posito *mediator* non fuisset, sed probabiliter propter sectam Gnosticam Docetarum, qui negabant Christum in carne vera venisse (cf. 1 Joan. IV. 2), seu verum corpus assumpsisse.

6. Declarat qua ratione Christus sit *hominum mediator*, seu quo modo homines cum Deo reconciliaverit eosque in pristinam amicitiam restituerit; id fecit *dando*, tradendo, offerendo *semetipsum* (ex sola et libera sua voluntate) tamquam pretium redemptionis.

Redemptionem: αντιλυτρον, quod majorem vim habet: λυτρον enim (a λυω *solvo*, fl. *losgeld*) significat pretium pro solutione seu liberatione alicujus a servitute, vel e carcere, dandum; αντιλυτρον, tale pretium quo res re æquali vel æquivalenti, præsertim caput capite, aut vita redimitur vita (αντι in compositione, aut contrarietatem, aut commutationem, denotat: prius hic non quadrat, posterius ergo significatur): quod aptissime dicitur atque in tota vi vocis; adeo ut clare et certo designetur mors Christi *vicaria*, ea nempe ad quam nos damnati eramus, sed quam ipsemet passus est *vice nostra*.

7 temporibus suis : * in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor Gentium in fide, et veritate.

8 * Volo ergo viros orare in

præordinato tempore Deus mundo exhibuit; [7] cujus quidem mysterii constitutus sum ego prædicator et apostolus (id affirmo, et certissimum assevero), speciali modo missus ad docendos gentiles, ut fidem amplectantur veramque religionem profiteantur.

[8] Sed redeo ad sanctum precationis

TESTIMONIUM TEMPORIBUS SUIS : in codd. D*FG, quibus concinit vers. Itala, ού το μαρτυριον καιροις ιδιοις εδοθη, *cujus testimonium temporibus propriis datum est:* hæc autem lectio omnino relinqui debet, et videtur esse glossa quædam, seu brevis explicatio, quæ e margine in textum irrepsit. TESTIMONIUM autem est appositio, non ad solam vocem *redemptionem,* sed ad totam sententiam præcedentem: Christum, ut mediatorem omnium, pro omnium salute morti se tradidisse, est quoddam Dei insigne *testimonium,* quod olim jam antiquis prophetis prænuntiatum erat, et suo tempore eventu confirmatum fuit ; aliis verbis, Christi mors vicaria, mundique redemptio, est res illa magna, quam Deus olim jam testatus est se effecturum, et quam nunc statuto tempore perfecit.

7. *Rursum, ut cap.* I, 11, *auctoritatem suam et dignitatem obiter affirmat.* IN QUO POSITUS SUM : εις ὁ, *ad quod* (sc. propagandum, promulgandum). VERITATEM DICO, NON MENTIOR, pleonasmus qui vim auget assertionis. Codd. D***KL addunt εν Χριστῳ, *in Christo,* sed glossema est ex Rom. IX, 1.

DOCTOR GENTIUM, non exclusive, sed peculiariter : cf. Act. Ap. IX, 15; Gal. II, 7. — IN FIDE ET VERITATE, possunt intelligi de Apostolo : doctor fidelis et verax; vel, quod melius videtur, referuntur ad gentes : ut gentes instituam in fide (objective sumpta) et veritate, i. e. in vera Christi doctrina.

8. *Post brevem digressionem, v.* 3-7, *redit nunc* (ουν, *igitur*) *ad materiam de oratione, et dicit quomodo viri orare debeant,* v. 8. Proprie agitur de orationibus publicis, quæ in liturgico christianorum cœtu fieri solebant.

VIROS, sono vocis elato et cum emphasi pronuntiari debet, quoniam opponitur voci *mulier,* v. 11. ORARE, ut statim dicebam, de precibus liturgicis intelligitur, atque etiam comprehenditur quivis sermo, sive exhortationis, sive instructionis, sive ædificationis et pietatis, qui in conventu sacro publice fieri consuevit. Etenim, dum viri jubentur *orare,* mulieribus injun-

omni loco, levantes puras manus
9 sine ira, et disceptatione. * Similiter et mulieres in habitu

officium: volo igitur ut viri, in quemcumque locum christiani conveniant, preces publicas instituant, manus sanctas ad cœlum attollentes, sine ira et disceptatione; i. e. quando ad liturgiam accedunt, sint irreprehensibiles in operibus, cogitationibus et verbis. [9] Similiter

gitur (in antithesi v. 11) ut *discant in silentio*, adeoque prohibetur ne doceant.

In omni loco, in quo publicos et liturgicos haberi conventus contingit; potius quam: non in solo templo Jerosolymitano, neque in tali et tali loco quem eligendum putarent Ephesii, sed quocumque vultis convenire. Hunc sensum non amplectimur, propterea quod nusquam legimus hac de re controversiam apud Ephesios exstitisse.

Levantes... manus. Consuetudo manus levandi inter orandum (quod symbolum est valde congruum ei qui ab alto, puta de cœlo, auxilium implorat) jam ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viguit, ut ex ss. Patribus (cf. s. Clem. Rom. 1 ad Cor., 29), necnon ex imaginibus in catacumbis Romanis repertis novimus; quem quidem orandi modum a Moyse Exod. XVII, 11 inter prælium observatum fuisse legimus. — Cf. Ps. CXXXIII, 2: *Extollite manus vestras in Sancta*, i. e. versus Sanctuarium. Ps. CXL, 2: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Juxta s. Cypr. (Exhort. ad mart. 8) hoc gestu crucem Domini signamus.

Puras manus: *ὁσιους, sanctas*. Hoc addit, quia ritus orandi externus Deo non placet absque interiore cordis munditie; quare apud Isaiam I, 15: *Cum extenderitis manus vestras*, inquit Deus, *avertam oculos meos a vobis....: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte malum..., quiescite agere perverse* etc.

Sine ira, secundum illud Matth. V, 23: *si offers munus tuum ad altare..., vade prius reconciliari fratri tuo*. Et merito quidem; nihil enim ita animum turbat, atque a Deo et a sancta precatione avertit, sicut ira, vel odium, vel inimicitia. — Et (sine) disceptatione, *διαλογισμου*; non: sine mentis evagationibus (Ambros.), neque: sine hæsitatione, dubitatione, quasi sensus idem esset ac apud s. Jacob. I, 6 *Postulans in fide, nihil hæsitans* (s. Chrys.); sed, ut censent Estius, Bisp., Beel. etc., sine contentione, sive altercatione; quam significationem suadet vox præcedens *ira*, quamque idem vocabulum διαλογισμος habet Rom. XIV, 1.

9. *Mulieres in oratione publica sint modeste ornatæ, v. 9, 10; et servent*

ornato, cum verecundia, et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa :

volo ut mulieres, cum ad preces publicas congregantur, vestitu decoro, cum pudore et moderate se ornent, non cincinnis, aut auro, aut margaritis, aut

silentium, v. 11 sqq. Ellipticus est sermo ; quidam ita supplent : *similiter* volo *mulieres* orare *in habitu ornato;* sed obstat textus originalis qui loco *ornantes se* (in participio) habet *ornare se* (κοσμειν, in infinitivo). Recta constructio hæc videtur : similiter volo mulieres (quando publicis intersunt precibus) in habitu sancto... se ornare. Etenim ex toto contextu (nimirum ex antithesi inter viros v. 8, et mulieres v. 11) eruitur, non præscribi generalem regulam, quam mulieres in orationibus privatis sequi debeant, sed peculiarem habitum a mulieribus in conventibus liturgicis servandum.

In habitu ornato : καταστολῃ (a καταστελλω, *demitto*), veste demissa, longa, talari, quæ totum corpus obtegit (s. Chrys.), quæque pudori et modestiæ mulierum plane convenit. Ornato, κοσμιῳ, potius *ordinato, modesto, moderato, non luxuriante* (a κοσμος, ordo, concinna dispositio). Cum sobrietate, σωφροσυνῃ, cum modestia, moderate ; non, ut patet ex contextu, cum castitate (s. Chrys.). Σωφροσυνη proprie est ea virtus, qua quis facit quod fieri solet ab hominibus sanæ ac rectæ mentis (σωφρων, a σως, *sanus*, et φρην *mens*) ; igitur, mentis sanitas, prudentia, sobrietas etc. : hic autem ea intelligitur mentis sanitas, quæ in exteriore corporis habitu, atque vestium decore, elucet.

Non in tortis crinibus, εν πλεγμασιν, *cum implicaturis*, vel *cum tutulis*, seu reticulis capillis circumpositis. Prohibet itaque ne mulieres in cœtibus sacris utantur immoderato, atque sumptuoso, aut nimis artificioso capitis cultu, qualis habetur quum crines nimio studio implicant et concinne inter se flectunt, aut vittis nodisque et reticulis aureis exornant ; non enim decet ut, in publicis conventibus religiosis, caput ita compositum ostentent. Quæ quidem prohibitio a s. Petro 1 ep. III, 3 repetitur, atque etiam connexa videtur cum iis quæ 1 Cor. XI, 5 de muliere in cœtu sacro velanda dicuntur ; præterea, modestia christiana atque decor status muliebris id ipsum præscribunt hodiedum in ecclesia a feminis observandum ; eo vel magis, quod levitas et indecens luxus mulierum, non solum tempore s. Pauli, quando lascivia pagana regnabat incredibilis, sed quovis seculo, atque nostris præsertim diebus, plurimis gravissimisque morum corruptelis et effusis sumptibus occasionem præbeant.

Nequaquam igitur nimis severa habenda est hæc prohibitio, ac prorsus

10 *sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.
11 * Mulier in silentio discat cum
12 omni subjectione. * Docere autem

pretiosis vestibus; [10] sed eo habitu qui decet mulieres christianas: hæ enim verum Dei cultum profitentur, non verbis solis, sed rebus ipsis seu bonorum operum usu ac studio.

[11] Mulier in cœtibus sacris silentium observet, et a viris cum perfecta subjectione doceatur; [12] non autem

derelinquendi sunt qui sensum per vim verbis illatam mitigare quærunt, dicentes v. gr. latere hic comparationem: mulieres ornent se, non *tam* in tortis crinibus etc., *quam* in verecundia et modestia; vel præceptum illud Apostoli nonnisi temporarium fuisse et locale.

Bene notandum est, sermonem fieri de habitu mulierum *in ecclesiis*, seu in cœtibus sacris; oportet autem præscriptionem illam ad alias vitæ consuetudines cum moderamine extendere, quatenus nullo umquam in casu modestiam pudicitiamque christianam exteriore corporis habitu lædere liceat. Verissime s. Aug. (Serm. 161, 11): " Corporis hujus, id est exterioris " hominis ornamenta quanto magis appetuntur, tanto sunt interioris majora " detrimenta. " Ut irreprehensibilis sit mulierum ornatus, tria requiruntur, juxta s. Th.: recta intentio, consuetudo patriæ et conditio status. Contra vestium luxum Tert. scripsit librum *De cultu feminarum:* cf. etiam ejus librum *De habitu mulierum;* s. Cypr. libr. *De disc. et habitu virginum.*

10. Rursum elliptica est phrasis. Syrus, et cum eo multi recentiores, verba *quod decet mulieres promittentes pietatem* inter parenthesim ponunt, et *per bona opera* referunt ad superiora: volo mulieres ornare se, non in tortis crinibus..., sed per bona opera. Vulgata autem, Estius, aliique absque parenthesi ita construunt: *sed* (volo mulieres ornare se) eo habitu *qui decet mulieres pietatem profitentes*, non verbis solis, sed *per bona opera*, i. e. rebus ipsis atque operibus. In hac sententia, ante *quod decet*, ὁ πρεπει, oportet supplere *in hoc*, εν τουτῳ. Utraque constructio probabilis est, sed priorem plane sequerer, si, loco *per bona opero* (δια cum gen.) scriptum esset *in bonis operibus*, quemadmodum v. 9 *in tortis crinibus*. PROMITTENTES, επαγγελλομεναις, *annunciantes, profitentes.*

11. *Mulier in cœtu sacro tacere debet in signum subjectionis*, v. 11. et 12. — Cf. 1 Cor. XIV, 34: *Mulieres in ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut Lex dicit* etc.

12. DOCERE MULIERI NON PERMITTO, supple, *in ecclesia*, non *docere virum:*

mulieri non permitto, neque do-
minari in virum: sed esse in
13 silentio. * Adam enim primus
14 formatus est: deinde Heva. * Et
Adam non est seductus: mulier
autem seducta in prævaricatione

permitto ut ipsa doceat in ecclesia, aut in viros aliquam exerceat auctoritatem, sed volo ut silentium servet. [13] Ratio, ob quam mulier in virum dominari nequeat, duplex est: Adamum primum creatum fuisse et deinde Evam, adeo ut vir præcesserit; [14] præterea, Adamum a serpente deceptum et in peccatum pertractum non fuisse, mulierem autem (Evam) a tentatore seductam fuisse in prævaricationem: ex quo concludimus mulierem viro infir-

nam mulier neque viros, neque feminas, in ecclesia seu publice docere potest; sed in sacris conventibus silentium servare debet: privatim autem docere licet ei, cf. Act. Ap. XVIII, 26.

Neque dominari (αυθεντειν, *auctoritate uti*) in virum, nimirum, quemadmodum colligitur e subjecta materia, *in ecclesia*; nihil in publicis christianorum conventibus facere potest, quo auctoritatem aliquam in viros exerceat. Igitur nolim cum variis interpretibus id intelligere *generaliter*, quasi sensus esset: mulier non doceat in ecclesia; et quamvis privatim id facere possit, inde tamen occasionem non sumat auctoritatem in virum suum vindicandi.

13. *Duplici ratione probat mulierem viro subditam esse*, v. 13 et 14. — Adam primus formatus est, deinde Heva, vel, ut 1 Cor. XI, 8: *Non vir ex muliere est, sed mulier ex viro;* quæ quidem prior viri creatio subjectionem mulieris includit, secundum mentem creatoris, quia mulier formata fuit ut viro in adjutorium esset: quod significat Apostolus quando ibi (1 Cor. XI, 9) addit: *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum:* cf. Gen. II, 22, 23.

14. Adam non est seductus (ηπατηθη, *deceptus*), mulier autem seducta (εξαπατηθεισα, nota partic. aoristi, gall. *ayant été séduite*) in prævaricatione fuit: γεγονε, *facta est*, i. e. prævaricationi obnoxia facta est. Alterum argumentum ducitur ab imbecillitate sexus, cujus documentum insigne jam ab initio datum est (primum argumentum v. 13 erat ex fine creationis). Theodoretus et alii ad verba *Adam non est seductus* supplent *primus*, sed melius est supplere *a serpente;* videtur enim Apostolus respicere ad hæc Gen. III, 13: *Serpens* (ait Eva) *decepit* (ηπατησε) *me et comedi;* de Adamo autem ibi

15 fuit. * Salvabitur autem per filiorum generationem, si per-

miorem esse eique subjici. 15 Mulier tamen pœnam luet peccati per dolores partus in prolium generatione, et salutem

non legitur eum fuisse deceptum, sed *mulier*, ait, *dedit mihi de ligno et comedi.*

En igitur ratiocinium s. Pauli : mulier fuit a serpente decepta, quod imbecillitatem mentis et judicii infirmitatem demonstrat ; vir autem non fuit deceptus, seu per dæmonis fallaciam in errorem inductus : quod quidem indicat firmiorem esse mentem atque rectius judicium viri quam mulieris ; quamobrem docere ac regere spectat ad virum, non ad mulierem. Verum quidem est, Adamum etiam in peccatum lapsum esse, sed nequaquam per serpentis seu dæmonis tentationem, igitur non ex eo quod falsis ejus promissis (*aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum*) sicut Eva fidem præstiterit; sed per mulieris sollicitationem et blanditiem ; ideoque ex eo quod voluerit uxori suæ placere; unde concludendum videtur quod, si mulier seducta non fuisset, Adam in culpam non cecidisset. Hic enim prævaricatus est, non ideo quod serpentem audierit loquentem atque excitantem, sed quod mulieris impulsioni non restiterit; proinde, potius per affectum cordis, et voluntatis debilitatem *seductus* est, quam per judicii aut intellectus infirmitatem *deceptus* fuerit.

Merito inde cum Apostolo concludimus, virum, qui magis quam mulier pollet ratione et judicio, non docendum esse a muliere quæ mente levior est; eo vel magis quod jam ab initio mundi ab ipsa fuerit ad malum perductus. " Semel, ait lepide s. Chrys., locuta est mulier, et totum mundum subvertit; " ergo jam taceat.

Ex dictis patet argumentationem Apostoli sanam atque firmam esse, eamque Rabbinorum subtilitatibus haudquaquam accenseri posse.

15. *Obiter instruit mulieres circa præcipua officia quibus animam salvare debeant*, v. 15. — SALVABITUR AUTEM etc. Quamvis mulier sit mente imbecillior, ideoque a tentatore ad peccatum facilius pertrahatur, quamvis proinde publice in ecclesia docere non possit, nec per sacri laborem ministerii Deo placere, suamque operari salutem : attamen habet et sua officia, quibus si rite fungatur, diabolo resistet et animam salvabit. Nimirum, si, ut dixi, mulier, secundum divinam providentiam, creata est propter virum, cum quadam subjectione erga ipsum : vir tamen est ex muliere, et nascitur per mulieris generationem. Itaque hæc est divina œconomia, ut

manserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate. obtinebit æternam, modo in fide et charitate, in sanctitate et temperantia permanserit.

mulier liberos gignat, et humani generis conservationi provideat; *salvabitur* itaque *per filiorum generationem*, et per adimpletionem fidelem omnium officiorum quæ inde proveniunt; puta, per educationem liberorum, obedientiam marito præstitam etc.; verbo, per vitæ privatæ et domesticæ officia, non per munera vitæ publicæ, aut ecclesiastici ministerii.

Ex hac explicatione facile solvitur difficultas, quæ a De Wette rationalista movetur, sc. haberi repugnantiam inter hunc locum et 1 Cor. VII, 7 sqq., 25 sqq., 38 sqq., ubi virginitas commendatur. Vel ipsemet Huther Protestans assertionem illam Wettianam rejicit. Et re quidem vera, Apostolus loquitur hic de generali sexus muliebris destinatione, eamque sexus virilis vocationi opponit: dum vir vitæ publicæ officia obire (docere, gubernare etc.) debet, mulier contra, utpote naturaliter mente debilior, vitam privatam et domesticam agere tenetur; liberos generare, eos nutrire, educare etc. Huic autem generali mulierem destinationi minime repugnat, quasdam, per exceptionem et privilegium, virginitatem, secundum divinam vocationem, servare.

Discant hic matres, ait A Lap., thesaurum suum esse liberos, quibus omnem curam impendere debent. Ita Cornelia, Gracchorum mater, cuidam matronæ ostentanti ornamenta sua pulcherrima ostendit liberos, et respondit: Et hæc ornamenta *mea* sunt. Sed, ut verius loquamur, dicemus cum s. Chrys. liberos esse *depositum* quoddam *magnum et pretiosum*. Peculiaria præcepta matribus tradit s. Hier., ep. ad Lætam, et ad Celant., et ad Gaud. Vide infra V, 10.

Si permanserit etc. utique *mulier*. Græce constanter habetur εαν μεινωσιν, *si permanserint*, in plurali: attamen cum Vulgata referimus ad *mulier* tamquam ad nomen collectivum, quod aliquando verbum habet in plurali. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 47, 1. Interpretes tamen magni nominis (s. Chrys., Estius, Mack), et vers. syriaca, pro subjecto verbi *permanserint* supplent *filii*, propter præcedens *filiorum generationem* (τεκνογονια).

Cum sobrietate, σωφροσυνη, generaliore modo intelligo *temperantiam*.

Dotes in episcopis, diaconis etc. requisitæ.

CAP. III.

1 * Fidelis sermo : si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.

[1] Quæ nunc jam dicam certissima sunt atque maximi momenti. Si quis desideret fieri episcopus aut presbyter, negotium suscipere optat pulchrum et nobile.

1. *Præclarissimum est munus episcopi*, v. 1. — FIDELIS SERMO, formula asseverantis rem magni momenti, ut supra I, 15. S. Chrys. hæc ad præcedentia, verum rectius Ambros. ad sequentem doctrinam refert; etenim quæ sequuntur longe majoris sunt ponderis quam quæ præcedunt, et proinde magis indigent asseveratione. Igitur auctor vult lectorem attentum reddere ad id quod sequitur, tamquam ad rem diligenter notandam.

EPISCOPATUM, *munus episcopi*. Nomine *episcopi* intelligimus superiorem ecclesiasticum seu *inspectorem*, vel ut s. Aug. *superintentorem*, alicujus communitatis christianæ (επι et σκοπεω, *in-spicere*, *superintendere*, ut ait s. Aug., De civ. Dei 19, 19), *diaconis* digniorem, ad munus sacrum ordinatione sacramentali consecratum: proinde tum sacerdotem primi ordinis (episcopum proprie dictum), quum sacerdotem secundi ordinis (presbyterum stricte dictum). " Presbyteri, ait s. Th., intelliguntur cum episcopis. " Igitur eam sequimur sententiam, quæ censet vocem επισκοπος, in novo Testamento, interdum de sacerdotibus primi ordinis, alibi vero de sacerdotibus primi et secundi ordinis simul adhiberi : cf. Diss. nostr. specialem de sign. script. vocum *episcopus* et *presbyter*, ad Act. Ap. XX, 17, in Append., 4ª ed.

Ratio præcipua quare hanc opinionem amplectamur hæc est, Apostolum de episcopis ad diaconos transire nulla facta mentione presbyterorum; quum autem probabile non sit, ea tempestate apud Ephesios nullos fuisse presbyteros stricte dictos (sacerdotes secundi ordinis), credendum est eos sub denominatione *episcopi* comprehensos fuisse. Absit tamen ut putemus sacerdotes primi et secundi ordinis una eademque appellatione designari, quia una eademque amborum est potestas ordinis et jurisdictionis (quæ quidem explicatio hæretica est, et pugnat eum definitione conc. Trid. sess. 23, can. 6 et 7); sed nomen commune erat, propterea quod dotes, in sacerdotibus primi ordinis requisitæ, cum quodam moderamine in sacerdotibus secundi ordinis etiam postulentur. Cf. infra v. 8.

BONUM OPUS (καλου εργου), munus *pulchrum*, *nobile*, valde dignum, sanctum

2 * Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxo-

[2] Quum autem tale sit illud negotium, oportet ut qui id cupiat requisitas habeat dotes: sit irreprehensibilis in universa vitæ ratione, secundas nuptias

etc.; imo vero, adeo dignum et sanctum, ut a concilio Tridentino *onus etiam angelicis humeris formidandum* merito vocetur. Licet quidem illud munus dignissimum exoptare, quemadmodum in se excitare licet desiderium multos magnosque labores pro fide Christi et Dei gloria suscipiendi, aut perveniendi per Dei gratiam ad excelsum sanctitatis et meritorum gradum: verum non licet solam dignitatem episcopatus aut presbyteratus, solosque honores ei annexos ambire. S. Hier. (ep. ad Ocean.): " Opus, ait, non " dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod (ille qui suscipit) " humilitate decrescat, non intumescat fastigio. " S. Aug. (De civ. Dei 19, 19): " Intelligat non se esse episcopum [i. e. *qui superintendit*], qui præesse " dilexerit, non prodesse. "

Igitur 1° qui episcopi aut presbyteri munus concrete sumptum desiderat, ejus labores, difficultates, pericula, persecutiones, forsitan martyrium (sicut sæpe accidebat tempore quo hæc scripsit s. Paulus) cupere debet. 2° Deinde, quod per se patet, statum adeo excellentem (imprimis episcopatum) expetere nequit, nisi in quantum hujusmodi desiderium consentaneum sit divinæ voluntati et vocationi supernæ, et proinde in quantum divina voluntas per humanam Romani Pontificis nominationem ei clare manifestetur: " ideo non est accipiendum nisi impositum (s. Th.). " Hinc s. Chrys. episcopatum fugit, ut dicit ipse in lib. de sacerdotio; et idem testatur de se s. Aug. in serm. ad frat. in eremo. 3° Tandem illud unum tamquam finem ultimum sui desiderii præ oculis habebit ut non sibi, sed Dei nomini detur gloria. Audi s. Thom. 2, 2, q. 185, a. 1: " Si aliquis appetat Episcopatum ratione bonorum " temporalium, erit illicitum; si ob celsitudinem gradus, erit præsumptuo- " sum. Sed appetere proximis prodesse, est laudabile secundum se. Verum, " quia prout est episcopalis actus, habet jam gradus celsitudinem, præ- " sumptuosum videtur quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis " prosit, nisi manifesta necessitate imminente. "

2. *Dotes in episcopis* (munere adeo digno insignitis), *et aliquousque in sacerdotibus omnibus requisitæ*, v. 2-7. — Ergo, vere illativa est particula, et refertur ad *bonum* v. 1, hoc sensu: quum opus illud bonum, nobile et præclarum sit, dotes requirit eximias.

Unius uxoris virum: quatuor præsertim indicandæ sunt sententiæ.

A/ Sensus quorumdam hæreticorum: qui uxorem habeat, qui non sit

ris virum, sobrium, prudentem, non inierit, sit vigilans, prudens,

cœlebs vel viduus, est omnino falsus, imo vere ineptus ; etenim a/ nec ipsemet Paulus uxorem habuit, quum 1 Cor. VII, 7 scribat *Volo omnes vos esse sicut meipsum*, i. e. sine uxore, ut patet ex toto contextu illius loci ; deinde b/ hujusmodi præscriptioni repugnaret præclara laus quam 1 Cor. VII, 25 sqq. cœlibatui tribuit ; c/ nusquam legitur Timotheum aut Titum matrimonium contraxisse; imo vero, teste s. Ignatio, numquam uxores duxerunt ; d/ infra cap. V, 9 in diaconissam eligenda dicitur *unius viri uxor;* quod certe non significat mulierem quæ viro sit matrimonio juncta, siquidem agitur de viduis ; ergo a pari in hac dictione *unius uxoris vir;* tandem e/ sensus Ecclesiæ catholicæ, quem per antiquissimam traditionem novimus, numquam ita s. Paulum interpretatus est.

B/ Rejicienda etiam est hæc altera explicatio Bezæ etc. : episcopus plures uxores simul non habeat, aut non habuerit ; adeo ut excludatur qui in polygamia stricte dicta hic et nunc vivat aut umquam vixerit. Hanc explicationem admitti non posse satis demonstratur vel per solam dictionem parallelam cap. V, 9 *unius viri uxor*, quæ sane ita intelligi nequit, ut velit Apostolus prohibere ne in diaconissam eligatur quæ plures simul viros habeat aut habuerit ; polyandria enim proprie dicta nimis infamis et monstruosa semper et ubique fuit, ut de exclusione ejus mentionem facere voluisset s. Paulus.

C/ Tertia sententia est : episcopus uxorem suam non repudiaverit ut aliam duceret. Notum est Judæos id fecisse per libellum repudii, gentiles autem per divortium. At vero, quum hujusmodi divortium omnibus christianis tamquam crimen grave sit prohibitum (cf. 1 Cor. VII, 10), verisimile haudquaquam videtur illud peculiari modo inter causas ab episcopatu excludentes recenseri debuisse ; quemadmodum tot alia crimina non recensentur.

D/ Manet igitur sententia, quam in paraphrasi amplectimur : episcopus talis sit vir qui semel tantum uxorem duxerit, posito nempe ipsum cœlibem non mansisse. Cui quidem sententiæ adstipulantur fere omnes majoris nominis interpretes, tum veteres, quum recentiores (inter quos citari meretur De Wette rationalista, pariter Huther et Oosterzee Protestantes) ; eamque etiam secuta est Ecclesia, quæ, propter hanc apostolicam legem, *digamos* a sacris ordinibus semper repulit, eos nempe qui, priori conjuge mortua, alteram duxerant.

Quæritur nunc quare ab episcopatu excludendi sint ii qui bis inierint

ornatum, pudicum, hospitalem, moderate et decore vivens, hospitalis,

matrimonium. Duplex præcipua ratio assignatur, prima moralis, quia connubium renovatum plerumque denotat animum minus continentem, qui episcopos et sacerdotes dedecet: altera mystica, quia bigamia, etiam successiva, perfectionem et profundam significationem unionis conjugalis aliquantulum perturbat, quum plenam illam, indissolubilem, adeoque perpetuam, utriusque conjugis mutuam traditionem, qua unum quasi corpus fiunt (cf. Eph. V, 28-33), aliquo modo violet; et proinde etiam matrimonium, si iterum contrahatur, minus recte repræsentat mysticam unionem Christi cum Ecclesia, quæ sane numquam rumpitur. Monogamiam autem naturæ et institutioni matrimonii plenius per se congruere, vel ex hoc solo concludere licet, quod semper et ubique major ei æstimatio tributa fuerit; sic in epitaphiis mulierum Romanarum laudis titulus est vox *Univira;* " Inter " gentiles etiam, ait s. Hier. (ep. ad Ageruch.), flamen unius uxoris vir " ad sacerdotium admittitur. " SS. Patres a secundo connubio christianos dehortantur in regula generali; imo vero longius hac in re processit Athenagoras, qui (*Leg. pro Christo*) eas nominavit *decoram fornicationem,* et Tertullianus, qui, errore Montanistarum, eas malas esse contendit. Notum quoque est, alteras nuptias secundum rubricas in Missali Romano præscriptas, minori pompa celebrari; et, in antiqua Ecclesiæ disciplina, digamum, quoad ecclesiasticas dignitates et eleemosynarum distributionem etc., aliis posthabitum fuisse.

Apostolus permittit quidem ut in episcopum et diaconum (1 Tim. III, 12) vir eligatur qui uxorem habeat, quod sane satis frequenter fieri debuit isto tempore, quum pauci admodum essent cœlibes, tanto munere digni; mentem autem ejus fuisse ut episcopi, presbyteri, et diaconi, quum semel ordinationem sacram suscepissent, ab uxore abstinerent et continentiam servarent, eruitur:

a/ Ex doctrina ejus (1 Cor. VII) de excellenti virginitatis et continentiæ dignitate; b/ ex interpretatione ecclesiæ occidentalis, quæ id semper præscripsit, et ut apostolicam quidem ordinationem: cujus rei testis sit canon 2 concilii Carth. secundi, qui episcopis, presbyteris, et diaconis continentiam præcipiens: " *Ut quod Apostoli docuerunt*, ait, *et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* " Necnon c/ quoad episcopos, idem colligitur e sensu ecclesiæ etiam orientalis, quæ eis non solum matrimonium prohibuit, sed continentiam semper imposuit; et, quod presbyteros attinet, saltem eis non permisit ut post ordinationem sacram uxorem

3 doctorem, * non vinolentum, non percussorem, sed mode-

aptus ad docendum, [3] vini potationi non deditus, neque iræ aut violentiæ, sed mansuetus, non litigiosus, nec

ducerent, quamvis uxore antea ducta uti concesserit, quæ quidem græcorum a latinorum usu discrepantia hodiedum existit. Diaconi vero, in ecclesia græca, in eadem conditione ac presbyteri versantur : si fuerint ordinati in statu cœlibatus, non possunt matrimonium contrahere, nec licite, nec valide, quemadmodum declaravit Ben. XIV, const. 129 : *Eo quamvis tempore ;* possunt tamen matrimonio ante s. ordinationem contracto licite uti.

De cœlibatu ecclesiastico præclarum tractatum habet Perr., in fine Tract. de Ordine. Cf. etiam Mgr Pavy, *Du célibat ecclés.*, 2e édition, Paris 1852.

Sobrium, νηφαλιον (a νηφω, *vigil sum*), *vigilantem, cautum.* Ornatum, pudicum, gr. unum tantum est epitheton κοσμιον (a κοσμος, *ordo*), *ordinate* seu *moderate et decore viventem.* Juxta Trid. sess. 22, De ref. 1, clerici (a fortiori episcopi) debent vitam moresque suos omnes " sic componere, ut habitu, " gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum " ac religione plenum præ se ferant. "

Hospitalem. Hæc virtus in sacris Literis sæpe commendatur (cf. Rom. XII, 13; Hebr. XIII, 2; 1 Petr. IV, 9), atque in antiquis temporibus, propter itinerum difficultates, et deversoriorum paucitatem, valde necessaria erat, ut adhuc est in Oriente : imo vero adeo æstimabatur, ut tamquam res sacra haberetur hospes. Præterea, inter christianos primævæ Ecclesiæ ideo magis injungebatur hospitalitas, quod propter frequentes persecutiones multi fideles, bonis spoliati et a sedibus suis ejecti, asylum et subsidia victus quærere coacti essent.

Doctorem, διδακτικον, *aptum, promptum ad docendum;* vel, ut ait Tit. I, 9, *Potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere :* quod sane magis est quam *doctum* esse. S. Hil., De Trin. 8 : " Summa, ait, omnium virtutum episcopalium est doctrina et scientia. "

3. Non vinolentum, vel, ut v. 8 diaconis ait, *Non multo vino deditos,* et Tit. II, 3 *Non multo vino servientes.* Sensus est : *non deditum potationi ;* quod magis est quam *non ebriosum.* De hoc vitio cf. Eph. V, 18.

Non percussorem, sc. lingua, adeoque non conviciatorem : ita Patres Græci. Sed nihil impedit quominus intelligamus percussorem manibus, seu potius (quum nihil magni fiat si episcopus temperet manibus) proclivem ad percutiendum, adeoque generatim *violentum, vehementem, durum, iracundum.*

stum : non litigiosum, non cu-
4 pidum, sed * suæ domui bene
præpositum : filios habentem
subditos cum omni castitate.
5 * Si quis autem domui suæ
præesse nescit, quomodo Eccle-
siæ Dei diligentiam habebit ?
6 * Non neophytum : ne in super-

avarus; [4] præterea talis qui propriæ familiæ recte præsit, cujusque filii sint obedientes et bene morigerati sub omni ratione. [5] Hoc ultimum omnino requiritur; nam si quis propriam familiam regere nesciat, a fortiori Dei Ecclesiam gubernare non poterit. [6] Neque etiam eligatur quis recens baptizatus, ne tanto inflatus honore in superbiam cadat, atque ita

In textu Recepto post *μη πληκτην, non percussorem*, sequitur *μη αισχροκερδη, non turpis lucri cupidum*, quod est glossema ex Tit. I, 7 desumptum.

Modestum, *επιεικη* (*επι* auget vim, et *εικω*, *cedo*), talem qui facile cedit alteri, qui jus suum non severe exigit, mansuetum, facilem.

Non cupidum, *αφιλαργυρον*, non talem qui pecuniam amet. S. Aug. (ep. 83) : " Totius plebis, ait, ...grande scandalum cum episcopos suos, quos pro magno " habent, sordida avaritia maculatos putant. " Cf. s. Hier. ep. ad Nepot. Noli oblivisci, ea quæ de dotibus Episcoporum dicuntur, ad sacerdotes omnes extendenda esse.

4. Vult ut experientia sit probatum eum esse regiminis peritum. Rectum autem familiæ regimen inde præsertim noscitur, quod filii sint subditi et bene morigerati.

Filios habentem etc. Nota vocis sonum non extollendum esse in his *filios habentem*, quasi episcopus deberet esse pater familias; sed in *subditos cum omni castitate*, adeo ut sensus sit: si filios habeat, noverit eos in subjectione et sanctis moribus custodire.

Castitate : *σεμνοτητος*, potius *morum gravitate, honestate* in genere; hæc autem in castitate præsertim consistit.

5. Obiter dat rationem horum v. 4 : *Suæ domui bene præpositum*. Ratiocinatur autem a minori ad majus : si suam familiam regere nesciat, a fortiori Ecclesiam, magnam illam Dei familiam, regere non poterit.

6. Neophytum, *νεοφυτον*, *recens* vel *nuper insitum, implantatum*, nimirum Christo (Rom. XI, 17 sqq. eadem explicatur imago de insertione in Christo) per Baptismum; igitur *recens baptizatum*, recens conversum. Hæc regula suas habet exceptiones : v. gr. s. Ambrosius paulo ante adhuc catechumenus, mox baptizatus, post paucos dies episcopus factus est: sed hoc ex divina revelatione contigit, ut notat s. Th.

biam elatus, in judicium incidat
7 diaboli. * Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.
8 * Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum se-

divinam incurrat damnationem, sicut olim diabolus propter superbiam damnatus est. [7] Tandem oportet etiam ut bonam habeat famam apud infideles, ne forte isti ejus crimina revelent, eademque fideles ipsi exprobrent cum contemptu: unde fieri posset ut animo despondeat, et ad vomitum redeat: atque ita diabolus, his insidiis, eum denuo redigat in tyrannidem suam.

[8] Diaconi debent pari modo esse honesti, non duplices in sermone, neque bibaces, aut turpe lucrum sectantes;

In judicium incidat diaboli. *Judicium*, Hebræorum more, pro *condemnatione* seu *pœna*. *Diaboli* genitivus objecti: in tale judicium, in quod etiam diabolus incidit (s. Hier.), qui ob superbiam de cœlo dejectus est et æternis ignibus addictus. Hæc est communis ss. Patrum explicatio. Erasmus autem loco *diaboli* vertit *calumniatoris, adversarii*, et genitivum sumit subjecti, ut v. 7, hoc sensu: ne, superbia elatus, incidat in adversariorum calumnias, qui dicturi sunt eum hoc consilio christianam religionem appetivisse, ut honorem sibi acquireret. Sed obstat vox *judicium*, κριμα, quæ nusquam in N. T. *calumniam* seu *incriminationem* significat; obstat etiam *in superbiam elatus*, nam, etiamsi non superbiret, calumniæ memoratæ obnoxius esset.

7. Qui foris sunt, gentiles seu infideles, qui ad Ecclesiæ forum non pertinent (1 Cor. V, 12 *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?*); igitur non intelliguntur hæretici aut schismatici, qui, etsi inviti, Ecclesiæ potestati subditi sunt. Opprobrium, ονειδισμον, *exprobrationem*. Ab hoc nomine non pendet gen. *diaboli*, quasi sensus esset: ut non incidat in opprobrium diaboli et in laqueum ejus. Vide paraphr.

De dotibus et virtutibus in episcopis et sacerdotibus requisitis, cf. s. Chrys., lib. *De sacerd.;* s. Ambr., *De dign. sacerd.;* s. Bern., *De moribus et officio episc.;* idem, *De consid.* ad Eug. Papam; s. Hier., ep. ad Oceanum (*Numquam*), ad Nepotianum.

8. *Dotes in diaconis et diaconissis requisitæ*, v. 8-13. Diaconos, accusativus pendet ab *oportet esse*. — Pudicos: σεμνους, potius *honestos, graves*. — Non turpe lucrum etc.: monitum ideo utilius quod diaconi eleemosynarum ministrationem haberent.

Quare Apostolus ab *episcopis* ad *diaconos* transit, nulla facta mentione de

9 ctantes: * habentes mysterium

[9] religionem christianam fideique myste-

presbyteris? Aerius dicebat: quia inter episcopum et presbyterum nihil interest: quæ hæresis, ut diximus supra v. 1, damnata est a conc. Trid., sess. 23, can. 7: " *Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores.... anathema sit.* " Alii respondent, nomine *episcopi* in N. T. semper designari sacerdotes secundi ordinis, seu *presbyteros* stricte dictos; adeoque hic non agi de constituendis episcopis proprie dictis, quum Ephesinæ ecclesiæ Timotheus esset episcopus. (Hæc est sententia Ill. Beelen, de qua 2° loco diximus in dissert. spec. ad Act. Ap. XX, 17, in Append. comm. nostri). Sanctus autem Thomas opinatur nomen *episcopus* esse commune sacerdotibus tum primi, quum secundi ordinis, adeo ut s. Paulus utrosque simul complectatur. Sed objicitur dici *episcopum* in singulari, dum contra ubi de diaconis agitur, numerus pluralis adhibetur. Verum inde non sequitur vocem *episcopus* sensu stricto sumptam fuisse, de sacerdote primi ordinis: innuit solummodo in singulis ecclesiis unum esse superiorem cum pluribus ministris. Nonnulli contendunt de *episcopis* (proprie dictis), et *diaconis* locutum fuisse Apostolum, omissis *presbyteris* (proprie dictis), quia isto tempore fere omnes presbyteri ad episcopalem dignitatem erant evecti, propter peculiares Ecclesiæ necessitates. Censent in singulis ecclesiis, ob paucitatem fidelium et ministrorum, tantummodo fuisse episcopum unum cum diaconis pluribus, nullos vero presbyteros (s. Epiphan.). Tandem, hæc est s. Chrysostomi responsio; presbyteros omitti, quia " quæ Apostolus de episcopis dixit, ea etiam presbyteris " congruunt; quum sola ordinatione [*puta* ordinandi potestate, quæ sane " involvit potestatem ordinis et jurisdictionis] superiores sint episcopi. "

De diaconis specialem dedimus dissertatiunculam ad Act. Ap. VI, 6, in Append. comm. nostri, 4ª ed.

De *subdiaconis* non loquitur s. Paulus, vel quia hic ordo nondum erat institutus, quum tam pauci adhuc essent qui ad sacra ministeria possent assumi; vel quia sub generali nomine *Diaconus* (διακονος, *minister*) omnes ministri sacri presbyteris inferiores comprehendebantur.

9. Mysterium fidei, i. e. generatim universam religionem christianam cum omnibus suis mysteriis. Cf. v. 16 *pietatis sacramentum* (μυστηριον), Eph. VI, 19 *mysterium Evangelii*, Col. IV, 3 *mysterium Christi*, Matth. XIII, 11 *mysteria regni cœlorum.* Sunt qui per *mysterium fidei* intelligant s. Eucharistiam, cujus distributio ad diaconos spectabat: sed hæc explicatio ad libidinem inventa est.

10 fidei in conscientia pura. * Et
hi autem probentur primum: et
sic ministrent, nullum crimen
habentes.
11 * Mulieres similiter pudicas,
non detrahentes, sobrias, fideles
in omnibus.
12 * Diaconi sint unius uxoris
viri: qui filiis suis bene præsint,
13 et suis domibus. * Qui enim
bene ministraverunt, gradum
bonum sibi acquirent, et multam

ria firmiter profitentes, et conscientiam puram servantes per vitæ sanctitatem. [10] Ut autem constet his dotibus instructos eos esse, probentur primum; deinde, si irreprehensibiles inveniantur, ad ministerium sacrum admittantur.

[11] Mulieres sacræ (diaconissæ) similiter debent esse honestæ (graves), non calumniatrices, vigilantes, fideles in omnibus.

[12] Diaconi, non possunt eligi qui bis duxerint uxorem; debent filiis suis bene præesse totamque familliam suam recte gubernare. [13] Tot et tantæ dotes in diaconis requiruntur, quoniam magna est eorum dignitas: qui enim munia sua rite adimpleverint, gradum pulchrum et nobilem (sc. presbyteratum aut episco-

10. Et sic: melius græce *ειτα, deinde*. Ministrent, nullum crimen habentes: ministri seu diaconi fiant, si, rite probati, irreprehensibiles inventi fuerint (Theoph.); non: ministrent sic ut in suo ministerio irreprehensibiles inveniantur (Erasm.).

11. Mulieres, non, quævis in genere (Ambrosiast.), sed, ut contextus ostendit, illæ quæ superiores ecclesiasticos aliquo modo adjuvant, vel cum ministris sacris aliquam vitæ et officii necessitudinem habent; etenim agitur de Ecclesiæ ministris, unde statim de diaconis sermo resumitur (Mirum tamen est græce non adhibitum fuisse articulum ante *γυναικας*). Sunt qui intelligant uxores diaconorum (s. Th. 1°, Allioli), vel etiam episcoporum et presbyterorum (ita Estius); quia, si de diaconissis scripsisset Apostolus, officii seu ministerii nomine eas designasset, perinde ac episcopum et diaconos. Verum huic sententiæ obest, non dici *γυναικας αυτων* mulieres *eorum*; deinde adverbium *ὡσαυτως, similiter*, quo transitio fit ad mulieres illas, si conferatur v. 8 ubi eadem est transitio ad diaconos, innuit intelligendas esse mulieres in sacro ministerio adhibitas, diaconissas. Atque hæc est sententia s. Chrys., s. Hier., Theod., Theoph., Beel., Bisp., Reischl, etc.

De *Diaconissis* cf. 1 Tim. V, 9; Rom. XVI, 1; et vide diss. special. ad Act. Ap. VI, 6, in append. ad calcem commentarii nostri, 4ª ed.

13. Gradum (*βασμον*, a *βαινω*, *gradior*) bonum (*καλον*, *pulchrum*, *nobilem* etc.).

fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

14 * Hæc tibi scribo, sperans me
15 ad te venire cito. * Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi,

patum) sibi acquirent, et magna cum fiducia seu libertate fidem profiteri et prædicare poterunt.

[14] Quamvis citius quam putes ad te venire sperem, has tamen instructiones scribo, [15] ut, si præter voluntatem diutius tardem, scias quomodo te gerere debeas in gubernatione domus Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi et veri, quæque proinde veritatem seu veram religionem

Theodoretus explicat : in regno cœlorum, secundum illud Matth. XXV, 23 : *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.* Sed obstant verba quæ sequuntur : *et multam fiduciam* (gr. παρρησιαν, loquendi libertatem) *in fide ;* hæc enim debuissent præcedere. S. Chrys. jungit *gradum bonum* cum *in fide,* hoc sensu : magnum profectum in fide et magnam fiduciam in ea acquirent. Sed longe probabilior est sententia communis : ad gradum altiorem et meliorem, v. gr. presbyteratum, ascendere digni erunt. " *Bonum,* ait s. Hier., pro gradu majori posuit. " Dicit *bonum,* καλον, in positivo, non *meliorem* aut *altiorem,* in comparativo, quoniam respicit ad cap. III, 1 *bonum opus.*

14. *Nuntius quis personalis,* v. 14. — Cito, refert lectionem εν ταχει, quam habent codd. ACD*; sed in pluribus codd. legitur ταχιον, *citius :* quod præfero, etiam quia difficilius est ; supple alterum comparationis membrum : *citius quam putes, quam exspectandum foret,* aut quid simile.

15. *Munus Timothei maximi momenti est, quum versetur in regenda Ecclesia Dei, a qua pendet religio christiana,* v. 15, *et proinde quæ docet magnum Incarnationis mysterium,* v. 16.

Domus Dei vocatur Ecclesia, vel quia Deus in ea tamquam in domo sua habitat (quo sensu fideles etiam dicuntur *templum Dei*), vel quia Ecclesiæ membra totidem sunt Dei filii, adeo ut fidelium congregatio sit magna Dei familia. Eadem imago reperitur 1 Cor. III, 9, 16 ; 2 Cor. VI, 16 ; Eph. II 20-22 ; 2 Tim. II, 19 et 20 ; atque ex vetere Testamento desumpta est, in quo populus Israel sæpe vocatur *domus Jehovæ.*

Columna (στυγος) et firmamentum (εδραιωμα, *basis, fundamentum*) veritatis, i. e. religionis veræ, christianæ, cf. supra II, 4. Pulcherrima atque significantissima imago : sicut columna partem ædificii superiorem sustentat,

columna et firmamentum veri- | conservat, quemadmodum columna et fundamentum ædificium fulciunt atque

imo vero (nota gradationem), sicut fundamentum universum ædificium singulasque ejus partes sustinet atque fulcit, ne corruat : ita etiam Ecclesia veritatem seu doctrinam sibi concreditam sustinet et conservat, ne corrumpatur aut pereat : quæ quidem Ecclesiæ vis et potentia ad fidei depositum fideliter custodiendum inde provenit, quod ipsa sit *domus Dei vivi* et veri; aliis verbis, quod Deus cum ea sit in perpetuum, eamque vivificet, dirigat, etc.

Jure itaque et merito hunc locum adducunt theologi dogmatici, ubi Ecclesiæ infallibilitatem ex divinis Literis demonstrant.

Et sane vanissima sunt effugia quæ recentiores Protestantes nonnulli ex præjudicata opinione excogitarunt, nempe :

1° Quidam contenderunt verba *columna et firmamentum veritatis* referenda esse ad Timotheum, hoc modo: ut scias quomodo tu, tamquam columna, *vel* columna existens veritatis, gerere te debeas in domo Dei. Ad libidinem inventa et parum obvia est hæc explicatio, quæ postulat ut verbis Apostoli proprio marte addamus *tamquam* vel *existens*.

2° Alii affirmarunt sermonem esse de ecclesia Ephesina tantum; quæ quidem assertio tam manifesto falsa est, ut vel primo intuitu scribentis fini contraria appareat.

3° Neque firmior est explicatio, quam nonnulli effingunt, quum punctum post *Dei vivi* ponunt, et verba *columna et firmamentum veritatis* ad sequentia referunt, hoc sensu: pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, etc., est columna et firmamentum veritatis, i. e. primarium et fundamentale doctrinæ christianæ caput et sacramentum manifeste magnum.

Huic autem tertiæ sententiæ adversantur a/ ss. Patres omnes ; b/ veteres interpretes omnes, etiam Protestantes, ut Lutherus, Calvinus, Beza, Grotius, Wolfius, etc. ; præterea recentiores multi, etiam acatholici, ut Tischendorf in 7ª ed., Lachmann, et quidem De Wette rationalista, qui superato præjudicio, animo a partium studio alieno, scribit, in ista sententia omnem nexum cum præcedentibus, tum logicum, tum syntaxicum deficere. His auctoritatibus adjungimus rationes internas : *a/* contextus, ut recte docet De Wette. Dixit Apostolus se in hunc finem monita superiora Timotheo dedisse, ut sciret quomodo digne, sancte et rite se gereret in Ecclesia Dei; nunc addit rationem quare debeat tali modo conversari in Ecclesiæ regimine; ratio est, quia Ecclesia est columna et firmamentum veritatis, seu doctrinæ christi-

16 tatis. * Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod

sustentant. [16] Et sane omnium confessione excellentissima est illa veritas, quam docet Ecclesia, quæque versatur circa magnum illud salutis mysterium

anæ; pergit deinde et exponit excellentiam hujus doctrinæ, quæ intacta ab Ecclesia servatur. Omnia itaque bene cohærent in nostra explicatione; in altera vero sententia habetur abruptio quædam idearum, neque perspicimus quomodo s. Paulus in media exhortatione sua ponere potuisset hæc: summi momenti esse Incarnationis mysterium, omnis religionis fulcrum et fundamentum. *b*/ Præterea repugnat ut, postquam de isto mysterio affirmaverit esse *columnam et fundamentum* totius religionis christianæ, addat illud esse *manifeste magnum*; hoc enim esset prædicatum nimis debile, et adjectivum illud non recte sequeretur post duo prædicata substantiva.

1° Objicitur quidem nostræ interpretationi, Ecclesiam in antecedentibus statim vocatam fuisse *domum* Dei, et propterea eam non simul *columnam* et *fundamentum*, quæ partes sunt domus, posse appellari. Respondemus, haberi duas metaphoras sibi succedentes, quæ seorsum sumendæ sint; sub diversa igitur ratione Ecclesia dicitur *domus*, et *columna* seu *fundamentum*. Hujusmodi autem multiplicis metaphoræ usus, quantumvis minus elegans nobis videatur, ab Hebræorum ingenio non abhorret: 2 Tim. II, 29 pariter duæ conjunguntur metaphoræ.

2° Objicitur, Paulum non solere novi argumenti tractationem incipere per conjunctionem *et*; ideoque verba *et manifeste magnum est* etc. cum præcedentibus jungenda esse. Resp. Id pluries facit s. Paulus, v. gr. 1 Cor. II, 1; Eph. II, 1, ubi *et* (και) pro *autem* (δε) usurpatur.

16. Et, ita nectit: utique defensione digna est veritas illa quam Ecclesia sustentat atque intactam servat. Manifeste, ὁμολογουμενως, *citra controversiam, omnium confessione.* Pietatis sacramentum, idem ac v. 9 *mysterium fidei.*

Quod, etc. Datur triplex lectio varians: 1ª Θεος, *Deus manifestatus est* etc., in codd. D***KL, omnibus fere minusculis, vers. arabica polyglottæ Parisiensis, et vers. salvica, et apud græcos Patres fere omnes. Hæc lectio sensum præbet faciliorem, et luculentissimum statuit testimonium pro Christi divinitate. Deinde 2ª lectio: ὁ in cod. D*, verss. Itala, Vulg., et apud Patres latinos plerosque; istud ὁ refertur ad μυστηριον, quod debet objective sumi de Christo, mysterii objecto primario. Tandem 3ª lectio: ὁς, in codd. A*C*FG, verss. goth., copt., sahid., æthiop. (ed. Thomæ Pell Platt) etc.

manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit

de Incarnatione Christi, qui se hominibus hominem manifestavit natura humana assumpta, sed simul Deum se demonstravit per opera divinæ poten-

Hæc præferenda est, quoniam plures testes habet, difficilior est, et ex ea aliæ duæ probabiliter ortæ sunt ; nam Θεος, per abbrev. ΘΣ, oritur ex ΟΣ ; ὁ vero est correctio pronominis relativi ὁς, quod non habet substantivum quocum concordet. Itaque vertimus : *qui* (utique *Christus* subauditus) *manifestatus est* etc.

MANIFESTATUM EST etc. Animadverte sex esse breviores propositiones, quæ ita rhythmice secundum leges parallelismi poetici disponuntur, ut tristichon efforment, cujus singuli versus habent bina membra seu hemistichia sibi invicem opposita ; hoc modo :

" *Manifestatus est in carne, — demonstratus in spiritu ;*
" *Visus est ab angelis, — prædicatus gentilibus ;*
" *Creditus est in mundo, — assumptus in gloria.* "

Rhythmum illum ut explicarent, recentiores nonnulli interpretes (Bisp., Beel., Drach etc.) opinati sunt ab Apostolo insertos fuisse versus quosdam hymni sacri eo tempore a christianis in Christi laudem cantati : quæ quidem conjectura haud improbabilis videtur, eo vel magis quod Eusebius (Hist. eccl. V, 28) testetur : " Ab initio extitisse inter christianos psalmos et odas " a fidelibus conscriptas, quibus Christus, Verbum Dei, tamquam Deus " celebratur. " Cui concinit Plinius junior, quando ad Trajanum de christianis scribit : " quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem. " Ad hujusmodi cantica alternantium vocum (αντιφωνας) videtur hic locus referri posse.

MANIFESTATUM EST (seu potius *manifestatus*, ὁς εφανερωθη) IN CARNE, i. e. humanam naturam assumpsit et visibilem se reddidit. Cf. Joan. I, 14 *Verbum caro* (homo) *factum est et habitavit in nobis.*

JUSTIFICATUM (potius *justificatus*) EST : εδικαιωθη, declaratus, seu demonstratus est talis qualis vere est (cf. Matth. XI, 20), nempe IN SPIRITU, i. e. in natura divina (*spiritus* enim opponitur *carni ;* atqui *caro* sign. *naturam humanam*) ; aliis verbis, demonstratus est esse in natura divina, demonstratus est esse Deus ; nimirum, per opera divinæ potentiæ quæ effecit. Ita Theodor., Bisp. etc. En igitur sensum : homo hominibus apparuit, sed in vita sua spirituali (sublimiore) se Deum demonstravit.

APPARUIT ANGELIS. Secundus versus, seu secunda antithesis ; angeli opponuntur hominibus. Per *angelos* non licet Apostolos intelligere, sed

angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

tiæ quæ fecit; qui visus est angelis, et prædicatus est gentilibus; qui in mundo per fidem agnitus est, atque assumptus est ad cœlum, ubi in gloria conspicitur.

Judaizantes iterum redarguit, et monita varia dat Timotheo.

CAPUT IV.

1 * Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris,

[1] Spiritus autem sanctus disertis verbis prædicit fore ut quidam futuris temporibus discedant a fide, per hoc quod attendant pseudo-doctoribus, qui falsas doctrinas a dæmone inspiratas

oportet sensum proprium tenere. Christus incarnatus dicitur fuisse ab angelis conspectus, quatenus nonnisi per Incarnationem noverunt angeli quibus præcise modis fieret mundi redemptio. Recole quæ explicavimus ad Eph. III, 10.

Creditum (potius *creditus*) est etc. Tertia antithesis : terra cœlo opponitur. Crediderunt in eum homines hujus terræ, quod consequentia est illorum : *prædicatus est gentibus.*

1. *Monet Timotheum adversus pseudo-doctores,* v. 1 et 2, *qui prohibent matrimonium et usum ciborum quorumdam,* v. 3. — Spiritus dicit : non constat utrum prædictiones illæ Apostolo (instar Act. Ap. XX, 22), an vero aliis quibusdam factæ fuerint. Manifeste : *ρητως, disertis verbis.*

In novissimis temporibus, proprie *ὑστεροις in subsequentibus, in posterioribus temporibus.* Probabiliter idem significatur ac 2 Tim. III, 1 *in novissimis diebus.* Ut ibi dicemus, per illam locutionem intelligitur sensu generalissimo ultima mundi ætas, ab adventu Christi usque ad finem seculorum. Nihil igitur impedit quominus ea quæ prædicit Apostolus cogitanda sint brevi eventura : atque eam esse s. Pauli mentem, vel ex hoc solo patet, quod adversum illa Timotheus debeat (v. 6) populum instruere.

Spiritibus erroris refert lectionem *πλανης*; sed hæc desumpta est ex 1 Joan. IV, 6; et vera lectio est *πλανοις, spiritibus mendacibus.* Non dæmones, sed ipsos falsos doctores, cum s. Chrys., intelligimus.

2 et doctrinis dæmoniorum, * in
hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium
3 suam conscientiam, * prohibentium nubere, abstinere a cibis,

prædicant; 2 qui hypocritæ atque mendaces sunt, quorum conscientia adeo polluta est crimine, ut nota turpitudinis ei inusta videatur.
3 Isti prohibent matrimonium inire, et contendunt abstinendum esse a quibusdam cibis, tamquam per se malis seu immundis; quum

Doctrinis dæmoniorum. Ita vocantur doctrinæ istæ, quia a dæmone, tamquam a patre erroris et mendacii, suggeruntur. Nonnulli *doctrinas dæmoniorum* explicant: doctrinas de dæmonibus (genit. objecti), puta de Æonibus, qualem postmodum tenuerunt Gnostici; verum huic interpretationi non favent verba sequentia, in quibus ipse Apostolus explicat de qua doctrina loquatur.

2. Loquentium non est appositio ad *dæmoniorum*, sed pendet a *doctrinis*. Cauteriatam conscientiam vocat eam quæ gravibus polluta est peccatis, comparatione deducta a scelestis illis viris, quibus ferro candente nota infamiæ inuritur: ita Beel., Bisp., All. Vult dicere istos interius scire se perversos esse, quasi *proprio judicio condemnatos*, Tit. III, 11. Minus recte Theodoretus et Estius putant esse conscientiam obduratam, quasi sensu destitutam, quemadmodum corporis cutis, quæ exusta fuit, sensum tactus amisit.

3. Prohibentium nubere (γαμειν, melius *matrimonium inire;* nam *nubere* proprie de solis feminis dicitur), utique quia prætendunt actum conjugalem naturaliter indecentem esse et turpem. Verum hypocritæ isti, dum exterius tantam fingebant pudicitiam, pessimæ libidini secreto indulgebant (ideo *conscientiam* habebant *cauteriatam*); de quibus vide quæ notavimus ad Col. II, 23. Fuerunt qui verba *prohibentium nubere* contra cœlibatum ecclesiasticum stolide urgere voluerint: sed, ut ait s. Aug. (contra Faust. 30, 6): " Ille prohibet qui hoc malum esse dicit, non qui huic bono aliud " melius anteponit. "

Abstinere a cibis. Infinitivus *abstinere* non pendet a verbo *prohibentium*, sed a *præcipientium* quod ex verbo *prohibentium* supplere oportet. Similis constructio est 1 Cor. III, 2; VII, 19; XIV, 34; 1 Tim. II, 12; Jac. I, 10. Cf. Beelen, *Gramm. græc.* N. T. § 66. *Cibi* intelliguntur, vel qui sunt lege Mosaica tamquam immundi vetiti, vel generaliore modo certi cibi (v. gr. caro quævis) quos damnabant pseudo-ascetæ isti. Et re quidem vera, Saturninus, Marcion et Encratitæ, aliique multi ex Gnosticis, ut et Manichæi, matrimonium et carnium esum, tamquam res intrinsece malas, reprobarunt. Quantum autem ab istorum pravis doctrinis abhorreant ecclesiasticæ

quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis, qui cognoverunt veritatem.

4 * Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum

tamen cibos creaverit Deus ut fideles, nimirum ii qui veram Christi doctrinam acceperunt, cum gratiarum actione eis indiscriminatim utantur.

[4] Creavit, inquam, Deus cibos omnes, ergo nullus per se malus est, siquidem bonum per se est id omne quod creavit Deus; et proinde nihil rejiciendum ex

præscriptiones de cœlibatu sacerdotum, et de jejunio vel abstinentia, vix opus est animadvertisse; neque id monere in mentem nobis cecidisset, nisi Protestantes veteres hunc v. 3 nobis objicere impudentissime ausi fuissent.

Confutat Apostolus errorem de cibis; quare alterum, de nuptiis, non attingit? — Vel quia hic in vetere Testamento jam satis rejicitur (cf. Gen. I, 27 et 28), quum contra error de cibis in præceptis Mosaicis de mundorum et immundorum discrimine fundamentum habere videatur; vel, quod probabilius est, quia posterioris confutatio erroris priorem simul refellit.

Quos (cibos) Deus creavit ad percipiendum: igitur, dum prohibent ne quis eis utatur, Dei ordinationi repugnant.

Cum gratiarum actione, id addit ut significet cibos, secundum divinam voluntatem, non sumendos esse ab hominibus, quemadmodum ab animalibus, in solam appetitus corporalis expletionem, sine ullo pietatis aut religionis sensu; sed contra iis sancte utendum esse, quod fiet si mente revolvamus eos per insigne beneficium a Deo acceptos esse, atque ideo Deo referendas esse gratias; verbo, actiones hujusmodi, etsi corporales tantum, sanctificandas esse per piam in Deum mentis elevationem, seu per orationem ευχαριστικην. Igitur Apostolus dicere non vult cibos intrinsece malos esse, vel esum ciborum per se malum esse, si religiosa gratiarum actio non fiat: sed hoc intendit, non recte agere, neque divinæ voluntati perfecte obedire, eum qui, ob tantum beneficium, se Deo gratum non exhibeat.

Fidelibus etc.: hoc addit ut ponat antithesim ad falsos doctores: *fideles* i. e. christiani orthodoxi illi Dei præscriptioni obtemperare possunt; non autem Judaizantes, utpote qui ciborum usum istorum intrinsece malum esse contendant.

4. *Cibi nulli per se mali sunt; sed cum gratiarum actione sumendi sunt*, v. 4 et 5. Quia omnis creatura etc. Græci interpretes, cum plurimis recentioribus, hæc verba præcedentibus annectunt, sequenti modo: iis qui

quod cum gratiarum actione
5 percipitur : * sanctificatur enim
per verbum Dei, et orationem.

quibusvis cibis. Licet igitur omnibus uti; sed id fieri semper debet cum gratiarum actione; [5] preces enim et verba sacra, quibus mensæ benedicitur, cibos ab omni impuritate, quæ inesse eis posset, mundant.

cognoverunt veritatem, hanc nimirum *quod omnis creatura* etc. Verum, magis obvius nobis videtur sensus, quem in paraphrasi dedimus, et juxta quem redditur ratio ob quam abstinendum non sit a cibis *quos creavit Deus ad percipiendum.* — Omnis creatura Dei bona est, quod nititur verbis Gen. I, 31 *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Cf. Rom. XIV, 14, 20; Act. Ap. XI, 15.

5. Sanctificatur enim etc. Probat quod modo dixit : *nihil rejiciendum esse quod cum gratiarum actione percipiatur.* Quum dicat *sanctificatur*, ut certum et admissum ponit rebus corporeis, quales sunt cibi, etsi puræ et bonæ sint a Deo creatæ, quamdam accessisse immunditiem; quod quidem per peccatum originale factum fuisse dicendum est. Per illud enim, eo ipso quod homo se diabolo subjecit, etiam ea quæ hominis sunt, adeoque res mundi corporei universæ, in dæmonis potestatem aliquatenus venerunt; atque ita, quando cecidit homo, etiam in deterius mutata est natura materialis homini inferior (cf. expl. ad Rom. VIII, 20). Ideo diabolus in s. Scriptura modo *princeps hujus seculi, potestas aeris hujus,* modo *deus hujus seculi* vocatur. Huc etiam pertinet, inquit Estius, vetustissima Ecclesiæ consuetudo, qua aquæ, sali, panibus, fructibus, aliisque variis rebus, exorcismos aut benedictiones adhibet; per quas, repressa dæmonis potestate, res illæ reddantur utentibus salutares.

Græci verba Paulina aliter interpretantur; putant latere concessionem rhetoricam, hoc sensu : sed demus rebus istis inesse aliquid immundi, habes antidotum : gratias age Deo per piam orationem, et statim abscedet omnis immunditia. Verum, etiam in tali sententia fatendum est aliquam rebus corporeis inesse impuritatem, siquidem id concedit Apostolus, quod sane præter veritatem non fecisset. Neque objici potest illud Christi eloquium : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ab ore* (Matth. XV, 11); nam ibi agitur de immunditie spirituali seu peccato.

Per verbum Dei : sc. fide susceptum, seu per fidem, ait Estius; sed hoc est ad libidinem excogitatum. Alii *verbum Dei* explicant *verbum ad Deum*, seu *oratio ad Deum ;* nonnulli intelligunt oraculum, quo Deus homini permisit edere herbas omnes et arborum fructus (Gen. I, 29),

6 * Hæc proponens fratribus,
bonus eris minister Christi Jesu,
enutritus verbis fidei, et bonæ
doctrinæ, quam assecutus es.
7 * Ineptas autem, et aniles fabu-
las devita: exerce autem teip-
8 sum ad pietatem. * Nam corpo-
ralis exercitatio ad modicum

[6] Si hæc christianis suggeras, bonus eris Jesu Christi minister, talis qui sit enutritus in vera fidei doctrina, quam de cetero jam diu fideliter profiteris. [7] Profanas autem et aniles fabulas rejice; sed exerce te constanti et virili conatu ad fidelem et diligentem Dei cultum. [8] Et merito quidem hoc exercitium imprimis tibi commendo; nam, dum exercitatio corporis ab athletis militibusque usitata parum prodest (sc.

imo vero et carnes animalium (nempe post diluvium, Gen. IX, 3). Sed magis obvius est sensus : *verbum Dei*, i. e. verba sacra e Psalmis aut aliis s. Scripturæ libris desumpta, quæ in precibus ad mensam adhiberi solent (v. gr. *Edent pauperes et saturabuntur* etc., in oratione ab Ecclesia pro benedictione mensæ assignata).

Ex hoc loco colligimus, fidelibus christianis maximopere commendandam esse orationem ad mensam; eum autem pium usum jam ab initio Ecclesiæ viguisse, novimus ex Constitutionibus apostolicis VII, 49, ubi pulchra refertur oratio ante cibi sumptionem usitata.

6. *Monita pastoralia, in spezie adhortatio ad pietatem*, v. 6 et 7, *cujus maxima est utilitas*, v. 8, 9. — HÆC PROPONENS. *Hæc*, non ea quæ scripsit III, 16, nam hoc posito oporteret totam pericopam IV, 1-5 tamquam parenthesim habere, quod sine ulla ratione fieret : sed *hæc* refertur ad ea quæ statim præcedunt, sive quod errores isti brevi orituri essent, sive quod jam in germine existerent.

ENUTRITUS, εντρεφομενος, quod optime vertit Vulgata; nequaquam audiendus est Estius, qui dicit esse part. medium, quod active sumi possit *enutriens*. Nota part. græcum esse præsentis temporis, cujus ea est vis ut perseverantiam discendi indicet, hoc sensu : olim enutritus, et nunc continuum sumens nutrimentum.

7. INEPTAS : βεβηλους, *profanas*. FABULAS, cf. supra I, 4. EXERCE. Græce γυμναζειν (a γυμνος, *nudus*), *se nudum exercere in palœstra more luctatorum*. Rejice, ait, fabulas istas ineptas et vanissimas, quasi sermones *aniles ;* et tamquam vir exerce te ad pietatem. *Exercere se ad aliquid* indicat actus sæpe repetitos ac virilem quemdam conatum. *Pietas*, ευσεβεια, i. e. verus et rectus Dei cultus, qui universæ vitæ sanctitatem complectitur : cf. infra VI, 3-11.

8. CORPORALIS EXERCITATIO. Plures interpretes explicant de ascesi pseudo-doctorum, de abstinentia a voluptatibus sensualibus, a venereis et a cibis,

utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. * Fidelis sermo, et omni

vitam tantum præsentem tuetur), pius Dei cultus ad omnia utilis est, quum in divinis Literis ei promittatur felicitas vitæ præsentis et futuræ. [9] Atque hoc

de quibus v. 3 (cf. Col. II, 23). Verum, si de pessimo hujusmodi errore loqui voluisset, vehementius quid quam *ad modicum utilis est* dixisset. Quamobrem probabilius censemus, cum Estio, sermonem esse de exercitatione athletica, ad quam sæpe respicit s. Paulus (2 Tim. II, 5 et IV, 7 etc.), quamque proprie significat vox *γυμνασια*. Hanc autem exercitationem parum utilem affirmat, quia tantum conducit ad corporis robur et sanitatem, et proinde vitæ temporali et corporali solummodo prodest.

Pietas autem ad omnia utilis est. *Ad omnia*, sc. ut eruitur ex verbis sequentibus *promissionem habens* etc., ad bonum temporale et æternum; ad bonum temporale, in quantum hoc conducit ad bonum æternum. Et re quidem vera, nonnisi fidelis Dei cultus et vitæ sanctitas homini beatitudinem, in quantum beatitudo in hac lacrymarum valle haberi possit, conferre valent; nam, quemadmodum gratia sanctificans est semen gloriæ cœlestis, ita etiam vita hominis christiani, qui in statu gratiæ permanet, est quædam inchoatio seu participatio cœlestis felicitatis; Deum enim in corde suo habitantem possidet, eumdem Deum in cujus possessione perfecta et intuitiva visione consistit essentialis beatorum gloria. Impius autem, et qui religionem non observat, jam in hac vita, quantumvis sæpe magna videatur ejus felicitas exterior et apparens, æternam damnationem plerumque prægustat, propter frequentem cordis anxietatem, conscientiæ remorsum, terrores religiosos etc.; etenim *non est pax impiis*, ne in terra quidem. Quamobrem, dum canit Psalmista I, 1: *Beatus vir*... cujus *voluntas* est *in lege Domini* (qui eam fideliter adimplet), statim de peccatoribus exclamat: *Non sic impii; sed* etc.

Nihil sane utilius suaderi potest concionatori sacro, quam ut populo frequenter proponat, ab una parte, suavitatem et felicitatem quæ in pietate et morum sanctitate percipitur, etiam in hac vita; et, ab altera parte, pœnam et miseriam eorum qui vitiis et peccatis se tradunt.

Quando dicit de pietate: *Promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ*, certe recogitat innumera veteris Testamenti loca, in quibus promittitur felicitas temporalis et æterna iis qui pie vivunt et Dei præcepta observant, v. gr. Ps. XXXIII, 13: *Quis est homo qui vult vitam*, (qui) *diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo* etc. Exod. XX, 12: *Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram.*

10 acceptione dignus. * In hoc enim
laboramus, et maledicimur, quia
speramus in Deum vivum, qui
est Salvator omnium hominum,
maxime fidelium.
11 * Præcipe hæc, et doce.
12 * Nemo adolescentiam tuam

quod dico de pietate in Deum, certum et omni acceptione dignum est. [10] Hæc autem firma persuasio nos omnesque homines pios roborat: ideo enim animose laboramus et contumelias patimur, quia speramus in Deo vivente; qui, cum velit salvare omnes homines, et reipsa salvet fideles christianos, etiam nobis salutem et felicitatem largietur.

[11] Fidelibus præcipe ut ea omnia quæ dixi opere compleant, et doce ut eadem mente teneant firmiterque profiteantur. [12] Cave ne levitati juvenili cuidam indulgeas, unde fieri possit ut quis te propter

10. *Ut Timotheo magis persuadeat pietatem ducere ad felicitatem, addit se aliosque christianos nonnisi per spem istius felicitatis in persecutionibus confirmari*, v. 10.

Maledicimur, refert lectionem *ονειδιζομεθα,* quæ invenitur in codd. uncial. DL, in minusculis longe pluribus, in verss. itala, vulg., goth., copt., syriaca utraque etc., quæque etiam a Tischendorfio fuit adoptata. Non est quod ab ea recedamus, ut cum Lachmanno legamus *αγωνιζομεθα, certamus,* quamvis ita habeant codd. unc. ACFGK, quia tot versiones antiquæ priori lectioni suffragantur.

In Deum vivum, *ζωντι, in Deo vivente;* speramus in Deo, qui vivit, quique adeo vitam quam promittit dare potest. Salvator omnium, sc. quod spectat ejus voluntatem seriam antecedentem. Vide supra ad II, 4. Maxime fidelium, quoniam ipsi, huic Dei voluntati fideliter obedientes et operam mutuam præstantes, revera salvantur.

11. *Monita practica, præsertim ad bonum exemplum omnibus dandum*, v. 11, et 12. — Præcipe et doce, præcipiens doce, cum auctoritate fidelibus trade, ait Estius; sed nulla est ratio quare illa duo seorsum non sumerentur: *præcipe* quæ facienda sunt, et *doce* quæ cognoscenda seu credenda sunt, nimirum iis in rebus de quibus mentio fit inde a III, 15.

12. Nemo adolescentiam tuam contemnat. Noli sic intelligere: non sinas te despici, sed utere auctoritate et imperio; nam obstat id quod sequitur *sed exemplum esto* etc.: verum sensum vide in paraphr. Ratio hujus moniti est: " Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur " (s. Greg., Hom. 12 in Ev.). " Adolescentiam: hæc juxta veteres usque ad

contemnat: sed exemplum esto
fidelium in verbo, in conversa-
tione, in charitate, in fide, in
13 castitate. * Dum venio, attende
lectioni, exhortationi, et doctri-
14 næ. * Noli negligere gratiam,

juventutem tuam contemnat; sed exemplar esto fidelium in sermone, in omni agendi ratione, in charitate, in fide, in puritate. [13] Donec veniam, diligenter trade lectiones, exhortationes et instructiones quæ in sacris conventibus fieri debent. [14] Noli negligere gratias spe-

annum 40 pertingebat. Paulus etiam vocatur *adolescens* in Act. Ap. VII, 57, quamvis ex diligenti vitæ ejus examine eruatur eum plus quam 30 annos tunc habuisse. Si ponamus Timotheum, quando socius Pauli factus est, Act. Ap. XVI, 1, circiter annos 20 natum fuisse, dicendum erit ipsum, tempore quo hæc epistola scripta fuit, nimirum post prima Pauli vincula Romana, ferme 34 annos habuisse, quæ quidem ætas junior sane æstimanda erat, præsertim quum Ephesi absque dubio plurimi essent viri ætate provectiores, in quos Timotheus auctoritatem exercere teneretur.

Exemplum etc. Omnes quidem fideles debent bonum exemplum dare: *Luceat lux vestra coram hominibus* etc., Matth. V, 16: sed multo magis ad hoc obligantur ministri sacri, ut docet Salvator, Matth. V, 14 et 15: *Vos* (Apostoli) *estis lux mundi* etc. Cf. Comm. nostr. ib. Pariter s. Petr. 1 ep. V, 3 *Forma facti gregis* (vide ann. nostr. ib.). Illud ipsum perfecit et Christus (Joan. XIII, 15 *Exemplum dedi vobis*), et s. Paulus, qui se aliorum imitationi pluries proponit, 1 Cor. IV, 16; Phil. III, 17; 2 Thess. III, 9. Per sanctitatem vitæ suppletur id quod deest juventuti: nam *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (Sap. IV, 8).

13. *Timotheum monet ut populum diligenter instruat.* — Attende lectioni, utique Scripturæ sacræ. Non autem putamus commendari lectionem privatam, a Timotheo frequenter instituendam (quod docet Estius); potius intelligimus lectionem sacram in publicis christianorum conventibus faciendam, instar lectionum quæ in Judæorum synagogis fieri solebant; cf. Act. Ap. XIII, 15; 2 Cor. III, 15; et s. Luc. IV, 16 sqq.

14. *Uti oportet gratiis in s. ordinatione acceptis,* v. 14. — Gratiam χαρισμα (non χαριν), quo vocabulo solet Apostolus intelligere donum extraordinarium seu miraculosum, quod ad aliorum proprie utilitatem datur (cf. 1 Cor. XII); hic autem minus congruit ea significatio stricta, quum 2 Tim. I, 6 de eodem loquens dono, adhortetur Timotheum ut illud

quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

ciales, quas ad munus tuum rite adimplendum accepisti, quando, propter revelationes de te factas, consecratus fuisti eipscopus, manibus tibi mecum imponentibus Ephesinis episcopis.

excitet, magisque inflammet; quamobrem vocem illam χαρισμα sensu generaliore explicamus de gratia quæ Timotheo, in ejus consecratione, concessa fuerat, ut munere episcopali recte fungeretur.

Per prophetiam. Græce δια προφητειας, quod Estius reddit *secundum prophetiam*, de te factam, et allegat I, 18; verum δια cum genit. causam significat, non, ut κατα, normam; et valde dubitem utrum δια cum gen. vel semel in novo Testamento significet *secundum*. Id quidem affirmat *Schleusner* in lex., et citat Rom. II, 12; 2 Cor. VIII, 5; Rom. XV, 32; sed omnino persuasum habeo in illis locis præpositionem δια sensum causalem retinere. *Mack* sumit προφητειας pro acc. plur., et explicat δια per *propter*, hoc sensu: propter prophetias de te factas (cf. I, 18), data est tibi consecratio episcopalis, adeoque gratia huic propria. *Bisping* autem cum Vulg. facit, *per prophetiam*, atque ita explicat: gratia episcopalis data est tibi per oraculum divinitus inspiratum, i. e. per formulam aliquam orationis a Deo revelatam. Sed parum obvia mihi videtur hæc vocis προφητεια significatio. In paraphrasi amplexus sum sententiam Mackii, quamvis cum quadam repugnantia.

Cum impositione manuum presbyterii. Nota *cum*, μετα, non *per*, δια (Estius gratuito asserit, præpositionem *cum* loco *per* fuisse positam); consecratio episcopalis facta est per solam impositionem manuum Apostoli, ut ipsemet testatur Paulus 2 Tim. I, 6; alii autem aderant *presbyteri*, qui *simul cum* eo manus imposuerunt; non quod plures essent consecratores proprie dicti; sed, cum Paulus ea peregit quæ Sacramento substantialia erant, alii adstantes episcopi (et presbyteri?) manus imposuernut per modum testium vel deprecantium; sicut v. gr. hodiedum, in ordinatione sacerdotum, alii sacerdotes manus imponunt ordinandis. *Presbyterium* intelligitur cœtus seu collegium *presbyterorum* illius ecclesiæ in qua ordinatus est Timotheus (Ephesinæ, ut videtur). *Presbyteri* autem (πρεσβυτεροι, *seniores*) vocantur superiores ecclesiastici, seu sacerdotes primi et secundi ordinis. S. Chrys. hic solos intelligit episcopos seu sacerdotes primi ordinis, cui sententiæ favet vetus Ecclesiæ mos, secundum quem, non simplices sacerdotes, sed soli episcopi manus imponunt episcopo ordinando.

15 * Hæc meditare, in his esto :
ut profectus tuus manifestus
16 sit omnibus. * Attende tibi, et
doctrinæ : insta in illis. Hoc
enim faciens, et teipsum salvum
facies, et eos, qui te audiunt.

[15] Eis, quæ supra dixi de officiis tuis, diligentissime incumbe, ut progressus magnos, omnibus perspectos, in episcopali munere perficias. [16] Attende tibi, ut sancte vivas, et doctrinæ tuæ, ut recte doceas; idque perseveranter fac; ita enim agendo, et teipsum salvum facies, et eos qui tibi acquiescunt.

Manuum autem *impositio* symbolum est in re religiosa sæpe usurpatum, quo cœlestis gratia vel beneficium quoddam supernum invocatur super aliquem vel aliquid (impositio deprecatoria), vel actu confertur alicui (impositio ad sanandum, vel ad consecrandum). In vetere Testamento, quando consecrabantur sacerdotes, super caput victimarum imponebantur manus (Exod. XXIX, 10, 15, 19); Moyses capiti Josue manus imposuit, quando eum ut populi ducem designavit (Num. XXVII, 18-23); Jacob eodem ritu duos filios Joseph adoptavit eisque benedixit (Gen. XLVIII, 14, 15). In novo autem Testamento (excepto forsitan loco Matth. XIX, 13, ubi Jesus pueris manus imposuisse legitur in signum benedictionis atque deprecationis), manuum impositio ubique significat gratiæ aut benedictionis efficacem largitionem, vel per miraculi operationem, vel per consecrationem, ut ostendi in ann. ad Act. Ap. XIII, 3. Igitur manuum impositio, de qua hoc v. 14, etiam est *consecratrix*, non mere deprecatoria, quatenus sub nomine *presbyterii* comprehenditur s. Paulus episcopus consecrator.

15. *Monitum ad profectum in sanctitate*, v. 15. — Hæc, sc. quæ dixit v. 12-14.

16. *Duplex finis laboris sacerdotalis.* Attende tibi. S. Bern., De consid. 2, 3 : " A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te " neglecto. Quid tibi prodest, si mundum universum lucreris, te unum " perdens? "

Teipsum salvum facies. Quamvis supra dixerit Deum esse omnium hominum salvatorem, recte tamen ait hominem seipsum salvare, quoniam unusquisque per liberum arbitrium divinæ gratiæ cooperari debet.

Cura pastoralis erga singulos, præsertim erga viduas, diaconissas, presbyteros etc.

CAPUT V.

1 * Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem : juvenes,
2 ut fratres: * anus, ut matres : juvenculas, ut sorores in omni castitate :
3 * viduas honora, quæ vere

[1] Hominem ætate provectum ne dure increpaveris; sed, si quid in eo sit corrigendum, verecunde obsecra eum ut se emendet, sicut filius faceret erga patrem. Erga juvenes autem age quasi essent fratres; [2] erga anus, quasi matres; erga puellas, quasi sorores, adeoque castissime per omnia.

[3] Viduas sustenta, quæ vere viduæ sunt, utpote humanis subsidiis et sola-

1. *Agendi ratio erga personas variæ ætatis*, v. 1 et 2. — SENIOREM, πρεσβυτερον : non *sacerdotem*, sed, ut patet ex sequentibus, *hominem ætate provectum*. NE INCREPAVERIS : græce est verbum επιπλησσειν τινι, plagam alicui inferre, dure tractare aliquem, acriter objurgare.

JUVENES UT FRATRES, supple, non *obsecra*, quod erga senes convenit, sed *admone, corripe*, vel quippiam tale. Similem ellipsim invenimus supra IV, 3 *prohibentium nubere, abstinere a cibis*. Jubetur Timotheus juvenes habere ut *fratres*, puellas ut *sorores*, quoniam ipse erat junioris adhuc ætatis; secus enim episcopi eos ut *filios* et *filias* compellare debent.

2. IN OMNI CASTITATE, refer ad *juvenculas ut sorores*, non ad præcedentia. Restringit aliquo modo quod dixit, ut moneat familiaritatem cum puellis vitandam esse, quia res est illecebrosa et malam suspicionem facile parit. S. Hier., ep. ad Nepot. : " Solus cum sola secreto et absque arbitro vel teste non sedeas. "

3. *Quænam viduæ sustentandæ sint*, v. 3-8 : *nimirum quæ a suis adjuvari nequeant*, v. 4, *et irreprehensibiles sint*, v. 7. — HONORA, sc. alendo, sustentando, ut in illo decalogi : *Honora patrem et matrem*, quod etiam de subsidio victus ipse Dominus exposuit, Matth. XV, 4, 6. Eodem sensu dicitur infra, v. 17, presbyteros probos duplici *honore* dignos esse. Ita s. Hier., ep. 123, ad Ageruch. Contextus plane demonstrat de *sustentandis* viduis quæstionem esse.

VERE VIDUÆ, secundum vocis etymologiam (χηρα, a χαω *vacuus sum*), orbata, desolata, destituta, sc. non tantum marito, sed omni humano subsidio; igitur vidua vere pauper. S. Aug. (In Deut. 9, 43) : " Hanc *vere* " *viduam* dixit, quæ non habet a quibus sustentetur; " et addit s. Hier.

4 viduæ sunt. * Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet : discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est

tiis viduatæ. [4] Si qua autem vidua filios aut nepotes habeat, vere vidua non est, neque ab Ecclesia sustentari debet ; oportet enim ut filii ejus et nepotes discant primum (antequam de iis publico Ecclesiæ sumptu alendis agatur) erga matrem suam aut aviam pietatem exercere ; atque ita progenitoribus suis rependant beneficia, quæ dum parvuli erant, ab eis acceperunt. Deus enim vult, et vehementer exo-

(ep. cit.) : " quæ manibus suis laborare non possunt, quas paupertas " debilitat, ætasque conficit : quibus Deus spes est, et omne opus oratio. "

4. Discat. In textu originali est *discant,* in plurali ; subjectum hujus verbi non est *vidua,* ut Vulgata habet (quamvis vox *vidua* posset collective sumi cum verbo in plurali) ; nam obstat contextus, quum agatur de viduis quibus oportet victus subsidia largiri : deinde in sententia Vulgatæ haud facile explicantur verba *et mutuam vicem reddere parentibus;* tandem, loco *regere,* græce est ευσεϐειν, *pie tractare,* pietatem filialem exercere. Ob illas rationes, subjectum verbi *discant* ponimus *filii aut nepotes.*

Primum, antequam agatur de publica earum sustentatione; aut : antequam filii isti et nepotes viduam illam Ecclesiæ commendent; aut : imprimis, antequam aliud curent. — Regere : gr. ευσεϐειν, quod sæpe de pietate erga Deum, hic vero de pietate filiali adhibetur. Domum suam, ιδιον, *propriam,* loco *matrem suam aut aviam,* propter antithesim ad Ecclesiam, quæ est eorum domus spiritualis, quæque istas viduas deberet pie tractare (ευσεϐειν) tamquam suas, si eis non essent filii.

Parentibus, προγονοις, *progenitoribus,* quia dixit *filios aut nepotes.* Progenitores suos pauperes alere tenentur, quoniam ab ipsis nutriti ac educati fuerunt.

Sensum, quem secuti sumus in hoc v. 4, amplectuntur Œcum., Theoph., Estius, Mack, All., Bisping, Me Evilly, Beel., Reischl, etc. Vulgatæ autem sensus est : si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam recte gubernare, antequam ad officium diaconissæ admittatur, atque tali modo beneficium educationis, quod a majoribus accepit, in filios et nepotes refundat. Ita s. Chrys., Theodor., s. Hier. (ep. cit.), s. Aug. (Conf. 9, 9, 12), s. Thom. etc. Sed alteri adhæreo explicationi, tum propter rationes allatas, tum quia nonnisi v. 9 incipit Apostolus loqui de viduis Ecclesiæ ministerio mancipatis.

5 coram Deo. * Quæ autem vere
vidua est, et desolata, speret in
Deum, et instet obsecrationibus,
6 et orationibus nocte ac die. * Nam
quæ in deliciis est, vivens mortua
7 est. * Et hoc præcipe ut irrepre-
8 hensibiles sint. * Si quis autem

ptat, ut filii parentes adjuvent. [5] Quæ autem vere vidua est, nimirum desolata, tum viro, tum filiis aut nepotibus, adeoque omni orbata subsidio humano, merito habet spem in Deo repositam, et orationi cultuique divino omni tempore intenta manere potest, eique vitæ necessaria Ecclesia præbere debet. [6] (Ea vero quæ non tantum non egena est et subsidio destituta, sed divitiis affluens se tradit deliciis, nomine christiano indigna est : vivens mortua est, ac tamquam mortua abjicienda). [7] Et viduis illis egenis præcipe ut semper sint deditæ orationi, atque irreprehensibiles. [8] Quod autem spectat ad officium filiorum

Hoc enim acceptum est. Ante *acceptum*, textus Receptus addit καλον και, *bonum et;* verum glossema est ex II, 3.

5. Speret, gr. ηλπικεν, præter. *speravit, spem collocavit.* Instet: græce est præsens *instat.* Non significat Apostolus omnes viduas ope destitutas id revera facere : sed, cum familiam non habeant neque divitias, adeoque a curis rerum temporalium sint liberæ, eas facile posse Deo soli inservire : quod quidem si agant, merito posse Deo confidere, quum ab Ecclesia nutriendæ sint, eisque numquam defutura sint vitæ necessaria.

6. Nam; græce constanter δε *autem,* conjunctio adversativa. In deliciis est: σπαταλωσα, *in deliciis agens,* delicate et luxuriose vivens. Vivens mortua est, vivens corpore coram hominibus, reipsa coram Deo quoad animam mortua est. Cf. Eph. V, 14. S. Aug. (Tract. 47 in Joan.): " Vita carnis tuæ, " ait, anima est; vita animæ tuæ Deus est. Quo modo moritur caro amissa " anima, quæ vita est ejus: sic moritur anima amisso Deo, qui vita est " ejus. "

7. Hoc (potius *hæc* ταυτα) præcipe: refer ad v. 5, non autem ad v. 4.

De VIDUIS cf. s. Ambr., libr. *de viduis ;* s. Aug. libr. *de bono viduit.;* s. Hier., ep. ad Furiam, ep. ad Salvinam. Vide etiam vitas s. Paulæ, Blesillæ, Melaniæ ab eodem conscriptas : nempe in ep. 108 ad Eustoch. scribit de vita Paulæ ; in ep. 137 ad Principium, tradit Marcellæ epitaphium; in ep. 38 ad Marcellam, et 39 ad Paulam, agit de Blesilla.

8. *Generali assertione confirmat quod* v. 4 *dixit oportere ut filii adjuvent parentes.* — Si quis, sc. filius aut nepos, cf. v. 4. Qui autem sensui Vulgatæ in v. 4 adhærent (ut s. Chrys. aliique), hæc ad viduam rursum

suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.

9 * Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit

erga parentes pauperes, id assevero : si quis propinquorum suorum, et præsertim, proximorum consanguineorum, curam non habeat, fide christiana est indignus : operibus suis fidem rejicit, imo infidelibus deterior ex hac parte evadit, quum hi lege naturæ ducti in familiam servent pietatem.

[9] Ad cœtum viduarum Deo consecratarum eligantur viduæ non minus sexaginta annorum, quæ semel tan-

referunt; et verba græca ει τις vertunt *si qua* sc. vidua: sed cum Vulgata retinendum nobis videtur genus masculinum. — Domesticorum, eorum qui ad domum seu familiam pertinent. *Mack* intelligit *fidei domesticos* (cf. Gal. VI, 10), christianos quosvis; sed nulla est ratio recedendi a sensu obvio et proprio.

Fidem negavit, sc. factis (cf. Tit. I, 16), siquidem ea facit quæ christianam religionem in contemptum adducunt, quæque causa sunt quare nomen Dei et doctrina Christi blasphementur. Charitas fraterna erat signum proprium et singulare religionis christianæ (cf. Joan. XIII, 34, 35); quamobrem ei maxime contrarium erat quod fideles proximos conjunctissimos negligerent.

9. *Quænam viduæ ad officium diaconissarum sint eligendæ*, v. 9-15. — Eligatur : gr. καταλεγεσθω, a κατα et λεγω, eligo, delectum habeo, in *catalogum* refero, inscribo; quod proprie dicitur de iis qui in numerum militum aut civium referuntur.

Interpretes plerique (inter alios s. Chrys., Theod., s. Hier. ep. ad Salvinam, s. Thom., Estius) opinantur sermonem institui de iisdem viduis de quibus hactenus v. 3-8; et *eligatur* explicant per *in catalogum viduarum, publicis sumptibus alendarum, referatur.* Verum cum s. Epiph. (Hær. 79, 4), Tertull. (Ad uxor. 1, 6), Baronio, A Lapide, All., Mack, Bisping, Beel., Reischl, intelligimus de vidua quadam primaria, ad ministerium ecclesiasticum assumpta, quales erant in primitiva Ecclesia *Diaconissæ* (cf. Excurs. de *Diaconis et Diaconissis* ad Act. Ap. VI, 6). Quæ quidem sententia ex dotibus, quas habere debent viduæ illæ, demonstratur. Etenim, quis dicere ausit nullam viduam ante ætatem 60 annorum nutriendam fore; nullam etiam quæ secundas nuptias inierit? Quomodo Apostolus juniores viduas ad alterum matrimonium adhortatur, si, secundo marito defuncto, eleemo-

10 unius viri uxor, * in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si

tum nuptias inierint; [10] de quibus testatum sit eas bonis operibus deditas esse, v. gr. quod filios sancte educaverint, hospitalitatem exercuerint, præsertim quod erga fideles et fidei ministros sese obsequiosas præstiterint, eorum pedes lavantes etc., quod afflictis opem

synis publicis in perpetuum privari debeant? Præterea, dotes eximiæ virtutis et bonorum operum (v. 10) requirere in iis quibus oportet victum subministrare non convenit, bene vero in iis quæ ad publicum aliquod officium eliguntur. Tandem, quum v. 11 scribat non admittendas esse juniores viduas, ne, luxuriantes in Christum, nubere velint et damnationem habeant, quia primam fidem fregerunt: id sane non intelligit de vitæ subsidiis talibus denegandis.

Igitur persuasum nobis est, Apostolum non agere de viduis quibusvis pauperibus, quibus oporteat eleemosynas præbere; sed de speciali quodam viduarum genere, quæ peculiari modo se Deo devovent, atque in Ecclesia officium quoddam exercent, quo aliis mulieribus vel puellis præsint, vel sacerdotes et diaconos in ministerio ecclesiastico adjuvent; quæque ideo, sicut et alii Ecclesiæ ministri, ad honestam vitæ sustentationem jus habeant. Verum ambiguum mihi videtur, utrum viduæ illæ sint *diaconissæ* proprie dictæ; ratio dubitandi hæc est, ætatem 60 annorum nimis provectam videri, ut viduæ istæ omnibus et singulis *diaconissarum* muneribus rite fungi possint. Fortasse dicendum, de diaconissis stricte dictis mentionem fieri supra III, 11, hic vero de cœtu quodam viduarum, quæ, rebus temporalibus abdicatis, votum emittebant a novis nuptiis abstinendi, Deique ministerio se totas impendendi pro viribus suis: quæ proinde in rebus multis diaconissis proprie dictis auxilio erant.

Unius viri uxor. Ut diximus supra III, 2, intelligi debet de ea quæ ab alteris nuptiis abstinuit, non autem de ea quæ plures viros simul non habuerit: hoc enim ultimum tamquam naturæ legibus adeo contrarium semper et ubique judicatum fuit, ut numquam cogitasset Apostolus necesse esse tale crimen excludere.

10. Si filios educavit, etc. Per partes, seu per exempla, explicat quod generatim dixit: *in bonis operibus testimonium habens.* S. Chrys. (Hom. 9): "Exerceamus ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos: cetera "omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil "eis pecuniæ proderunt; sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur."

tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

11 * Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere vo-
12 lunt: * habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerint:

tulerint: verbo, quod bona opera cujuscunque generis perfecerint.

[11] Viduas autem juniores in numerum illarum ne admittas; periculum enim est ne, ab Ecclesia bene nutritæ, lascivire incipiant adversus Christum, cui se consecraverunt, et nubere velint: [12] quod quidem damnationi est obnoxium, quoniam ita fallunt fidem Christo datam, quando votum emiserunt a secundis

Si sanctorum pedes lavit, magis determinat verba *si hospitio recepit.* Lotio pedum, quæ secundum Orientalium mores ad hospitalitatem omnino pertinet, omne genus humilioris obsequii, hospitibus debiti, per synecdochen comprehendit. Exempla vide Abrahæ, Gen. XVIII, 4; Abigail, 1 Reg. XXV, 41; mulieris peccatricis, Luc. VII, 37; Mariæ, Matth. XXVI, 6, coll. Joan. XI, 2 (hæc videtur distinguenda a præcedente: cf. Comm. nostr. in Matth.); tandem ipsius Christi in ultima cœna.

Subministravit, επηρκεσεν (επι et αρκεω *sufficio*), sufficientia dederit, suppeditaverit omnia quæ ad eorum necessitatem sublevandam requirantur.

11. *Quare inter mulieres Deo consecratas admitti nequeant viduæ juniores*, v. 11-15. — Adolescentiores, νεωτερας, non significat: quæ minus quam 60 annos habent; sed: quæ sunt nimis juvenes, quæ in adolescentia seu ætatis flore adhuc sunt. Devita: παραιτου, *repudia*, recusa, non admitte: antithesis ad *eligatur*, v. 9, non autem ad *honora* v. 3; agitur enim, ut ad v. 9 diximus, de iis quæ in cœtum viduarum sacrarum admittendæ haud sunt.

Luxuriatæ in Christo: gr. *luxuriatæ* (*lascivientes, gestientes*) *adversus Christum.* Estius merito suspicatur ab interprete Vulgatæ scriptum fuisse *in Christum*, idque per incuriam librariorum mutatum fuisse. — Nubere volunt. Nota vel ipsam nubendi *voluntatem* malam dici: quod sane explicandum est de iis quæ votum habent abstinendi ab alteris nuptiis.

12. Fidem irritam fecerunt, promissionem violarunt Christo factam de continentia deinceps servanda, seu de altero connubio non contrahendo. Primam fidem: *primus* pro *prior*, per hebraismum: fidem antea datam; sic Apoc. II, 4 *Charitatem tuam primam reliquisti.* Veteres Protestantes, ex eo quod vota, præsertim continentiæ, improbarent, violentas excogitarunt explicationes: v. gr. fidem christianam abjecerunt, promissionem inserviendi Ecclesiæ violarunt, etc. Verum recentiores Protestantes, etiam rationalistæ, ut De Wette, ingenue fatentur hunc locum de rupto voto non

13 runt. * Simul autem et otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non
14 oportet. * Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

nuptiis abstinendi. [13] Præterea juniores istæ, dum domos circumeunt, facile discunt esse otiosæ; et non solum otiosæ, sed garrulæ, et curiosius inquirunt in aliorum negotia; unde sæpe verbis peccent, talia loquentes quæ non decent. [14] Ad hujusmodi incommoda vitanda, consilium do ut juniores alteras ineant nuptias, ex quibus filios procreent, quos tamquam bonæ matresfamilias rite educent; adeo ut Judæis et gentilibus adversariis nostris nullam dent occasionem male loquendi de religione chri-

amplius nubendi, cum omnibus ss. Patribus et catholicis interpretibus, intelligendum esse. Et hic quidem sensus aperte eruitur ex hoc quod Apostolus dicat *eas habere damnationem quia nubere volunt atque adeo fidem violarunt*: utique fides, quæ violatur per solam voluntatem nubendi, intelligitur promissio seu votum continentiæ.

13. *Alia ratio ob quam juniores viduæ admittendæ non sint*, v. 13. — Otiosæ etc. : cf. 2 Thess. III, 11. Discunt circuire. Græce, loco infinitivi *circuire*, est participium: *simul et otiosæ discunt circumeuntes*, etc. Constructio sane difficilis; verbum *discunt* jungimus cum *otiosæ*, et supplemus *esse*, hoc modo: *discunt esse otiosæ, circumeuntes domos*, i. e. dum propter muneris exigentiam domos circumeunt, facile discunt esse otiosæ. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.*, § 46, 1.

14. Volo ergo etc. Non vult absolute et simpliciter ut viduæ juniores alterum ineant matrimonium; hoc enim iis quæ dixerat 1 Cor. VII, 8, 40, ubi generatim viduas ad continentiam adhortatur, contrarium esset; sed loquitur de iis viduis, quæ, ut Ephesi videtur accidisse, contra Christum lasciviunt, otio se tradunt etc.; de quibus prævidendum est fore ut post votum continentiæ rursum velint nubere. Iis igitur, et cæteris hujusmodi, consilium dat alteras nuptias contrahendi; quod quidem consilium plane concordat cum iis quæ ibidem docuit: *Melius est nubere quam uri. Iterum revertimini in idipsum... propter incontinentiam vestram.* Recte et acute s. Chrys. ait: *volo, quia ipsæ volunt;* et s. Hier. (ep. ad Ageruch.): " Melius est, inquit, digamum esse quam scortum. "

Adversario. Noli intelligere diabolum (s. Chrys.), sed religionis christianæ inimicum, tum Judæum, tum gentilem (Estius). Cf. Tit. II, 8. — Maledicti

15 * Jam enim quædam conversæ
16 sunt retro satanam. * Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia: ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat.

17 * Qui bene præsunt presby-

stiana. [15] Illud autem suadeo, quoniam jam quædam, votum continentiæ infringentes, per apostasiam deflexerunt a fide, et secutæ sunt diabolum. [16] Si quis christianus aut quæ christiana in sua familia habent viduas juniores quæ egestatem patiuntur, debent eis vitæ necessaria subministrare, ne Ecclesia cogatur eas alere, atque nimia pauperum copia gravetur: unde fieret ut sustentandis viduis, quæ vere viduæ sunt, et omni humano subsidio destitutæ, Ecclesiæ opes non sufficerent.

[17] Superiores ecclesiastici (episcopi et

GRATIA. Cl. Drach recitat verba quædam s. Aug., quæ pro nostra ætate scripta videntur: "Ad quid enim aliud sedent isti, et quid aliud captant, "nisi ut quisquis episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis "ceciderit, omnes tales esse credant, jactent, contendant, sed non omnes "posse manifestari (Ep. 78, ad cler. et pleb. Hippon., n. 6)."

15. *Experientia docet juniores viduas non admittendas esse*, v. 15. — CONVERSÆ SUNT RETRO SATANAM. Græce, *aversæ sunt* seu *deflexerunt post satanam;* constructio prægnans (de hujusmodi syntaxi cf. BEELEN, *Gramm. græc. N. T.* § 66, III, γ): deflexerunt a fide, et abierunt post satanam. Dico *deflexerunt a fide*, vel, ut alii, *a via virtutis* seu *sanctitatis:* per hoc nempe quod lapsæ sint in fornicationem, vel matrimonium cum ethnico inierint (Bisp., Mack).

16. *Viduæ juniores a propria familia alendæ sunt*, v. 16. — SI QUIS FIDELIS. Lectio probabilior: *si quis fidelis aut quæ fidelis*, cum codd. DKL, verss. syr., arab., slav., et cum s. Chrys., Theod., etc. Favet pluralis *viduas*. Quum videatur agi de viduis junioribus (de aliis enim supra jam sermo fuit v. 4), per voces *quis fidelis aut quæ fidelis* non cum Estio intelligimus filios aut nepotes, sicut supra v. 4, sed parentes aut patruos et avunculos. SUMINISTRET, *ἐπαρκείτω*, tribuat sufficientia vitæ subsidia: verbum eodem sensu sumitur v. 10.

17. *Ministri sacri, qui bene funguntur officio suo, large sustentandi sunt*, v. 17 et 18. — PRESBYTERI, sacerdotes primi et secundi ordinis, seu episcopi

teri, duplici honore digni ha-
beantur: maxime qui laborant
18 in verbo et doctrina. * Dicit
enim Scriptura: Non alligabis
os bovi trituranti. Et: Dignus
est operarius mercede sua.
19 *Adversus presbyterum accu-

presbyteri), qui suo rite funguntur munere, copiosa vitæ sustentatione digni habeantur, præsertim ii qui laborant in opere prædicationis evangelicæ;
18 quod quidem ut fiat vult Scriptura, quæ dicit alligari non posse os bovis spicas frumenti in area triturantis, adeoque impediri non posse quominus animalia in segetibus laborantia de segetibus edant: a fortiori ministri sacri de labore suo nutriendi sunt, cum proverbium sit operarium dignum esse mercede sua.
19 Adversus sacerdotem (tum primi,

et presbyteri stricte dicti. Honore: honesto corporis alimento per subsidia temporalia, ut supra v. 3 *viduas honora*. Duplici honore: istud *duplex* urgeri non debet, quasi duplo plus quam viduæ aut diaconi; potius explicatur per Hebraismum, pro *multo* et *copioso*. Cf. Is. XL, 2; Jerem. XVI, 18; XVII, 18 etc.

Laborant: verbum apte selectum, quia doctrinam sacram tradere sicut oportet, non parvi *laboris* est: unde doctor mox comparatur cum bove triturante et homine operario (Estius). Maxime qui laborant etc. Ergo erant etiam alii sacerdotes, qui bene præerant quin laborarent *in verbo et doctrina:* eos intellige, qui, cum ad prædicationem verbi minus essent idonei, Sacramentorum ministerio præcipue vacabant.

18. *Ex Scriptura probat ministro Evangelii jus esse ut honestum victum recipiat*, v. 18. — Non alligabis etc. ex Deut. XXV, 4; quem locum explicavimus supra 1 Cor. IX, 9.

Dignus est operarius mercede sua. Hæc ut proverbium habemus, adeoque verba *dicit Scriptura* ad sola *Non alligabis os bovi trituranti* referimus. Nusquam enim in V. T. occurrunt illa *dignus est* etc. (aliter sonant quæ aliquando indicantur Lev. XIX, 13 et Deut. XXIV, 14); nec probabile videtur quod censet Theophylactus, citari Matth. X, 10 et Luc. X, 7, ubi eadem occurrunt verba; nam, etiamsi ponamus eo tempore jam edita fuisse Matthæi et Lucæ Evangelia, valde dubium est eadem Paulo jam innotescere potuisse; præterea, verba Domini in Evangeliis conscripta, in novo Testamento numquam allegantur sub formula *dicit Scriptura*, aut citationi ex V. Testamento annectuntur.

19. *Quomodo agendum adversus presbyteros criminis reos*, v. 19-21. — Sub

sationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.
20 * Peccantes coram omnibus argue: ut et ceteri timorem
21 habeant. * Testor coram Deo, et Christo Jesu, et electis an-

tum secundi ordinis) accusationem noli recipere, nisi hæc a duobus vel tribus testibus idoneis fiat. [20] Eos autem qui gravis peccati sunt rei, coram omnibus, in publico ecclesiæ conventu, argue et severe puni; ut et cæteri, sive Ecclesiæ ministri, sive simplices fideles, salutarem habeant timorem, et hoc metu a similibus peccatis abstineant. [21] Adjuro te coram Deo omniscio, et coram J. C. omnium judice, et coram sanctis angelis,

DUOBUS TESTIBUS: idem observandum erat erga omnes, secundum Deut. XIX, 15: quomodo igitur id statuitur tamquam peculiare quid pro *sacerdotibus?* Resp. Latet hic argumentum a minori: si nemo, ne laicus quidem, condemnandus est propter unius testimonium, quanto minus sacerdos. Sic supra III, 2 episcopis præscribitur ut sint *irreprehensibiles,* non *vinolenti,* non *percussores* etc., quod sane omnibus fidelibus injungendum erat. Conc. Later. IV, can. 8: " Licet hoc sit observandum in subditis, diligentius " tamen observandum est in prælatis, qui quasi signum sunt positi ad " sagittam; et, quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio " teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum " suspendere, nonnumquam vero ligare, frequenter odium multorum in- " currunt et insidias patiuntur. " Estius ita solvit quæstionem: non dicit Apostolus *noli condemnare,* sed *noli recipere accusationem;* hoc autem peculiare quid est, ut ne ipsa quidem accusatio admittatur, nec sacerdos judiciali examini subjiciatur, antequam examinati fuerint testes, an sufficientes, an idonei sint. Explicatio nimis acuta.

20. CORAM OMNIBUS, fidelibus; nulla est ratio quare restringatur ad solos presbyteros. Quod autem Apostolus dicit de presbyteris, pro subjecta materia, hoc ad omnes peccantes extendendum est, cum Conc. Trid., sess. 24, cap. 8: " Apostolus, ait, monet publice peccantes palam esse corripiendos..., " ut quos exemplo suo (quis) ad malos mores provocavit, suæ emendationis " testimonio ad rectam revocet vitam. " Cf. Matth. XVIII, 17: *Dic Ecclesiæ.*

21. TESTOR, διαμαρτυρομαι, *obtestor;* verba sunt, non jurantis, sed adjurantis et obtestantis (Estius). ELECTIS ANGELIS, qui actionum humanarum spectatores sunt, adeoque et testes erunt in judicio: Matth. XVI, 27: *Venturus*

gelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

22 * Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.

23 * Noli adhuc aquam bibere,

fidissimis testibus, ut hæc, quæ modo dixi de judicandis sacerdotibus, observes, et procedas mature et juste, sine præjudicata et temere concepta opinione, nihilque facias secundum propensionem in alterutram partem.

22 Nemini cito et inconsiderate sacram confer ordinationem, ne particeps fias peccatorum quæ ministri isti indigni committerent. Ut autem possis aliorum vitam recte probare, teipsum ab omni scelere, et a peccato præsertim carnali, purum custodi.

23 Non tamen nimis esto severus in

est... cum angelis suis. Vocantur *electi*, εκλεκτοι, vel ad distinctionem angelorum reproborum, i. e. dæmonum (Estius); vel *electi* est epitheton ornans, idem ac εντιμοι, *honore digni, sancti.*

SINE PRÆJUDICIO (προκριμα) adversus quempiam; NIHIL FACIENS IN ALTERAM PARTEM DECLINANDO, κατα προσκλισιν, secundum propensionem, i. e. præjudicium in gratiam cujuspiam. Notum est illud antiquorum de Jove, seu de justitia, dictum: " duas æquato examine lances sustinet (Virg. 12, 725). "

22. *Ordinandos serio examinare oportet*, v. 22. — MANUS... IMPOSUERIS, ad solemnem sacrorum ministrorum Ordinationem; non, ut De Wette rationalista voluit, ad absolutionem peccatorum: nam, etsi faveant ipsi quæ statim præcedunt (agitur enim v. 19-21 de peccatoribus absolvendis aut condemnandis), nobis tamen favet consueta significatio dictionis *manus imponere.* Cf. supra IV, 14. S. Leo (ep. ad episc. Afric. 2): " Quid est *manus cito* " *imponere*, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante " meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem " tribuere ? "

TEIPSUM CASTUM (αγνον, *purum*) CUSTODI. S. Aug. connectit cum verbis præcedentibus, hoc modo: ne communicaveris peccatis alienis, sed ab illis purum serva teipsum. Verum melius est id sumere ut alterum præceptum, propter emphasim quæ est in pronomine *teipsum* initio phraseos; hoc sensu: teipsum purum serva, præsertim ab omni peccato contra castitatem, ut cum auctoritate et fructu peccantes arguere possis.

23. *Obiter dehortatur Timotheum a nimia temperantia*, v. 23. — NOLI ADHUC AQUAM BIBERE; gr. μηκετι ὑδροποτει, quod melius vertitur: *noli deinceps esse*

sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.
24 * Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium: quosdam autem
25 et subsequuntur. * Similiter et facta bona manifesta sunt : et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

teipsum ; igitur noli amplius solam bibere aquam, sed propter stomachi debilitatem et frequentes tuas infirmitates modico utere vino.

[24] Dixi ordinandos mature probandos esse antequam admittantur : moneo autem quosdam esse adeo manifestos peccatores, ut examinandi non sint, sed jam ante judicium repellendi ; quidam tamen sunt peccatores occulti, qui non cognoscuntur nisi post serium examen.

[25] Similiter, quidam adeo manifesto dediti sunt bonis operibus, ut judicium non requiratur ; ii vero, qui non tam aperte boni ac idonei apparent, occulti non manebunt, sed per examen innotescent.

De servis. Contra avaritiam. Monita ad Timotheum.

CAP. VI.

1 * Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore

[1] Christiani omnes qui servi sunt, adeoque jugum illud durum gestant, dominos suos etsi paganos honorent,

aquæ potator; i. e. talis qui aquam tamquam solum et ordinarium potum adhibet. Si versiculum hunc oporteat præcedentibus nectere, dicam cum Estio : quamvis te ad servandam castitatem adhorter, nolo tamen ut immodica severitate in alteram partem pecces et valetudini noceas. Timotheus certe a vino abstinebat, ut castitatem melius servaret; et merito quidem, namque, ut ait s. Hier. : *Venter æstuans vino spumat in libidinem.* Cf. supra III, 3, et ann. Eph. V, 18. — Modico utere vino. *Modico,* ait, ut ostendat quantopere sibi placeat temperantia.

24. *Redit ad examen circa ordinandos instituendum,* v. 24-25. — Refertur ad v. 22, ut videre est in paraphrasi. Itaque *judicium,* κρισις, intelligitur probatio quæ Ordinationem sacram præcedit.

25. Facta : gr. εργα, *opera.* Post *manifesta sunt,* ex v. 24 supple *præcedentia ad judicium.*

1. *Quid servos sit docendum,* v. 1 et 2. — Servi. Cf. quæ de servis scripta sunt 1 Cor. VII, 21; Eph. VI, 5; Col. III, 22; Tit. II, 9; ad Philem. 16; 1 Petr. II, 18. Servos cogitat paganorum, ut eruitur ex verbis *ne*

dignos arbitrentur, ne nomen
Domini et doctrina blaspheme-
2 tur. * Qui autem fideles habent
dominos, non contemnant, quia
fratres sunt: sed magis serviant,
quia fideles sunt et dilecti, qui
beneficii participes sunt. Hæc
doce, et exhortare.
3 * Si quis aliter docet, et non

eisque bene serviant; ne, si contumaces se præbeant, male loquantur ethnici de Deo et de christianismo, quasi permittant non obedire. [2] Illi autem servi, qui dominos habent christianos, non contemnant eos, quia in re religiosa fratres sunt et æquales coram Deo; sed contra, majore cum fidelitate eis serviant, quia domini isti quibus bonum servitium præstant christiani sunt, adeoque filii Dei dilecti, et proinde majore digni æstimatione et honore. Hæc doce et exhortare.

[3] Si quis talia doceat quæ a doctrina

nomen Domini et doctrina blasphemetur, et ex antithesi vers. 2. — SUB JUGO. Hoc addit, non pleonastice, sed ut innuat se obedientiam præcipere, quamvis sciat duram esse servorum conditionem. Quum HONORE DIGNOS ait esse dominos, sub voce *honore* internam reverentiam et obedientiam externam complectitur.

2. QUIA FRATRES SUNT, sc. domini, non servi, ut patet ex sequentibus. QUI FIDELES SUNT ET DILECTI, rursum, secundum probabiliorem sententiam, refertur ad dominos, non autem ad servos.

QUI BENEFICII PARTICIPES SUNT. *Per beneficium*, græce ευεργεσιαν, intelligimus cum Beel., Bisp., Mack etc. *servitium* seu *ministerium bonum*, quod servi christiani prompto et libenti animo dominis suis præstant, hoc modo: *quia* domini, *qui beneficium* seu ministerium servorum *participant, fideles sunt et dilecti*. Versio syriaca verba illa ad dominos etiam refert, et vocem ευεργεσια de bono servorum ministerio explicat; sed verbum αντιλαμβανομενοι (*participes sunt*) vertit *qui contenti sunt ministerio eorum*. Allioli aliique interpretes beneficium cogitant redemptionis et sanctificationis, hoc sensu: magis serviant dominis suis, quia hi christiani sunt, filii Dei dilecti, adeoque ejusdem beneficii spiritualis participes. Sed esset tautologia quædam cum *fideles, fratres;* deinde vocatio ad fidem alibi non designatur per ευεργεσια. S. Chrys. vero, Theoph., Estius referunt ad servos, hoc modo: magis serviant, qui beneficentiæ dominorum suorum participes sunt, idque nunc liberalius quam olim; i. e. qui ab eis nunc benignius quam antea tractantur.

3. *Contra pseudo-doctores, qui lucrum quærunt*, v. 3-5. — SI QUIS ALITER DOCET. Non oportet ita cum præcedentibus connectere, ut putemus apud

acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est,
4 doctrinæ : * superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones
5 malæ, * conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.
6 * Est autem quæstus magnus

evangelica aliena sunt, adeoque non sequatur veram Jesu Christi doctrinam, qua Deus recte et sincere colitur : [4] iste superbia est inflatus, quamvis nullam habeat veram scientiam, sed potius frivolis et inanibus quæstionibus et disputationibus male delectetur; ex quibus nascuntur invidia, contentio, convicia, malæ suspiciones, [5] conflictationes. Atque hæc vitia sunt hominum mente corruptorum, veritateque destitutorum, qui existimant ex Dei cultu lucrum esse faciendum.

[6] Et re quidem vera, ex Dei cultu lucrum magnum ducitur ; ex eo enim

Ephesios fuisse tales, qui, sub falso nomine evangelicæ libertatis, servos ab officio avocarent. *Aliter docere*, ἑτεροδιδασκειν (hujus sign. vide supra I, 3), opponitur verbo *docere*, v. 2; ut videre est in paraphrasi. Et non acquiescit... explicat quid sit *aliter docere*. — Pietatem, ευσεβειαν, verum Dei cultum.

4. Superbus: " Si non esset superbia, non essent hæretici, neque schi-" smatici (s. Aug., De vera relig., 47). " — Languens circa, νοσων περι (*ægrotare circa aliquid*) animo languenti et malesano inutiles quæstiones excogitans. Blasphemiæ, βλασφημιαι (a βλαπτω, *noceo*), *maledicta*, hic in homines, non in Deum; adeoque convicia, probra, quibus disputatores contentiosi se mutuo impetunt.

5. Conflictationes: διαπαρατριβαι, vera lectio est, quam Vulgata scite reddidit per *conflictationes;* nam δια sign. *vicissim*, et παρατριβη, *conflictatio* (παρα *ad* et τριβω, *frico*, *perfrico unam rem altera*), igitur *mutua contentio*. Textus Receptus habet παραδιατριβαι, *inutiles*, *noxiæ* (παρα) *disputationes*.

Quæstum esse pietatem, i. e. quæcumque ad religionem spectant, adhibent ad lucrum temporale faciendum. Post verbum *pietatem*, textus græcus Receptus addit *sejungere a talibus*, cum codd. KL., vers. syr.; verum hæc omittenda sunt, ut in codd. AD*FG, verss. it., vulg., goth., copt., sahid. etc.

6. *Contra lucri studium seu avaritiam*, v. 6-10. — Correctio rhetorica, ait Estius, qua quod Apostolus vituperaverat, in contrarium vertit, sensu mutato; quasi dicat : imo vero, si quis recte judicet, pietas magnus est quæstus, non ad bona terrena acquirenda, sed ad id quod omnibus bonis

7 pietas cum sufficientia. * Nihil
enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec
8 auferre quid possumus. * Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

9 * Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum,

discimus contenti esse iis quæ habemus, et hoc magnum sane est bonum. [7] Quare plura desideremus quam quæ necessaria sint ad vivendum? Nihil nobis erat quando in mundum venimus, et profecto nihil nobiscum asportabimus quando moriemur; [8] si autem habeamus victum, amictum et habitationem, his contenti simus, nec aliud quid lucrari conemur.

[9] Qui autem divitias appetunt, incidunt in multas peccandi occasiones, quibus velut retibus implicantur, et in multa desideria insipientia et nociva, quæ homines in interitum spiritualem et perditionem æternam mergunt.

desiderabilius est. Et re quidem vera, ex ea discimus contenti esse iis quæ habemus: quare vere dives est, et felicissimus, qui nulla jam re indiget terrena. " Affatim dives est, qui cum Christo pauper est " (s. Hier. ep. ad Heliod. *Quanto amore*). Cf. Phil. IV, 11; Hebr. XIII, 3.

7. Cf. Job. I, 21: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* Ps. XLVIII, 18: *Cum interierit* (dives), *non sumet omnia*, i. e. nihil hinc secum asportabit.

8. Quibus tegamur: gr. *σκεπασματα*, *tegumenta*, quod latius patet quam *vestimenta;* comprehendit etiam domum. Prov. XXX, 8 *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria*, et addit rationem quam vide ib. Vita mortalis quasi in deserto ducitur: " atqui nudos amat eremus " ait s. Hier. ib. Debemus rebus superfluis nos spoliare et sanctam colere paupertatem.

9. *Aliud argumentum contra divitiarum studium:* primum erat, per divitias qua tales nullam dari felicitatem; efficaciorem autem esse pietatem, quæ hominem sua sorte contentum reddit; nunc 2m argumentum: studium divitiarum ad malum impellere.

Qui volunt divites fieri: non dicit *qui divites sunt*, ne divitiarum possessionem damnare videatur. — Diaboli, in codd. D*FG, verss. ital. et vulg.; est glossema ex III, 7. — Inutilia, refert *ανονητους,* sed vera lectio est *ανοητους, stulta.*

In interitum et perditionem, geminatio ad emphasim; vel *interitus* intelligitur peccatum mortale, et *perditio* æterna damnatio. Quæritur utrum peccatum sit velle ditari? Respondetur: id per se malum non est;

10 et perditionem. * Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.
11 * Tu autem, o homo Dei, hæc

[10] Radix enim omnium malorum est pecuniæ amor seu avaritia; adeo quidem ut nonnulli, dum pecuniam appeterent, a fide erraverint, et multis anxietatibus tamquam spinis semet ipsi transfixerint.
[11] Tu autem, o Timothee, qui te ipse

res pendet tum a natura istius voluntatis, utrum sit ordinata et moderata necne, tum etiam ab usu in quem divitiæ adhibendæ sint; sed quærere divitias quomodo plerique hominum eas quærunt, raro sine peccato est. Loquitur itaque Apostolus de eo quod communiter fit. Ex verbis ejus colligimus divitias pondus esse quo ad terram trahamur atque a Deo removeamur : dicamus ergo cum s. Hier. ib. : " Libet, sarcina corporis " abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem. "

10. Cupiditas, φιλαργυρια, *pecuniæ amor.* Quare dicitur radix omnium malorum, quum, teste Ecclesiastico X, 15, *superbia* sit *initium omnis peccati?* S. Thomas distinguit inter *initium* et *radicem; initium,* seu germen totius arboris malæ est superbia, quatenus peccatum est aversio a Deo; *radix* autem, a qua arbor habet alimentum, est avaritia seu cupiditas, quum peccatum, quatenus est conversio ad bonum commutabile, a cupiditate sumat nutrimentum. Secundum hanc doctrinam valde profundam, duæ sunt radices primariæ omnium peccatorum, superbia et cupiditas, quæ tamen duæ in unam concrescunt; sicut unum peccatum mortale duo elementa primaria, aversionem a Deo, et conversionem ad creaturam, complectitur. — Omnium malorum : Virg. " Quid non mortalia " pectora cogis, Auri sacra fames !

Quam quidam appetentes. *Quam* grammatice refertur ad *cupiditatem;* quæ vox abstracta sumi debet pro concreta, hoc sensu : appetentes cupiditatem, i. e. res concupitas, bona terrena, pecuniam etc. Cl. Mack autem relativum *quam* refert logice ad *pecuniam,* quæ latet in voce φιλαργυρια.

Inseruerunt, videtur referre περιεσπειραν ; sed vera lectio est περιεπειραν, *transfixerunt.* Tacita est comparatio divitiarum cum spinis, circa quam vide parabolam de seminatore, Matth. XIII, 22. Monitionem hanc circa divitias perficit Apostolus infra v. 17-19. De periculis divitiarum plura diximus in Comm. nostro s. Matth. (3ª ed.) : vide ibi indicem XIV sub voce *Divitiæ.* Cf. etiam ann. nostr. in ep. s. Jac. V, 2 sqq.; I, 10, 11.

11. *Monitum generale ad vitam sanctam et muneris sacri debitam adimpletionem,* v. 11 et 12; *quod duplici ratione confirmatur,* 1° *exemplo Christi,* v. 13, *et* 2° *spe cœlestis mercedis,* v. 14-15a. — Homo Dei, dictio signifi-

fuge : sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.
12 * Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.
13 * Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu,

totum Deo consecrasti, istud vitium fuge; contra, persequere virtutes oppositas, justitiam, pietatem in Deum, fidem, charitatem in proximum, patientiam, mansuetudinem ; [12] tamquam bonus Christi miles strenue certa pro fide profitenda atque propaganda, ut tamquam victoriæ palmam consequaris vitam æternam, ad quam divinitus vocatus es, et propter quam olim præclaram fidei professionem coram multis testibus edidisti.

[13] Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, adeoque potens est te in persecutione sustinere, et a morte liberare, vel resuscitare, necnon coram

cantissima, quæ in s. Scriptura adhibetur 1° de prophetis 1 Reg. IX, 7; 3 Reg. XIII, 4, etc.; unde 2 Petr. I, 21 designat aliquem speciali modo a Deo inspiratum; 2° de regibus et principibus, quos Deus constituit ut ipsius nomine populum regant : v. gr. de Moyse Deut. XXXIII, 1, de Davide 2 Paral. VIII, 14. Utroque autem sensu dicitur de Timotheo, utpote qui vir esset sacra unctione Deo consecratus, et regimini ecclesiæ Ephesinæ præpositus. Infra 2 Tim. III, 17 idem nomen Ecclesiæ ministris tribuitur.

Sectare, διωκε, *persequere*, quod est contrarium vocis *fuge*.

Justitiam primo loco nominat, quia avaritiæ, quæ res alienas appetit et sæpe injuste quærit, aliquatenus opponitur virtus qua suum cuique datur. S. Aug., serm. 177, 4 : " Hæc te divitem faciant... Has tibi divitias non " tibi latro, non quilibet potentissimus inimicus, non irruens hostis aut " barbarus, non denique naufragium poterit auferre ; unde si nudus exeas, " plenus exis. "

12. Comparatio Paulo valde familiaris : cf. supra 1, 18 *milites bonam militiam ;* et 2 Tim. IV, 7 *bonum certamen certavi.* — Confessus bonam confessionem (ὁμολογιαν). Aliqui intelligunt testimonium fidei, quod in quadam persecutione dedit Timotheus; favet quod sequitur in v. 13 de confessione (ὁμολογια), quam fecit Christus sub Pontio Pilato. S. Chrys. explicat de catechesi, seu fidei professione, quæ fit ante Baptisma ; s. Thomas vero, Estius, Beel., Bisp., de professione fidei ante ordinationem episcopalem.

13. Qui vivificat omnia. Epitheton congruens : nec persecutiones, neque

qui testimonium reddidit sub
Pontio Pilato, bonam confessio-
14 nem: * ut serves mandatum sine
macula, irreprehensibile usque
in adventum Domini nostri Jesu
15 Christi, * quem suis temporibus
ostendet beatus et solus potens,

Christo Jesu, qui, sub præside Judææ Pontio Pilato, per mortem suam egregiam doctrinæ suæ professionem fecit, [14] ut omnia christianæ religionis mandata fideliter observes; adeo ut sine peccati macula et irreprehensibilem te custodias usque ad mortem, et proinde usque ad apparitionem D. N. J. C. in die judicii extremi. [15] Quam quidem apparitionem, tempore ab æterno statuto, mundo exhibebit Deus, qui solus est beatus princeps, rex regnantium,

ipsam mortem metuas; nam servus es Dei, qui potest etiam mortuos ad vitam revocare (Estius). — Testimonium reddidit sub Pontio Pilato. Nota *sub* επι Ποντιου, non (ut ait A Lap.) *coram* ipso; adeoque non respicit Apostolus ad solum testimonium, quod Christus de regno suo dedit, quando coram judice Pilato stetit, Matth. XXVII, 11 et Joan. XVIII, 37; sed intelligit universum testimonium, quod Christus de seipso et doctrina sua reddidit, præsertim per passionem et mortem suam, quo tempore præses Judææ erat Pontius Pilatus (Estius). Testimonium reddidit : μαρτυρησαντος; hinc de ipso canit Ecclesia : *Rex gloriose martyrum.*

14. Sine macula, irreprehensibile : adj. gr. non refero ad *mandatum* cum Vulgata : ut mandatum serves incorruptum, nulla reprehensione dignum; sed de Timotheo intelligo: ut serves mandatum, et sis immaculatus, irrehensibilis; quia duo illa adjectiva personis magis quam rebus inanimatis conveniunt.

Mandatum, cum Bisp. et Beel. intellige quidquid præscribit fides christiana seu lex Evangelica. Parallelum est cum *depositum* v. 20, quod sign. quidquid docet fides christiana.

Usque in adventum, επιφανειας, *manifestationem, apparitionem,* Jesu Christi. Hujusmodi dictio proximum esse mundi finem non significat, cf. 2 Thess. II, 2, et 1 Cor. X, 11.

15. Quem, sc. *adventum,* non *Christum,* ut ex græco patet. Suis temporibus, ab æterno statutis, nobis autem incognitis : cf. supra II, 6; Gal. VI, 9.

Apostolus inserit pulcherrimam doxologiam, quam suggerit ipsi sententia modo expressa de altero Christi adventu, v. 15b, et 16. — Beatus, etc.

Rex regum, et Dominus domi-
16 nantium : * qui solus habet
immortalitatem, et lucem inha-
bitat inaccessibilem : quem
nullus hominum vidit, sed nec
videre potest : cui honor, et
imperium sempiternum : Amen.
17 * Divitibus hujus sæculi præ-

et Dominus dominantium, [16] qui solus est essentialiter immortalis; cujus natura lux est infinita humanæ menti inaccessa, quem proinde nullus hominum visione comprehensiva vidit umquam in hac mortali vita, imo vero nec videre potest; cui honor perfectus et æterna potestas absolute competit : quod ut semper fiat exopto!

[17] Iis, qui divitias terrenas habent,

Verba sequentia videntur (quæ conjectura est satis probabilis, et a quibusdam recentioribus, v. gr. a Mack, proponitur) ex aliquo hymno ecclesiastico desumpta (cf. supra III, 16); iis enim inest rhythmus plane poeticus, siquidem habentur quinque versus, in quorum singulis duo sunt prædicata ab uno articulo aut pronomine relativo pendentia, hoc modo :

" *Beatus ille et solus princeps,*
" *rex regnantium et Dominus dominantium,*
" *qui solus habet immortalitatem, lucem inhabitat inaccessibilem,*
" *quem nullus hominum vidit, neque videre potest,*
" *cui honor et potestas æterna. Amen!*

Magnificentissima sane et vividissima descriptio divinæ majestatis, potentiæ, immortalitatis atque incomprehensibilitatis! Beatus, cf. I, 17. Potens, δυναστης, *princeps, dynasta;* antonomastice sic vocatur Deus, quia omnis potestas in Deo et a Deo, cf. I, 17. Rex regum (gr. *regnantium*) et Dominus dominantium : explicat quare solus sit dynasta κατ' ἐξοχην.

16. Lucem inhabitat, hoc sensu dicitur quod habitat et permanet in seipso : ipse enim est *lux* (1 Joan. I, 5) increata, non physica, utpote *veritas;* lux perfectissima, essentialis, absoluta, quoniam totus quantus est lux et veritas, fons omnis veritatis, bonitatis, etc. Lux illa dicitur *inaccessibilis,* eodem sensu quo cap. I, 17 Deus dicitur *invisibilis,* quod eruitur e sequentibus *quem nullus hominum vidit,* etc. — Amen, vox est, vel confirmantis *ita est;* vel potius optantis *ita fiat,* Deus honoretur, ejus imperium agnoscatur, etc. Similiter voti significationem habet *amen* in v. 21.

17. *Ab hoc versu usque ad v.* 19 *redit ad instructionem divitum, quam inchoaverat v.* 6-10. Divitibus hujus seculi, vel, secundum textum græcum,

cipe non sublime sapere, neque
sperare in incerto divitiarum,
sed in Deo vivo (qui præstat
nobis omnia abunde ad fruen-
18 dum), * bene agere, divites fieri

injunge ut non superbiant, neque spem suam in hujusmodi opibus incertis et caducis reponant, sed Deo viventi, qui nobis opulente subministrat quæ ad vitam lætam necessaria sunt, confidant:
18 ut opera beneficentiæ perficiant, atque

divitibus in præsenti seculo. Innuit alias esse divitias ad futurum seculum pertinentes, longe præstantiores, solidiores, inamissibiles, quarum possessores Christus appellat *in Deum divites*, Luc. XII, 21.

PRÆCIPE, ait, non possessionibus suis renuntiare, aut eas in usum communem tradere (quod volunt communistæ et socialistæ), sed NON SUBLIME SAPERE, etc. *Sublime sapere* est sentire aliquid excelsum de se, nempe inordinate id facere, qua in re consistit superbia, vitium divitibus familiare : " Omne pomum, omne granum,... omne lignum habet suum vermem...: " vermis divitiarum superbia est; difficile est ut non sit superbus qui dives " est; tolle superbiam, divitiæ non nocebunt (s. Aug., Serm. 39, 4). "

IN INCERTO (gr. *incertitudine*) DIVITIARUM, quæ locutio multo significantior est quam *in divitiis incertis. Incertæ* autem sunt divitiæ, 1° quia incertum est an eas conservare, aut ex eis felicitatem haurire poterimus; 2° quia caducæ et transitoriæ sunt, quippe quæ per mortem certo auferentur, et pro vita æterna nihil juvabunt: " non domini opum sumus, ait s. Chrys., sed " usufructuarii. " Imo vero, si rem altius inspiciamus, dicemus cum s. Aug. (Conf. 13, 8): " Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. "

IN DEO VIVO, τῳ ζωντι, *vivente;* dubia est hæc lectio, quæ reperitur quidem in codd. DEKL, in verss. vulg., syr. etc.; sed omittitur in codd. AFG, in vers. copt., sah. etc. Forsitan glossema ex IV, 10.

QUI PRÆSTAT NOBIS OMNIA ABUNDE (gr. *opulenter*) AD FRUENDUM; *nobis*, non singulis, sed humano generi universe spectato; Deus affatim præbet ea quibus homines generatim loquendo ad vitam hanc temporalem læte peragendam opus habeant, faciens solem oriri, pluviasque descendere super bonos et malos, etc. — AD FRUENDUM εις απολαυσιν, *ad fruitionem*, oblectationem, ad usum amœnum, lætum etc. Vult enim Deus homines suis donis lætificare; sed ita ut non in illis, sed in ipso finem et felicitatem suam constituant (Estius).

18. BENE AGERE, αγαθοεργειν, *bona operari*, bona opera erga proximum, opera beneficentiæ perficere. Quod augetur per DIVITES FIERI IN BONIS OPERIBUS; *divites fieri*, jucunde ludit in verbis; simul docet veras divitias illas

in bonis operibus, facile tribuere,
19 communicare, * thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.
20 * O Timothee, depositum

ita in bonis operibus divites sint; ut prompti sint ad tribuendum, et libenter quidem sua proximo communicent;
19 qua liberalitate magnum colligent meritorum thesaurum, unde spes firmissima erit obtinendi vitam cœlestem, quæ sola est vita vera et perfecta.
20 O Timothee, doctrinæ christianæ

esse quæ per bona opera in cœlo reponantur. — FACILE TRIBUERE, ευμεταδοτους, non tantum opera bona, et multa quidem faciant, sed hilari, libenti, prompto animo. COMMUNICARE, κοινωνικους, *esse communicativos*, libenter de suis opibus communicantes, adeo ut vox ευμεταδοτους corroboretur. De beneficentiæ operibus, et imprimis de eleemosyna, cf. 2 Cor. VIII et IX.

19. THESAURIZARE. Rursum ludit in verbis; *thesaurizare in futurum*, pro futuro: qui thesaurus (meritorum per bona opera) est FUNDAMENTUM BONUM, firmissimum, quo solide niti possunt; nihil enim spem futuræ beatitudinis magis firmat, quam copia bonorum operum.

VERAM VITAM. Textus græcus Receptus habet *æternam* loco *veram*, sed melior est lectio Vulgatæ. " Temporalis vita, ait s. Greg. (Hom. 37 in " Evang.), æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita; " ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam " prolixitas mortis? " Cf. Rom. XIII, 12.

Pro pleniore instructione circa *divitias* et *paupertatem*, cf. Comm. nostr. in s. Matth. 3ª ed., in indice XIV.

20. *Epistolam claudit, Timotheum iterum adhortans ad diligentem fidei custodiam*, v. 20 et 21. — O TIMOTHEE: dum eum nomine compellat, animi commoti affectum demonstrat.

DEPOSITUM, metaphorice, vocatur res spiritualis Timotheo commissa: quidam intelligunt munus episcopale ipsi demandatum; alii gratias speciales ipsi a Deo ratione muneris concessas; sed *depositum* significat fidei doctrinam ipsi traditam, quam sinceram integramque servare debet: constat ex coll. 2 Tim. II, 2 et 2 Tim. I, 13, 14.

Notatu digna est vox illa *depositum*, quum principium catholicum de traditione et magisterio Ecclesiæ in ea lateat. Præclare VINCENTIUS LERINENSIS, sec. V (in aureo libello, qui inscribitur *Common. adv. hæreses*, cap. 17): " Quid est, ait, *depositum?* Id est, quod tibi creditum est, non quod a " te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem, non ingenii, sed

custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones
21 falsi nominis scientiæ, * quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

Gratiam tecum. Amen.

depositum tibi commissum bene custodi; hunc in finem, devita doctrinas profanas, inanes et falsas, quæ sub specie scientiæ, at falso ita nominatæ, veræ fidei dogmatibus adversantur.
21 Hanc autem falsam scientiam cum profiterentur nonnulli, a recta fide defecerunt.

Gratia Dei sit tecum! Fiat!

Analysis logica universæ epistolæ.

Primarius scribentis finis, adeoque et præcipuum epistolæ argumentum, refertur ad curam pastoralem quæ episcopis incumbit : igitur Apostolus, ut diximus in introd. ad h. epist. § 1 et 2, Timotheum, gravissimo munere episcopali nuper insignitum, plenius instituit, et docet quomodo officio suo rite satisfacere debeat : quid in administranda Ecclesia, in promovendo cultu publico, in eligendis ministris, in viduis ab Ecclesia alendis, et præsertim quid

" doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te " perductam, non a te prolatam, in qua non auctor debes esse, sed custos, " non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens. "

Devitans vocum novitates, καινοφωνιας, ut habetur in codd. FG, ital. et Vulg. Sed vera lectio est κενοφωνιας, *vocum inanitates* in ADEKL, plerisque minusculis, et verss. copt., sah., æthiop. etc. : cf. 2 Tim. II, 16 *Profana et vaniloquia devita*, et 1 Tim. I, 6 *vaniloquium*. " Profana novitas est, quando inducitur aliquid contra fidem (s. Th.). "

Oppositiones, αντιθεσεις, doctrinas quæ orthodoxæ fidei adversantur. Falsi nominis scientiæ, cf. Col. II, 8 : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Probabile est designari Simonianos aliosque hæreticos, qui, Gnosticismo præludentes, την γνωσιν (*scientiam*) fidei opponebant.

21. Promittentes, επαγγελλομενοι, ut supra II, 10 : melius verteretur *profitentes*, " dicentes se habere (s. Th.). "

Gratia tecum, ut in codd. DEKL, minusculis fere omnibus, versionibus plerisque. Sed legitur *gratia vobiscum* in AFG et vers. copt., quod videtur correctio ex 2 Tim. IV, 22, et Tit. III, 15.

in pseudo-doctoribus arguendis fideque catholica conservanda, peragere teneatur.

Præcipua doctrinæ capita ab Apostolo exposita, et per universam epistolam dispersa, secundum ordinem materiarum complectemur, proinde sequemur connexionem quam per se, ex natura sua, habent sententiæ omnes et ratiocinationes.

Post brevissimum præambulum, quod consistit in inscriptione et apostolica apprecatione, v. 1 et 2, argumentum epistolæ auctor statim aggreditur : nimirum regulam pastoralem Timotheo episcopo tradere incipit.

Monita et instructiones, quæ in hunc finem scribit, ad septem capita reduci possunt :

1° Per universam epistolam primarie et fusius agit de iis quæ spectant ad fidem ab erroribus pseudo-doctorum immunem servandam; ter eam attingit materiam, in cap. I, IV et VI.

2° Deinde ea veniunt quæ pertinent ad publicum Dei cultum rite ordinandum, cap. II.

3° Præterea scribit de ministris Ecclesiæ eligendis, cap. III; quædam ex cap. V huc referimus, quum, juxta sententiam probabiliorem, agatur ibi, v. 9-16, de viduis ministerio aliquo in Ecclesia insignitis. Propter similitudinem aliquam ea adjungimus, quæ dicuntur de viduis publico Ecclesiæ sumptu sustentandis.

4° Variæ instructiones circa agendi et docendi modum, quod attinet ad personas diversæ dignitatis, ætatis, sexus, et conditionis : cap. V et VI.

5° Monita personalia ad Timotheum, quæ hic illicve per epistolam sunt dispersa.

6° Pauli apologia, præsertim cap. I, 11-14.

7° Tandem nonnulla indicabimus quæ obiter tractantur, et ad unum alterumve e præcedentibus capitibus referri nequeunt.

I. *Contra pseudo-doctores, præsertim judaizantes.*

Varias reprehensiones, quæ adversus pseudo-doctorum doctrinas et mores sparsim traduntur, logice componemus.

Inanibus vacant speculationibus, genealogiis etc., quæ nonnisi disputationes gignunt : I, 3, 4; IV, 7; VI, 4.

Prætendunt legis Mosaicæ defensionem, sed legem non intelligunt, eamque male urgent adversus homines justos I, 7-10, sc. christianos I, 11. Deinde opinantur per Legem dari peccatorum remissionem, quum hæc per Christum obtinenda sit : I, 15.

Prohibent tum matrimonium inire, tum etiam certis uti cibis, quasi per se malis IV, 3 : Deus tamen cibos omnes creavit in se bonos, eosque ad usum hominum destinavit IV, 4.

Scientiam affectant, sed scientia falsi nominis est VI, 20; potius ignorantia vocari debet; non enim intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant I, 7.

Imo vero doctrinam diabolicam tenent IV, 1, Christi doctrinæ contrariam VI, 3, vere heterodoxam I, 3. Quidam ex iis aperte facti sunt apostatæ a fide, ideoque excommunicati fuerunt I, 19, 20.

Quod spectat ad mores, viri isti sunt charitate destituti I, 5, 6, dediti invidiæ, conviciis etc. VI, 5; hypocritæ et mendaces IV, 2, superbi VI, 4; pessime vivunt IV, 2; in Dei cultu lucrum quærunt VI, 5.

II. *Quænam in publico Dei cultu observanda sint.*

1° *De precibus publicis :* II, 1-8. Preces fiant pro omnibus in genere v. 1, et pro superioribus civilibus in specie v. 2. Ratio, ob quam pro omnibus hominibus orandum sit, hæc est : Deum velle ut omnes salvi fiant, v. 3, 4; quæ quidem Dei voluntas in eo nititur quod unus et idem sit Deus respectu omnium, unus et idem Christus salvator, v. 5, qui pro salute omnium mortuus est, v. 6. — Preces in publicis cœtibus recitentur (alta voce) a viris, v. 8.

2° *De habitu mulierum in conventibus liturgicis :* II, 9-15. Mulieres ad preces publicas accedant cum vestitu decoro, sed sine ornamentis exquisitis aut nimis pretiosis, v. 9, 10. In hujusmodi cœtibus tacere debent, neque ullam possunt in viros exercere auctoritatem, v. 11, 12; ob duplicem causam : a/ quia in ordine

creationis vir præcedit, v. 13; b/ mulier prior peccavit et virum (Adamum) in peccatum induxit, v. 14.

III. *De dotibus personarum in ministerium Ecclesiæ eligendarum.*

1° *Dotes requisitæ in iis qui ad episcopatum vel presbyteratum eliguntur :* III, 1-7. Præter dotes primarias, quæ in variis virtutibus consistunt, requiruntur sequentes : non sint bigami (non bis uxorem duxerint), neque neophyti, bonam habeant famam apud ethnicos, noverint familiam suam recte gubernare.

2° *Dotes diaconorum :* III, 8-10, 12, 13. Sunt fere eædem ac episcoporum, nisi quod mentio non fiat de hospitalitate etc., neque exigatur ut sit doctor, neque excludatur neophytus. Differentiæ illæ hac ratione nituntur : diaconos esse famulos, non dominos.

Ecclesiæ ministri, quum tot dotes habere debeant, non cito sunt ordinandi, sed prævio examini subjiciendi, nisi certo constet eos esse idoneos : V, 22, 24, 25.

3° *Diaconissarum dotes :* III, 11.

4° *De eligendis viduis :*

A. *Quæ publico ecclesiæ sumptu nutriendæ sunt :* V, 3-8. Nimirum a/ debent esse vere pauperes, omni humano subsidio destitutæ, adeoque tales quæ non habeant propinquos a quibus adjuvari possint; b/ piæ in Deum seu sanctæ precationi deditæ; c/ irreprehensibiles in universa agendi ratione.

B. *Quæ ministerio aliquo ecclesiastico fungi debent,* quæque divino servitio per votum sese adstrinxerunt V, 9-16 : a/ sint ætate provectæ, sc. 60 annorum (quare juniores admitti nequeant V, 11-15); b/ semel nuptias inierint, c/ bonis operibus deditæ fuerint.

IV. *Quomodo Timotheus in agendo et docendo sese gerere debeat.*

1° *Erga presbyteros* a/ bonos : eis debentur subsidia ad vitam honeste agendam V, 17, 18; b/ erga eos qui criminis accusantur, v. 19; c/ erga peccantes, v. 20. In judicio eorum a partium studio cavendum est, v. 21.

2° *Erga senes, juvenes, anus, puellas, et viduas :* V, 1 sqq.

3° *Erga servos;* quid dicendum eis : VI, 1, 2.

4° *Erga divites;* quid eis commendandum : VI, 6-10 et 17-19. Nempe

A/ Primum fugiant superbiam; quod ut fiat, rectam habeant notitiam de divitiis. Noverint igitur a/ divitias veras in pietate quærendas esse, v. 6; b/ inde enim discimus contenti esse vitæ necessariis, qua in re maximæ consistunt divitiæ, v. 6, 8; c/ bona omnia temporalia esse homini extrinseca, adventicia, transitoria : nihil intulimus in hunc mundum, nihil nobiscum in alterum mundum asportabimus, v. 7; d/ divitias esse occasiones multarum tentationum, imo vero sæpe causam ruinæ æternæ, v. 9; cupiditas enim radix est omnium malorum, etiam gravissimorum peccatorum, quum per eam quidam fidem perdiderint, v. 10; e/ divitias esse fallaces et caducas, adeo ut nullam liceat in eis spem reponere, v. 17.

B/ Præterquam quod divites cavere debent a superbia, quæ ex falsa opum æstimatione provenit, oportet etiam ut bonis suis temporalibus recte utantur; nimirum, ut opera beneficentiæ perficiant, atque per eorum merita magnam in cœlis gloriam adipiscantur : v. 18, 19.

V. *Monita personalia ad Timotheum.*

A/ *Monita salutaria pro sanctitate vitæ episcopalis.* Pseudodoctores arguat I, 3; prophetias de ipso factas adimpleat I, 18; bene utatur gratiis in Ordinatione sacra acceptis IV, 14; depositum fidei custodiat VI, 20; strenue laboret et certet pro Christo I, 18, et VI, 12; fidem et conscientiam bonam habeat I, 19; se ad pietatem exerceat IV, 7; imo vero exemplum sit fidelium in omnibus virtutibus IV, 12, utpote homo Dei VI, 11; adeoque irreprehensibilis maneat usque ad vitæ finem VI, 14; et, quod magis est, in sanctitate constanter progrediatur IV, 15; præsertim castitatem colat V, 2, 21; attendat lectioni et prædicationi IV, 13; caveat ne contemnatur propter adolescentiam suam IV, 12. Hæc

Pauli monita meditetur IV, 15. Finis autem, quem in omnibus intendere debet, hic est : seipsum salvum facere et eos qui sibi concrediti sunt IV, 16.

B/ *Familiaria monita ad eumdem.* Ephesi remaneat I, 3; Paulum mox iterum videbit III, 14. Non amplius aquam solam bibat, sed modico utatur vino propter stomachum et frequentes infirmitates V, 23.

VI. *Pauli apologia.*

Magnus quidem peccator fuit olim, et Ecclesiæ persecutor I, 13, 15; attamen ex ignorantia quadam peccavit I, 13. Per Dei misericordiam, ejusque abundantem gratiam, remissionem peccatorum obtinuit I, 13, 14, et factus est christianus I, 14, imo minister Christi, et minister quidem fidelis I, 12; cui creditum est Evangelium I, 11, utpote prædicator, Apostolus, doctor gentium II, 7 : quo in munere persecutiones sustinuit cum magna in Deum fiducia IV, 10.

VII. *Varia doctrinæ puncta quæ obiter perstringuntur.*

Ecclesiæ excellentia : domus Dei est, columna et fundamentum veritatis III, 15.

Brevis mysterii Incarnationis laus et œconomia III, 16.

Doxologia in Deum, qua Dei natura graphice describitur I, 17 et VI, 15, 16.

Gratiæ sunt Deo agendæ quando cibus sumitur IV, 4, 5.

Pietatis utilitas IV, 8.

Quisque suæ membra familiæ suosque domesticos curare obligatur V, 8.

Reprehenduntur mulieres leves, otiosæ, curiosæ, garrulæ V, 13.

Consilium nubendi aliquando dandum est V, 14.

Dei ministri jus habent ad honorabilem vitæ sustentationem, ii præsertim qui verbum Dei prædicant V, 17, 18.

Duo hæretici ab Apostolo nominatim excommunicati I, 20.

EPISTOLA

SECUNDA AD TIMOTHEUM.

Formam habe sanorum verborum quæ a me audisti... Bonum depositum custodi.
2 Tim. I, 13, 14.

Hæc epistola sicut testamentum quoddam est Apostoli. S. Chrys., Hom. IX, 2.

INTRODUCTIO.

§ 1. Scribendi causa et finis scribentis.

Duplex videtur fuisse causa quare s. Paulus alteram hanc ad Timotheum scripserit epistolam : et 1° quidem, a parte Timothei quædam animi et constantiæ debilitatio, forsitan inde proveniens, quod in dies crevissent persecutiones ac invaluissent pseudodoctores ; unde, secundum nonnullorum conjecturam, reprehensio Apoc. II, 1-6 ad ipsum referenda sit. 2° Altera vero scribendi causa ex parte ipsiusmet Apostoli exstitit ; tristissima enim sui status conditione commotus (quippe qui a plerisque amicis suis vel sit derelictus I, 15; etiam a Dema IV, 9, vel saltem ab eorum auxilio sit nunc destitutus ad tempus, IV, 10 ; adeo quidem ut in prima defensione nemo ipsi adstiterit, IV, 16), Timotheum apud se socium et adjutorem possidere exoptat.

Huic autem duplici causæ respondet duplex scribentis finis : 1° vult Timotheum ad novum excitare fervorem, eique animum

addere ut officio suo strenue fungatur; 2° ipsum invitare ut sine mora ad se Romam veniat.

§ 2. Argumentum et divisio.

Ut Timotheum confirmet et excitet, ei primum eximium exhibet amorem; in memoriam revocat pietatem matris ejus et aviæ, gratiam quam in Ordinatione sacra accepit, præterea etiam suas (Pauli) passiones et constantiam, quorumdam erga se malam, aliorum vero bonam agendi rationem. Hæc in capite I.

Deinde in cap. II, pergit eum ad constantiam, laborem strenuum, patientiam et certamen pro Christo hortari, præsertim per recordationem futuri præmii; monet ut sanam fidem doceat, omnibusque sui status virtutibus emineat.

In cap. III, pessimorum hominum errores et corruptelas in dies ingravescentes describit; oportet igitur ut Timotheus, ad exemplum Pauli, paratus sit omnia sustinere propter fidem.

In cap. IV, monet ut deinceps vigilantior sit, ferventior et audacior; quam monitionem per mortem suam proximam confirmat. Ad finem invitat eum ut mox ad se veniat Romam. Sequuntur varia puncta familiaria, mandata, nuntii, salutationes etc.

Per universam igitur epistolam una fere eademque exponitur materia monitionis, exhortationis, atque incitamenti; quamobrem arbitraria est epistolæ divisio in plures partes : uno quasi tractu omnia tenenda sunt et simul consideranda, adeo quidem ut ipsiusmet Vulgatæ divisioni in quatuor capita vix inhærendum sit.

§ 3. Locus et tempus scriptionis.

Epistolam hanc exaratam fuisse, quum Paulus Romæ in vinculis teneretur, liquet ex I, 16 sqq.; II, 9; IV, 6, 16, 21. Verum, multum disputatur ad quodnam vitæ tempus vincula ista referenda sint. Tres sunt eruditorum sententiæ :

1ª Antiquior, communior et etiam probabilior, cui adstipulamur

cum Eus., s. Chrys., s. Hier. (De viris ill. cap. 5), et cum recentioribus Mauduit (*Analyses* etc. Dissert. XI hanc sententiam fuse comprobat), Heydenreich (Prot.), Mack, All., Bisping, Mc Evilly, Beelen, censet epistolam in secunda Pauli captivitate Romana, parum ante ejusdem martyrium, adeoque circa a. 67, fuisse compositam.

Auctores vero 2^æ^ sententiæ contendunt Apostolum semel tantum Romæ in carcerem fuisse inclusum, scil. in illis rerum adjunctis quæ narrantur Act. Apost. XXVIII, eumque circa finem illius captivitatis, adeoque etiam quando jam morti proximus erat, 2^m^ epistolam ad Timotheum scripsisse (Petavius, Wieseler, etc.).

Tandem 3^a^ eam refert ad initium prioris carceris Romani, proindeque eam ponit ante epistolas ad Colossenses, Philippenses et Philemonem (Baronius, Estius, Hug etc.). Præcipuum argumentum in patrocinium hujus 3^æ^ sententiæ petitur ex cap. IV, 17 : *Dominus mihi adstitit..., et liberatus sum de ore Leonis.* Verum inde certo concludi nequit s. Paulum e vinculis in quibus scripsit, liberatum fuisse : vide infra comment. nostr. ad ill. l.

Duæ priores sententiæ in hoc conveniunt, quod epistolam Paulo morti jam proximo tribuant, proindeque eam habeant ultimam ordine temporis; cui quidem opinioni omnino favent haud pauca hujus epistolæ loca : v. gr. IV, 6-8, 18 auctor certe exspectat mortem brevi futuram; res ejus adeo jam desperatæ apparent, ut fere ab omnibus sit derelictus IV, 16. Nunc autem, quum persuasum nobis sit, ex collatis variis epistolarum Paulinarum locis, necnon ex multis gravissimisque veterum testimoniis, Paulum e vinculis, de quibus sermo est Act. Ap. XXVIII, fuisse liberatum (1), unde

(1) Hoc fuse et eruditissime probat cl. Drach, in intr. ad hanc ep. Imprimis notat illud erui ex ultimo Actuum versiculo, quum probabile sit a s. Luca verbulum addendum fuisse de morte s. Pauli, si captivitas illa per martyrium Apostoli finem habuisset. Idem innuit Phil. II, 24; Philem. 22. Deinde citantur testimonia s. Clem. Rom. (ep. I Cor. V); fragmenti ap. Murator.; Eus. (Hist. eccl. II, 22); s. Athan., s. Cyr. Jeros., s. Epiph., s. Chrys., s. Hier. etc.

concludendum sit eum Romæ in vincula iterum conjectum fuisse, quando martyrium subiit : secundam relinquimus sententiam et primæ adhærendum esse opinamur. Quædam argumenta accipe :

1° S. Paulus Trophimum infirmum Mileti reliquit (2 Tim. IV, 20) : atqui, cum ipse Mileto ultimum discessit ante captivitatem Romanam de qua Act. XXVIII, 16, Trophimum comitem habuit in itinere Jerosolymitano (Act. XX, 4; XXI, 29).

2° Apostolus in hac epistola mortem sibi imminere significat (IV, 6-8; 18) : in epistolis autem, quas in primis vinculis conscripsit, loquitur de liberatione sua proxima et de itineribus quæ instituet (Phil. II, 24; Philem. 22).

3° Inter personas, quarum nomine salutat Timotheum, nulla reperitur earum quæ nominantur in epistolis quas, secundum communem sententiam, in priore carcere exaravit.

Atque hæc hactenus; qui plura desideret, consulat cl. Drach.

TABULA SYNOPTICA

SECUNDÆ AD TIMOTHEUM.

Cap. I.

Inscriptio et salutatio : 1, 2.
Erga Timotheum amorem testatur eximium, 3-5.
Ipsum monet ut fidem intrepide prædicet, secundum gratiam quam in s. Ordinatione accepit, 6-8.
Beneficia a Christo collata, 9 et 10.
Exemplum s. Pauli, 11, 12.
Quid sit prædicandum, 13 et 14.
Defectio quorumdam, 15; laus Onesiphori, 16-18.

Cap. II.

Timotheus munere suo gnaviter fungatur spe mercedis, sicut miles, athleta et agricola, 1-7.
Imitetur exemplum s. Pauli, qui laborat usque ad vincula, 9 et 10.
Merces in Christo si fidelis maneat, secus pœna (8), 11-13.
Devitet pravas et hæreticas disputationes : 14-18.
Boni et mali sunt in Ecclesia : 19-21.
Virtutes quas exercere debeat : 22-26.

Cap. III.

Pseudo-doctores describuntur : 1-8 ; isti mox cessabunt nocere, 9.
Pauli exemplum, præsertim in patiendo pro Christo : omnes viri pii pati debent : 10-13.
Timotheus fidem didicit ab optimo magistro, 14,
Et ex s. Scriptura, cujus laus obiter adjicitur : 15-17.

Cap. IV.

Diligenter prædicandum, quia quidam a veritate recedent : 1-5.
Paulo jam appropinquat mors, sed simul corona : 6-8.
Timotheus invitatur ut Romam veniat, quoniam Apostolus ipsius præsentia multum indiget : 9-18.
Salutationes, nuntii, et apprecatio : 19-22.

Timotheus fortiter, impavide, et fideliter se gerat.

CAPUT I.

1 * Paulus Apostolus Jesu Chri-
sti per voluntatem Dei, secun-
dum promissionem vitæ, quæ est
2 in Christo Jesu: * Timotheo cha-
rissimo filio, gratia, misericor-
dia, pax a Deo Patre, et Christo
Jesu Domino nostro.
3 * Gratias ago Deo, cui servio
a progenitoribus in conscientia
pura, quod sine intermissione
habeam tui memoriam in ora-
tionibus meis, nocte ac die

[1] Ego Paulus, factus Jesu Christi Apostolus, per Dei voluntatem et electionem, ad illud vocatus ministerium ut hominibus annuntiem vitam veram, quæ est vita in Christo, a Deo promissa: [2] scribo Timotheo, dilecto filio. Gratia tibi, misericordia et omne bonum a Deo Patre, et a Christo Jesu Domino nostro, tribuantur.

[3] Gratias pro te ago Deo, cui fideliter servio cum pura conscientia, non secus ac progenitores mei, et sæpissime tui pie recordor, non solum per diem sed etiam per noctem, in oratio-

1. *Inscriptio, et salutatio apostolica*, v. 1 et 2. — SECUNDUM PROMISSIONEM: *κατ' επαγγελιαν*, potius *ad prædicationem, annuntiationem;* refer ad *Apostolus J. C.* — QUÆ sc. *vita*, non *promissio :* patet ex græco.

3. *Testatur eximiam suam charitatem erga Timotheum, cujus argumentum sunt tum continuæ preces pro ipso*, v. 3, *tum quoque desiderium ipsum videndi* v. 4a. — CUI SERVIO A PROGENITORIBUS : duplici modo explicatur : vel progenitores mei erant boni Judæi, qui verum colebant Deum (quod ejus adversarii forsitan negabant). Vel, Deo servio in religione mihi a progenitoribus transmissa; igitur falsum est quod nonnulli contendunt, antiquam patrum religionem a me destrui; religio mea christiana non est nisi adimpletio et perfectio legis Mosaicæ.

IN CONSCIENTIA PURA, non pugnat cum illis 1 Tim. I, 13 *blasphemus fui, et persecutor et contumeliosus*, sed refertur ad verba ibidem *ignorans feci in incredulitate.*

QUOD SINE INTERMISSIONE. In textu originali habetur *ὡς sicut, quemadmodum.* S. Chrys. quidem, sicut etiam Vulgata, *ὡς* pro *ὅτι* sumpsit, adeo ut *quod sine intermissione habeam tui memoriam* sit causa gratiarum actionis; verum nusquam *ὡς* pro *ὅτι* adhibetur, deinde insolita esset sententia: gratias Deo ago propterea quod sæpe pro te oro. Ideo *ὡς* sensu ordinario cum Beel. et Bisp. intelligimus : gratias ago Deò pro te, *quemadmodum* sæpe pro te Deum oro.

NOCTE AC DIE (cf. 1 Thess. II, 9) cum præcedentibus jungo, ut fit 1 Thess.

4 * desiderans te videre, memor
lacrymarum tuarum, ut gaudio
5 implear, * recordationem acci-
piens ejus fidei, quæ est in te
non ficta, quæ et habitavit pri-
mum in avia tua Loide, et matre
tua Eunice, certus sum autem
quod et in te.
6 * Propter quam causam ad-
moneo te ut resuscites gratiam
Dei, quæ est in te per impositio-

nibus meis, [4] desiderans tua præsentia frui ut gaudio implear. Desiderium illud magis excitatur, eo quod reminiscar lacrymarum quas in discessu meo fudisti ex amore, [5] atque etiam eo quod memoriam servem eximiæ et sincerissimæ fidei, quam olim, priusquam erat in te, avia tua Lois et mater tua Eunice firmiter et perseveranter professæ sunt; quæque, ut plene persuasus sum, etiam in te adhuc firma perseverat.

[6] Quum id de te persuasum habeam, tibi in memoriam revoco oportere ut novo fervore rursum inflammes gratias, quas ad munus tuum rite obeundum dedit tibi Deus, quando te per imposi-

III, 10 et 1 Tim. V, 5; neque datur tautologia, nam *sine intermissione* posset ad diem tantum restringi. Animadverte exemplum s. Pauli, assidue orantis pro discipulo suo. Pastores animarum noverint, haud exiguam sui muneris partem esse ut pro fidelibus sibi commissis preces Deo offerant.

4. *Duæ rationes illius charitatis : 1° Timotheus etiam Paulum multopere diligit ut patet ex lacrymis quas fudit,* certe quando ab ipso distractus fuit, v. 4; 2° *sincera fide præditus est*, v. 5.

5. Recordationem accipiens, juxta Estium pendet a *desiderans te videre;* non autem (ut censet Beel.) a *gratias ago*, quod nimis est remotum. Primum, priusquam fuit in te. Certus sum, πεπεισμαι, i. e. bonam fiduciam seu persuasionem habeo, sicut infra I, 12, Rom. XV, 14 et alibi.

Quod et in te, supple *habitat.* Latet aliquis Pauli timor ne Timotheus, metu persecutionum aut ob aliam rationem, sinceritatem et fervorem fidei parumper imminuerit: eum igitur excitat per exemplum aviæ et matris. Parentum exemplum solet esse filiorum incitamentum. Magnum est Dei beneficium bonos nancisci parentes, ac præsertim piam matrem (A Lap.).

6. *Timotheum admonet ut fidem annuntiet impavide, mediis in persecutionibus: quod requirit gratia in ordinatione episcopali accepta*, v. 6-8.

Propter quam causam, quia spero et plane confido fidem in te adhuc esse sinceram. Resuscites (αναζωπυρεω, ab αvα *rursum*, ζωω *vivifico*, πυρ *ignem*, sign. ignem sopitum et sub cinere latentem flatu vel flabello excito), rursum inflammes, fervorem tuum paulisper sopitum rursum excites. Gratiam Dei, quæ est in te per impositionem etc.: conc. Trid., sess. 23, cap. 3, hæc verba allegat ut demonstret Ordinem esse Sacramentum vere

7 nem manuum mearum. * Non
enim dedit nobis Deus spiritum
timoris : sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.
8 * Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus : sed collabora Evangelio secundum virtutem

tionem manuum mearum episcopum consecravi : inter quas gratias primum venit animi robur : [7] non enim, quando in s. ordinatione Spiritus sanctus in nos descendit. dedit nobis Deus spiritum timoris, sed fortitudinis, et charitatis, et prudentiæ.

[8] Noli itaque præ timiditate erubescere profiteri et prædicare Jesu Christi fidem, neque te mei pudeat, neque vinculorum quæ pro Christo patior; sed mecum patere mala pro Evangelio, siquidem virtutem ad id necessariam

et proprie dictum. Signum sensibile est *manuum impositio*, cui annectitur *gratia:* cf. 1 Tim. IV, 14.

Si necesse fuit Timotheum, virum plane apostolicum, admonere ut gratiam sui status suæque Ordinationis rursum excitaret: quanto magis nos sacerdotes id identidem facere debemus : v. gr. in sacro secessu pie instituto.

7. Nobis, episcopis, Evangelii ministris; non, christianis quibusvis. — Spiritum. Intelligitur simul Spiritus sanctus et spiritus seu animus humanus, hoc modo : dedit nobis Deus Spiritum sanctum, qui nobis robur animi infudit. Virtutis, δυναμεως, *fortitudinis*. Sobrietatis : vox græca ampliorem habet significationem, nam σωφρονισμος est actus adducendi ad sanam mentem; spiritus σωφρονισμου est spiritus qui aliquem σωφρονα *prudentem* facit; igitur spiritus prudentiæ.

Ex hoc versu colligimus episcoporum proprie dictorum virtutes speciales esse debere 1° fortitudinem, 2° charitatem, et 3° prudentiam : quod sic intelligitur : charitas temperat fortitudinem per prudentiam. Loquitur Apostolus de Episcopis seu sacerdotibus primi ordinis : in epistola vero 1 Tim. III, assignavit virtutes quæ episcopis et presbyteris communes sunt.

8. Testimonium, *μαρτυριον*, non *martyrium* (quasi diceret : noli timere martyrium pro Christo subire); sed, ut recte habet Vulgata, *testimonium Jesu Christi* (genit. objecti), de Jesu Christo; ipsum agnosce, ipsum prædica, sine pudore, sine timore.

Vinctum ejus, magis significat quam *vinctum pro eo:* Christus, ait, me vinculat, ejus professio ejusque cultus me in vinculis tenet. Collabora, *συγκακοπαθησον*, *mecum mala patere*, τῳ Ευαγγελιῳ (dat. commodi), *pro Evangelio*.

9 Dei : * qui nos liberavit, et
vocavit vocatione sua sancta,
non secundum opera nostra, sed
secundum propositum suum, et
gratiam, quæ data est nobis in
Christo Jesu ante tempora sæ-
10 cularia. * Manifestata est autem
nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui
destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et incor-
11 ruptionem per evangelium : * in
quo positus sum ego prædicator,

tibi concessit Deus. [9] Ipse enim sanctificavit nos, imo etiam sanctam nobis ad ministerium evangelicum dedit vocationem ; non utique propter merita nostra, sed quia gratuito nos ab æterno ad illam gratiam prædestinare voluit. Gratia autem illa nobis in Christo ab æterno data est, in quantum sc. in Christo præparata est ab æterno ; [10] sed nunc de facto nobis applicata est per Incarnationem Jesu Christi. Ipse enim destruxit peccatum et mortem, vitam autem veram et immortalem nobis attulit per Evangelium. [11] Jam vero, ad prædicandum illud Evangelium ego a Deo constitutus sum

9. *Beneficia per Christum collata obiter amplificat, eo fine ut Timotheum ad majorem pro Christo zelum excitet*, v. 9, 10. — Liberavit, gr. *salvavit* (σωσαντος). Videtur ordo inversus in verbis *salvavit et vocavit*, verum *et* potest sumi ut particula explicativa : *salvavit nos* (utique salute inchoata per gratiam sanctificantem, adeoque idem ac *sanctificavit nos*), *nimirum vocavit* nos ad fidem christianam. Vel *vocavit vocatione sancta* potest referri ad peculiarem Pauli et Timothei vocationem, qua facti sunt Evangelii ministri.

Non secundum opera nostra : clare docetur adversus Pelagianos existentia et gratuitas divinæ gratiæ qua ad fidem et justificationem adducimur.

Data est nobis in Christo ante tempora secularia : Eph. I, 4. Ab æterno prævisa fuit culpa originalis, et Christi incarnatio ; ab æterno Christus fuit causa meritoria gratiarum salutarium hominibus tribuendarum ; gratia igitur justificans, quam nos accepimus in tempore, ab æterno jam nobis præparata erat in Christo, in quo erat quasi abscondita : Christus enim, utpote Deus, ab æterno fuit humani generis salvator ; quamquam, ut homo, nonnisi in tempore apparuit.

10. Illuminationem, επιφανειαν, *apparitionem, adventum*. Destruxit mortem *animæ*, per peccatorum expiationem et remissionem, *corporis* quoque, per beatam resurrectionem quam promeruit justis et aliquando efficiet. Illuminavit, φωτισαντος, *in lucem protulit*, adesse fecit, nobis dedit etc.

11. *Exemplum Pauli in prædicatione impavida Evangelii : quo fundamento nitatur ejus fortitudo*, v. 11, 12. — In quo, gr. *ad quod* sc. Evangelium

et Apostolus, et magister Gen-
12 tium. * Ob quam causam etiam
hæc patior, sed non confundor.
Scio enim cui credidi, et certus
sum quia potens est depositum
meum servare in illum diem.

13 * Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu.

præco, Apostolus, et doctor gentilium. [12] Et quia illo fungor munere, hæc vincula patior; sed horum non pudet me; nam scio quam potens et verax sit Deus in quem spem collocavi; et certo persuasus sum ei sufficientem esse potentiam, ut doctrinam fidei mihi concreditam sinceram et integram in me conservet, usque ad magnum mortis et judicii diem.

[13] Sanam ac rectam doctrinam, quam a me audisti, in mente tua impressam fideliter conserva, nimirum per fidem et dilectionem, quæ virtutes nos cum Chri-

prædicandum." Magister gentium: cf. Gal. II, 8. Tres autem illustres titulos sibi adscribit non quo se jactet, sed Timothei confirmandi causa (Estius), aut propter Ephesios quibus legetur epistola.

12. Credidi. Verbum *credere*, sicut *πιστευειν*, ambiguum est; significat *fidem habere*, et *fiduciam* seu *spem habere*. Ultimam hic tenemus significationem.

Depositum meum: inter multas explicationes, probabilior mihi videtur ea quæ *meum*, *μου*, pro genitivo possessionis sumit: depositum mihi concreditum. Quod quidem intelligi potest, vel de doctrina christiana, hoc sensu: Deus potest doctrinam christianam, quam mihi tamquam depositum concredidit, servare in me integram et intactam, seu potest mihi dare gratiam ut fidei depositum fideliter custodiam usque ad diem judicii. Vel *depositum* significat munus Evangelii ipsi commissum. Utrique explicationi, quæ ferme in eumdem recidit sensum, favet significatio vocis *depositum* in cap. I, 14 et 1 Tim. VI, 20.

In illum diem. *Dies* absolute et simpliciter dictus, dies *κατ' ἐξοχην*, in s. Scriptura vocatur dies judicii, dies criticus, dies decretorius, a quo sors hominis æterna pendet, adeoque dies mortis. Cf. 1 Cor. 1, 8; III, 13; V, 5; 2 Tim. IV, 8.

13. *Quamnam doctrinam servare ac prædicare debeat Timotheus, et quo auxilio superno*, v. 13, 14. — Formam, non, summarium doctrinæ christianæ ab Apostolo scriptis traditum (Herder), sed universam doctrinam a Paulo viva voce prædicatam. Ergo habemus hic argumentum in confirmationem *traditionis*. Notet concionator sacer, aliud prædicandum non esse quam sanam et rectam doctrinam, ab Apostolis eorumque successoribus traditam.

14 * Bonum depositum custodi per
Spiritum sanctum, qui habitat
in nobis.
5 * Scis hoc, quod aversi sunt
a me omnes, qui in Asia sunt,
ex quibus est Phigellus, et Her-
6 mogenes. * Det misericordiam
Dominus Onesiphori domui :
quia sæpe me refrigeravit, et
catenam meam non erubuit :
7 * sed cum Romam venisset, so-
licite me quæsivit, et invenit.

sto intime conjungunt ; [14] eamdem (doctrinam) tamquam depositum tibi creditum vigilanter custodi, quod fiet per gratiam Spiritus sancti nobis episcopis concessam.

[15] Nosti viros illos omnes Asianos, qui Romæ mecum fuerant, aversos esse a me et in Asiam rediisse, ex quibus est Phygelus et Hermogenes. [16] Non autem id fecit Onesiphorus (quamobrem Dominum rogo ut ejus familiæ misericordiam exhibeat) ; ipse enim sæpe mihi solatio et subsidio fuit, neque eum puduit vinculorum meorum ; [17] sed contra, cum

14. Bonum (*καλον, pulchrum, egregium, præclarum*) depositum custodi, idem ac *formam habe sanorum verborum quæ a me audisti*, v. 14. Confirmatur existentia doctrinæ oralis per magisterium Ecclesiæ traditæ. — Spiritum s.: igitur requiritur *gratia*, non solum ad fidem habendam, sed etiam ad eam conservandam.

15. *Defectionem quorumdam et Onesiphori fidelitatem in exemplum proponit*, v. 15-18; *obiter Deum precatur ut Onesiphoro benedicat.* — Hæc scribit in eum finem ut præcedenti monitioni majorem det vim, utque Timotheum sollicitet Romam venire. Scis, quæ vox innuit Timotheum tunc temporis in Asia fuisse, cf. v. 18.

Qui in Asia sunt : intelligit viros Asianos, qui Romæ cum ipso fuerant, sed eum dereliquerant (IV, 16), et tunc jam erant in Asiam reduces ; ideo dicit *qui in Asia sunt*, *οι εν τῃ Ασιᾳ* ; nam si adhuc Romæ fuissent, scripsisset *οι απο της Ασιας*.

Aversi sunt a me, me dereliquerunt, et (quod forsitan etiam vult significare Paulus) a fide defecerunt. — *Phygelus* est lectio melior.

16. *Onesiphorus* Asianus erat (cf. IV, 15), adeoque ab iis de quibus dicitur v. 15 *omnes qui in Asia sunt*, excipiendus est. Quum auctor primum nominet Onesiphori *familiam*, et v. 18 ipsi personaliter misericordiam pro die judicii apprecetur, infra vero IV, 19 ejus familiam solam salutet : probabilis valde est quorumdam conjectura, Onesiphorum mortuum jam fuisse : quod si verum sit, exemplum habemus orationis pro defunctis peractæ.

17. Romam venisset : *γενομενος εν Ρωμῃ, Romæ esset.* Solicite, vel *solicitius* (utraque lectio auctoritates fere æquales habet), supple *quam exspectavissem*, vel quid simile.

18 * Det illi Dominus invenire
misericordiam a Domino in illa
die. Et quanta Ephesi ministra-
vit mihi, tu melius nosti.

esset Romæ, studiosus quæsivit me et invenit. [18] Ideo Dominum supplico ut in die judicii misericors sit erga ipsum; eo vel magis quod, ut tu melius nosti quam ego, Ephesi multa ministris Evangelii officia charitatis impenderit.

Pro Christo laborandum sine timore; errores vitandi; sancte vivendum.

CAPUT II.

1 * Tu ergo, fili mi, confortare
in gratia, quæ est in Christo
2 Jesu: * et quæ audisti a me per
multos testes, hæc commenda

[1] Tu ergo, fili mi, ad exemplum Onesiphori esto fortis in gratia in qua vivis, cujus fons est Christus Jesus. [2] Et quæ te docui, aut tibi commendavi, coram multis testibus, cum te in episcopum consecrarem, hæc tamquam fidei depo-

18. A Domino, per hebraismum, pro *a seipso* (cf. similem idiotismum Gen. XIX, 24 *Pluit Dominus... ignem a Domino*), ut censet s. Chrys.; vel potius intelligitur duplex persona: *Det illi Dominus* (Deus Pater) *invenire misericordiam a Domino* (Christo, Dei Filio); cui explicationi favent verba addita *in illa die*, nam tunc *Christus* venturus est judex; præterea hujusmodi hebraismus a Pauli dictione nimis videtur alienus.

Ephesi, innuit Timotheum tunc in ea urbe commoratum fuisse, cf. supra v. 15. — Ministravit mihi: in textu originali non legitur *mihi;* quare possumus id intelligere generatim de omnibus subsidiis, quæ ministris Evangelii tribuit Onesiphorus.

1. *Adhortatur Timotheum ut sine timore munere suo fungatur*, v. 1, 2. — Ergo, *οὖν*, nectit cum superioribus: tu, Onesiphori exemplum imitans, et aliorum defectionem devitans, confortare etc. In gratia, non stricte idem est ac *per gratiam*, namque plus dicit *in gratia:* denotat elementum in quo quis vivit. Videtur significari præsertim gratia status seu sanctæ vocationis, quæ quidem gratia specialis in s. Ordinatione traditur.

2. Fortem se in gratia ostendet Timotheus per hoc quod munere doctoris et episcopi fideliter fungatur: ideo addit Apostolus *Et quæ audisti* etc.

Per multos testes: gr. *διά* cum gen. significat *intervenientibus multis testibus;* vel, ut 1 Tim. VI, 12 *coram multis testibus.* Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 51, I. Probabile est Apostolum velle in memoriam revocare

fidelibus hominibus, qui idonei
3 erunt et alios docere. * Labora
sicut bonus miles Christi Jesu.
4 * Nemo militans Deo implicat se
negotiis sæcularibus: ut ei pla-

situm trade viris fidis, qui idonei erunt et aliis eadem transmittere. [3] Fortitudinem tuam in gratia ostende, per hoc quod mecum patiaris pro fide, sicut bonus miles Christi Jesu; miles enim bonus ad molestias cum commilitonibus simul tolerandas semper paratus est. [4] Præterea, miles bonus non implicat se negotiis temporalibus, sed totum se militiæ tradit, ut duci suo acceptum se reddat: ita quoque adhortor te ut, curis secularibus abdicatis, unice mini-

id quod factum est in sacra Timothei Ordinatione: Paulus, ut videtur, universam fidei doctrinam summatim ei tradidit, et præcipua muneris episcopalis officia proposuit. — COMMENDA: παραθου, idem verbum ac I, 12, 14 παραθηκη, *depositum*.

In hoc versiculo, sicut supra I, 13, 14, aperte stabilitur principium fundamentale et constitutivum Ecclesiæ catholicæ, nimirum ejus magisterium vivum, auctoritas ejus in docendo; unde consequitur, regulam fidei proximam esse, non Scripturam sacram sensu uniuscujusque privato intellectam, quod contendunt Pseudo-Reformatores, sed Ecclesiæ catholicæ definitionem seu propositionem. Cf. not. in 1 Tim. VI, 20.

3. *Ut Timotheus corroboretur in gratia, et, munere suo rite fungens, fidei depositum viris idoneis tradat, Apostolus spem mercedis ei proponit sub triplici comparatione, militis, athletæ et agricolæ*, v. 3–7. LABORA, συγκακοπαθησόν, *mala patere cum* me.

4. MILITANS DEO: *Deo* glossema est; loquitur de militibus proprie dictis, ut videmus apud s. Chrys., et comparationis accommodationem lectoribus relinquit: quare scribit v. 7 *intellige quæ dico*. Hanc comparationem ejusque sensum præclarissime exponit s. Bas., in *Asceticis*, instit. prævia (Ed. Migne, t. 3, p. 619).

NEGOTIIS SECULARIBUS, του βιου, *vitæ* negotiis; i. e. iis omnibus negotiis et artibus quæ ad vitam corporis sustentandam inserviunt, ex. gr. mercaturæ, agriculturæ, operibus mechanicis seu servilibus, operibus liberalibus etc., in quantum sc. ea omnia militiam dedeceant aut impediant. Itaque s. Paulus contra hanc regulam non peccavit, quando per manuum laborem victum sibi quærebat; siquidem id numquam cum detrimento ministerii apostolici, sed potius in adjumentum ejus, ne cuipiam oneri esset, faciebat. Neque Romani Pontifices reprehendendi sunt quod potestatem habeant

ceat, cui se probavit.
5 * Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.
6 * Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.

sterio tuo occuperis, et aliquando etiam Christo duci tuo placebis. [5] Pariter, si quis athleta in ludis publicis certet, coronam obtinere non potest, nisi leges certaminis suscepti servaverit omnes : ita etiam, si in munere tuo omnes leges tibi præscriptas fideliter observaveris, gloriæ coronam quondam obtinebis. [6] Eodem modo agricola, qui in labore segnis non sit, jus habet ut ante alios de fructibus agri percipiat : ita et tu, si diligenter in vinea Domini laboraveris, certo certius mercedem amplam tui laboris

temporalem, quum hæc spirituale Ecclesiæ gubernium non impediat, sed contra ad independens muneris spiritualis exercitium vere necessaria sit.

Ecclesia, ut notum est, verba illa merito affert, quando negotia secularia, et præsertim commercium, nomine proprio aut alieno susceptum, clericis non permittit (cf. Juris Can. auctor., ubi de officiis clericorum). Illudque ipsum jam in v. T. præfiguratum fuit, cum Levitæ in divisione Terræ Sanctæ nullam acceperunt partem, ne terrenis negotiis implicarentur, sed ut toti vacare possent Deo (A Lap.).

Cui se probavit : potius, ex græco στρατολογησαντι (a στρατος *exercitus* et λεγω *colligo*), imperatori a quo delectus est et in militiam adscriptus.

5. Nam : in textu originali legitur δε, *autem;* proindeque non ratio redditur illius quod præcedit. Et qui certat in agone, εαν δε αθλη τις, potius *si autem certet aliquis*, in publicis ludis, athletarum more : 1 Cor. IX, 24. Non coronabitur... Sub hac assertione negativa latet positiva adhortatio ad constantiam in fide, non obstantibus tribulationibus ; nimirum coram oculis ponitur corona in cœlis obtinenda. Eadem confirmationis ratio adducitur quoque in versu sequenti.

6. Laborantem etc. Vide paraphr. Sensus non est : quemadmodum agricolæ jus est ut ante alios de agro suo vivat, ita etiam tu, Evangelii minister, jus habes ut honesta accipias vitæ subsidia (quasi esset responsum ad tacitam objectionem ex v. 4 desumptam : si non possum vitæ negotiis occupari, victum mihi necessarium non inveniam). Sensus hic jam a s. Chrys. rejicitur, et contextui non convenit; nam Apostolus adhortatur Timotheum per spem remunerationis, sub triplici metaphora propositæ : sis bonus miles Christi, muneri tuo penitus deditus, et duci tuo Christo

7 * Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

8 * Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum,

9 * in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum.

a Deo accipies. [7] Intellige quæ dico sub velo comparationis; et sane intelliges si attendere velis: dabit enim tibi Dominus gratiam intelligendi non solum ea quæ dixi, sed omnia alia cognitu necessaria. [8] Ut fortis et constans maneas in fide, recordare, Christum Jesum, pro quo laboras et pateris, qui verus erat homo passibilis, sicut nos, nimirum e Davidis posteritate progenitus, post passionem et mortem resurrexisse ad vitam gloriosam, quemadmodum constanter assevero in prædicationibus meis. [9] Ego etiam, propter prædicationem meam, mala patior usque ad vincula, quasi malefactor: sed nihilominus fungor officio meo; verbum enim Dei vinculis non est constrictum, sed contra per vincula mea magis placebis; certa tamquam bonus athleta, et coronam seu bravium aliquando obtinebis; labora ut agricola diligens, et mercedem laboris quondam accipies.

7. Dabit: in textu Recepto δωη, *det;* sed longe majorem auctoritatem habet lectio Vulgatæ *dabit,* δωσει, eamque adoptavit Tischendorf, post codd. AC*DEFG.

8. *Resurrectionem Christi, quam justi participabunt, adducit tamquam aliam rationem qua Timotheum ad constantiam stimulet: eumdem in finem* v. 9, 10 *suum proponit exemplum, ac tandem* v. 11-13 *mercedem fidelium et pœnas aliorum allegat.*

Ex semine David, refertur ad *Jesum Christum:* hoc addit Apostolus cum emphasi quadam, quasi diceret: Christus, etsi verus homo, utpote ex posteris Davidis, resurrexit; et tu quoque, si constans maneas, resurges. Secundum Evangelium meum (cf. 1 Cor. XV, 1 sqq.; Rom. II, 16), quemadmodum constanter doceo in prædicatione mea. Falsa est opinio illorum qui dicunt Paulum, quoties Evangelii sui meminit, de eo quod a s. Luca scriptum est intelligere. Ad suam autem prædicationem provocat, propterea quod essent pseudo-doctores qui Christi resurrectionem, quemadmodum et futuram hominum resurrectionem (infra v. 18), negarent.

9. In quo, *Evangelio* (in ejus prædicatione), non, *in quo Christo:* substantivum enim *Christus* nimis est remotum a relativo *quo.* Labora, κακοπαθω, *mala patior,* quod est elegans paronomasia cum *male operans,* κακουργος, nam mala malis sunt irroganda. — Verbum Dei non est alligatum.

10 * Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti.

11 * Fidelis sermo: Nam si com-

propagatur; [10] quamobrem omnes persecutiones fortiter suffero, ut mea prædicatione et passione ad fidem convertantur ii, quos Deus ad tantam gratiam elegit utque etiam ipsi, sicut ii qui ad fidem jam conversi sunt, per fidem in Christum æternam salutem et gloriam cœlestem consequantur.

[11] Eos autem ad illam gloriam vere distinatos esse, certissima est veritas: etenim, si cum Christo pro veritate et

S. Chrys.: " Vinciuntur manus, sed manet liber animus, et lingua libera, " quam nemo ligare potest, nisi sola formido atque infidelitas. " Non oportet hic conferre Phil. I, 12, nec Act. Ap. XXVIII, 31, quia ibi de primis vinculis Romanis agitur: atqui, secundum sententiam probabiliorem, epistola hæc in secundis vinculis scripta fuit.

10. Ideo, δια τουτο, *propter hoc*, quia verbum Dei non est alligatum, sed contra per vincula mea propagatur. Noli cum Estio intelligere de fine, hoc sensu: ut Evangelium disseminetur.

Propter electos, sc. electos ad fidem et gratiam sanctificantem. Estius explicat de solis prædestinatis ad gloriam, et hæc subjungit, quæ ab hæresi excusari vix posse videntur: " Si Paulus non sustinet nisi propter " electos, igitur ne Christus proprie passus est nisi propter electos. " — Loco cœlesti, in textu originali habetur αιωνιου, *æterna*.

11. *Ad Evangelium gnaviter prædicandum, non obstantibus persecutionibus, Timotheum excitare debet ab una parte merces cœlestis quæ fidelibus destinatur, et ab altera parte pœna æterna quæ infidelibus irrogabitur,* v. 11-13.

Fidelis sermo. Multi recentiores id ad sequentia referunt, ut 1 Tim. I, 15 et III, 1, et *nam* explicant per *nimirum, scilicet*, hoc sensu: certissimum est fore ut, si cum Christo moriamur, cum ipso quondam vivamus. Sed præferenda videtur sententia s. Chrys., qui ad præcedentia refert, sicut 1 Tim. IV, 9 et Tit. III, 8, hoc sensu: certum plane est eos, qui ad fidem christianam vocantur, ad æternam salutem et gloriam cœlestem destinatos esse, nam si etc. Quæ quidem sententia ideo melior est, quod vim nativam particulæ γαρ, *nam*, conservet.

Si commortui etc. Haud improbabilis est recentiorum conjectura, verba v. 11-13, quemadmodum 1 Tim. III, 16 et VI, 15, 16, ex aliquo hymno liturgico tunc temporis a fidelibus cantato, desumpta fuisse. Rhythmum

mortui sumus, et convivemus:
12 * si sustinebimus, et conregnabimus: si negaverimus, et ille
13 negabit nos: * si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.
14 * Hæc commone, testificans

justitia moriamur, in gloria cœlesti cum ipso resuscitato quondam vivemus; [12] si cum ipso perseveremus usque ad mortem in tolerandis malis, cum ipso in cœlis regnabimus; sin autem metu persecutionum a fide deficiamus eumque negemus, ille etiam negabit nos in hora mortis et judicii. [13] Si in incredulitatem decidamus, et fidem amittamus, ipse fidelis permanet in comminationibus quas adversus peccatores fecit, easque certo exequetur: seipsum negare, aut sententiam retractare, non potest.

[14] Hæc, quæ modo dixi, fidelibus in

sane invenimus in hoc quod quatuor sunt versus, quorum duo priores sunt synonymici et duobus sequentibus opponuntur, et quorum singuli habent duo hemistichia, nisi quod in versu quarto tria sint hemistichia, ideo forsitan quod stropham concludat. En qua ratione versus ordinandi sint:

" *Si commortui sumus — et convivemus,*
" *si constanter patimur — et conregnabimus;*
" *si negavimus (eum) — et ille negabit nos.*
" *si infideles sumus — ipse fidelis manet;*
" *nam seipsum negare nequit.* "

Si commortui sumus etc.: cf. Rom. VI, 3 sqq.; VIII, 17; Eph. II, 6.

12. Si sustinebimus, *ὑπομενομεν* (in præsenti, non in futuro tempore) valet: si perseveramus, constantes manemus in patiendo pro Christo. Si negaverimus etc., ut Matth. X, 32: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.*

13. Si non credimus: *απιστουμεν*, melius, *si infideles sumus*, quod positivam infidelitatem significat, et plane respondet verbo *negaverimus* versus præcedentis. Ille fidelis permanet, puta, *in minis suis*, et proinde certo nos abjiciet. Hunc sensum postulat antithesis cum verbis versus præcedentis *ille negabit nos.*

Negare seipsum non potest, non potest recedere ab eo quod statuit, quia veritas est immutabilis. Statuit nempe impios et incredulos, qui in peccatis moriuntur, æternum damnandos fore: atque illud tam certo accidet, quam certo verax sit Deus.

14. *Quid vitare debeat Timotheus ut in prædicando Evangelio Deo placeat, sc. pravas et hæreticas disputationes,* v, 14-16, *præsertim eorum*

coram Domino. Noli contendere
verbis : ad nihil enim utile est,
nisi ad subversionem audien-
15 tium. * Solicite cura teipsum
probabilem exhibere Deo, ope-
rarium inconfusibilem, recte
tractantem verbum veritatis.

memoriam revoca, obtestans eos coram Christo, qui in judicio testis erit hujus monitionis. Disputationes vanasque hæreticorum theorias, quæ nocivæ sunt et audientium mentes pervertunt, devita. [15] Stude teipsum probatum exhibere Deo, operarium fidelem, qui de sua negligentia erubescere non debet, qui veram fidei doctrinam recte dispensat.

qui futuram negant resurrectionem, v. 17, 18. Hæc, quæ dixit v. 11-13. Commone, ὑπομιμνησκε, *in memoriam revoca.*

Noli contendere verbis, refert lectionem μη λογομαχει, in imperativo, cum codd. AC*, verss. ital. et æthiop., et cum patribus latinis. Alia lectio est λογομαχειν, in infinitivo, codd. C***DEFGKL, verss. syr. utraq., copt., goth., s. Chrys. etc. Hæc lectio probabilior est quia difficilior; attamen prior melius congruit contextui : nam Apostolus tránsit ad aliud argumentum; nimirum ostendit quomodo Timotheus debeat Evangelium prædicare. Quare, etiamsi admitterem secundam lectionem, infinitivum sumerem pro imperativo, ut aliquando fit, potius quam ad verbum *testificans* referrem (*testificans eis non contendere verbis*), quo casu præceptum hoc (*non contendere verbis*) respiceret populum. *Pugnæ illæ verborum* (cf. 1 Tim. VI, 4) intelliguntur eodem sensu quo *vaniloquia* v. 16 et 1 Tim. I, 6, i. e. doctrinæ heterodoxæ.

Ad nihil enim utile est, refert lectionem codd. FG επ' ουδενι γαρ, sed γαρ a plerisque codicibus abest. Pro επ' ουδενι alii codd. habent επ' ουδεν vel εις ουδεν, quod videtur in eumdem sensum recidere. *Ad nihil utile est,* i. e., per litoten, *nocivum valde est.* Cl. Bisping autem επ' ουδεν χρησιμον refert ad μη λογομαχειν, hoc sensu *noli disputare circa inutilia.*

Nisi ad etc. *Nisi* certo glossema est. Igitur ita legimus : *Hæc commone obtestans coram Domino. Non disputa circa inutilia, ad subversionem audientium.* Cf. 1 Tim. VI, 4 *Ex quibus oriuntur invidiæ* etc.

15. Operarium inconfusibilem, ανεπαισχυντον, *non erubescentem* de eo quod facere debeat, seu de iis quæ ad Dei servitium pertineant, ait s. Chrys.; sed potius, qui non erubescere debet de sua negligentia, aut inconstantia, aut ignavia.

Recte tractantem : verbum ορθοτομειν (ab ορθος *rectus* et τεμνω *seco*), *recte secare*, adhibetur sæpe de via : recto incedere itinere, relictis viis distortis et flexuosis, sicut Prov. III, 6 ἱνα ορθοτομῃ τας ὁδους σου, *ut recte omnia facias.*

16 * Profana autem, et vaniloquia
devita : multum enim proficiunt
17 ad impietatem : * et sermo eo-
rum ut cancer serpit : ex quibus
18 est Hymenæus, et Philetus, * qui
a veritate exciderunt, dicentes
resurrectionem esse jam factam,

[16] Profanas autem et inanes fuge doctrinas pseudo-doctorum; isti enim ad impietatem in dies majorem proficient, [17] et errores eorum magis magisque spargentur, quemadmodum gangræna in corpore serpit et carnes continua vi altius depascit. In numero istorum sunt Hymenæus et Philetus, [18] qui circa veram Christi doctrinam aberrarunt, siquidem contendunt resurrectionem jam factam esse, modo scilicet spirituali, adeoque futuram carnis resurrectionem

Idem verbum potest sumi de eo qui panem recte secat, in æquales partes dividit, recte distribuit; vel cum s. Chrys., de coriario qui corium recte secat; vel cum Theod., de agricola qui sulcos rectos proscindit. Hic adhibetur sensu metaphorico, probabilius de verbo veritatis recte distribuendo, bene prædicando; concinit Vulgata *recte tractantem*, et Syrus *recte prædicantem.*

16. Vaniloquia, κενοφωνιας, loco cujus aliquot codices mendose legunt *καινοφωνιας, vocum novitates:* cf. 1 Tim. VI, 20. Proficiunt, græce *proficient.* Subjectum hujus verbi non est *vaniloquia,* sed *pseudo-doctores* vel *vaniloquentes,* quod nomen supplendum est: etenim quæ sequuntur *et sermo eorum...* probant verbum *proficient* ad personas, non autem ad doctrinas, referendum esse. Pro *multum ad impietatem,* græce est επι πλειον ασεβειας, *ad amplius impietatis,* ad majorem impietatem.

17. Cancer: *γαγγραινα* (a *γραινω arrodo, depasco*) sign. potius *gangrænam* quam *cancrum;* morbus designatur quo caro vi inflammationis corrumpitur, adeo ut malum in dies latius serpat, carnes vicinas depascat, ac tandem mortem inferat. Inde colligitur, sapientissime agere Ecclesiam, cum lectionem pravorum librorum et diariorum prohibeat : Trid., sess. 18; et sess. 25, vers. fin., de Indice libr.

Serpit: *νομην εξει,* in futuro quod proprie sign. *pastionem habebit* (*νομη pastus,* a *νεμω distribuo, pasco*); Vulgata scite reddidit per *serpere.* Hymenæus, de quo 1 Tim. I, 20.

18. A veritate exciderunt *:* in textu genuino *περι την αληθειαν ηστοχησαν, circa veritatem aberrarunt.* Sensus eodem recidit.

Resurrectionem esse jam factam: nimirum ex idealismo immoderato, quemadmodum postea Marcionitæ carnis resurrectionem negabant; eam autem resurrectionem, de qua loquitur Scriptura sacra, contendebant (teste Tert., De resur. carn., cap. 19) esse spiritualem hominis regene-

et subverterunt quorumdam fidem.

19 * Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc : Cognovit Dominus qui

negant ; atque ita nonnullorum fidem subvertunt.

[19] Quamvis aliqui fiant apostatæ, attamen in fide permanet Ecclesia Christi in universum sumpta : igitur immotum stat illud ædificium firmissimum, quod Deo innititur tamquam fundamento, et cui hæc insculpta est inscriptio : " *Novit* " *Dominus qui sunt sui, eosque gratia*

rationem, ex erroribus et peccatis ad veritatem et justitiam, per merita Christi in Baptismo collatam.

Subverterunt, græce *subvertunt* in præsenti tempore. Hujusmodi error fidem subvertit funditus, propterea quod inde sequatur nec Christum resurrexisse, adeoque ipsum Deum non esse etc.

19. *Quorumdam defectio nos perturbare non debet : generalis non erit; multi firmi manebunt per Dei gratiam*, v. 19, *atque adeo in Ecclesia mixti vivent boni et mali*, v. 20.

Firmum stat, antithesis cum *subvertunt.* Fundamentum Dei, a Deo positum; per synecdochen *fundamentum* sumitur pro universo ædificio; sensus itaque est : *firmum stat ædificium a Deo constructum.* Intelligimus, non, doctrinam de carnis resurrectione, neque, doctrinam evangelicam universam, sed, ut innuit contextus, Ecclesiam, quam Apostolus sub figura ædificii alibi pluries repræsentat; Ecclesiam nimirum vivis constantem membris, christianis fidelibus, qui, dum alii in errorem abducuntur, firmi in fide permanent.

Signáculum : *σφραγιδα,* proprie *sigillum alicui impressum,* inde *impressionem per sigillum factam,* ac tandem in genere *literas, signa alicui rei impressa vel insculpta,* seu *inscriptionem.* Respicit ad morem ædificio, vel columnæ, vel lapidi fundamentali insculpendi inscriptionem qua domus destinatio exprimitur.

Cognovit Dominus qui sunt ejus. Verba ex Num. XVI, 5 desumpta sunt, ubi Moyses ad Core aliosque seditiosos loquens : *Cras mane,* ait, *scire faciet Jehovah qui sunt ejus,* namque cæteros terribili pœna destructurus erat : vivos enim dĕglutivit eos terra. Pro *cognoscere faciet,* Septuaginta (legentes verbum in forma *kal* loco formæ *hiphil*) verterunt *cognovit;* et Apostolus testimonium illud citavit, ut facere solet, juxta versionem istam; nisi quod vocem *Deus* (Jehovah) mutavit in Κυριος, *Dominus,* ideo sane quod verba

sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen
20 Domini. * In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, et argentea, sed et lignea, et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in

« *sua in fide custodit;* » et : « *Quicumque Domini sunt, quicumque se ut christianos Christo addicunt, pravos errores fugiant oportet.* » [20] Mirum autem non est dari christianos falsos; nam, quemadmodum in magna domo sunt supellectilia non solum aurea et argentea, quæ ad usus honestos et honorabiles adhiberi solent, sed lignea quoque et fictilia, quæ ad usus ignominiosos inserviunt : ita etiam in Ecclesia reperiuntur non solum christiani boni

veteris Testamenti ad res novi Testamenti referre vellet, in sensu mystico illo : quemadmodum Jehovah olim, tempore Moysis, fideles suos servos cognoscebat, eosque a seditiosis Core fautoribus secernebat, ita etiam nunc Christus suos novit veri nominis christianos ; et, quemadmodum olim seditiosi illi nihil efficere potuerunt adversus populum Israel, ita nunc apostatæ nonnulli impedire nequeunt quominus Ecclesia firma permaneat.

Et : Discedat ab iniquitate etc. Altera hæc inscriptio est allusio (potius quam citatio proprie dicta) ad verba Num. XVI, 26 : *Recedite*, inquit Moyses, *a tabernaculis hominum impiorum*, sc. Core aliorumque seditiosorum. Sunt qui opinentur Apostolum respexisse ad Isaiæ LII, 11; sed hoc minus probabile est, præsertim quia hæc 2ª inscriptio priori annectitur. — Discedat ab iniquitate. Sensus non est : *mala opera non faciat*, sed, ut innuit contextus, *fugiat pravos pseudo-doctorum errores*, et se ab hujusmodi hominibus separet. *Discedat*, non stricte intelligendum est de eo qui iniquitati jam adhæsit; sed sensus est : *caveat ab ea, ei non adhæreat.* Cf. infra v. 21 *emundaverit*, pro *mundum se servaverit.*

20. *In Ecclesia et bonos et malos posse reperiri, explicat per comparationem cum domo in qua sunt supellectilia honesta et inhonesta*, v. 20.

In magna domo, i. e. *Ecclesia :* 1 Tim. III, 15; non, in *mundo*, ut censet s. Chrys. Vasa, ad latitudinem vocis hebrææ, sign. supellectilia quævis et instrumenta.

Et quædam in honorem, eadem quæ mox *aurea et argentea* dicuntur (loco *quædam... quædam*, melius esset græca sic vertere : *et illa quidem in honorem, et hæc vero in contumeliam*); symbolice sign. christianos bonos et orthodoxos. Pariter lignea et fictilia (gr. *οστρακινα*, quod proprie sign. *testacea*, sed sumitur etiam pro *fictilia*) eadem intelliguntur quæ sunt *in contumeliam*, nimirum christiani mali et falsi doctores. Malos autem et

21 contumeliam. * Si quis ergo
emundaverit se ab istis, erit vas
in honorem sanctificatum, et
utile Domino ad omne opus
bonum paratum.
22 * Juvenilia autem desideria
fuge : sectare vero justitiam,
fidem, spem, charitatem, et pa-
cem cum iis, qui invocant Do-
23 minum de corde puro. * Stultas
autem, et sine disciplina quæ-
stiones devita : sciens quia ge-
24 nerant lites. * Servum autem
Domini non oportet litigare :

et orthodoxi, sed mali et hæretici. [21] Si quis ergo caveat ab his, et in fide mundum se conservet, similis erit vasi ad usum honorabilem destinato, utpote sanctificatus, Domino utilis, ad omne opus bonum præparatus.

[22] Juvenilia autem desideria, et concupiscentias, quibus hæc ætas solet esse obnoxia, fuge ; sectare vero justitiam, fidem, charitatem, et pacem cum iis qui, tamquam boni et fideles christiani, Dominum ex puro corde colunt. [23] Stultas autem quæstiones, quæ ad veram non erudiunt sapientiam, rejice, quum noveris disputationes ex eis oriri. [24] Dedecet autem ut his te ingeras; ministro enim

hæreticos esse in Ecclesia, qui ad corpus ejus, quamvis non ad animam, pertinent, sequitur ex hoc v. 20. Eodem sensu Ecclesia a Christo comparatur cum agro in quo seminantur zizania et triticum, et cum sagena in qua pisces boni malis sunt permixti, Matth. XIII, 24 sqq., 47 sqq. Cf. etiam Matth. III, 12 : *Cujus ventilabrum in manu sua* etc.

21. *Comparationem explicat, et dicit quinam intelligantur per vasa in honorem*, v. 21. — Emundaverit se, mundum se servaverit : cf. v. 19 *discedat*, pro *non adhæreat*. Ab istis, refer ad eos qui significantur per *vasa lignea et fictilia in contumeliam*. Utile Domino, puta, magis utile, excellentiore modo; nam *vasa in contumeliam* etiam utilia sunt, indirecte præsertim : ex malis enim bonum elicit Deus.

22. *Monitum, v. præced. traditum, ad Timotheum refert, atque ita redit ad* v. 15 et 16a, *enumerans virtutes quas exercere debet Timotheus ut sit minister Deo gratus*, v. 22-26. — Juvenilia desideria, *νεωτερικας επιθυμιας*, non, *rerum novarum cupiditates* (Salmero), sed, ut interpretatur s. Chrys., *concupiscentias quibus ætas juventutis solet esse magis obnoxia*, ut carnis voluptates, levitates etc. Timotheus enim adhuc junioris erat ætatis, ut colligitur ex 1 Tim. IV, 12. — Spem : in nulla editione antiqua textus græci occurrit.

23. Sine disciplina, *απαιδευτους*, quæ nihil conferunt ad alios instituendos (*α* privativum et *παιδευω pueros instituo*). — Lites : *μαχας, pugnas* sc. verborum, disputationes.

24. Docibilem, *διδακτικον*, *idoneum ad docendum;* cf. 1 Tim. III, 2.

sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, * cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati : nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, * et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

Dei non licet disputare, sed debet esse lenis erga omnes, ad docendum idoneus, mala et injurias patienter tolerans, [25] cum mansuetudine adversarios corripiens; his enim forsitan dabit Dominus gratiam se convertendi et veram fidei doctrinam agnoscendi, [26] qua nimirum gratia a peccatis et erroribus suis resipiscant, et e retibus, in quibus diabolus eos captivos tenet sub sua potestate, liberentur.

Mox orituri sunt homines pessimi. Adhortatio ad varias virtutes, præsertim ad constantem persecutionum tolerantiam pro fide, et ad s. Scripturæ studium.

CAPUT III.

* Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt

[1] Hoc autem certo noveris, in hac ultima mundi ætate, quæ post Christum

25. Cum modestia, potius *cum mansuetudine;* nam in textu originali est εν πραυτητι. — Veritati, non est genuina vox; addita est vel ab interprete, vel potius a librariis, qui id ex cap. III, 8 per glossema insuerunt. Nequando: gr. μηποτε, quod verti debet *si quando, si forte:* nam huic loco negatio haud plane convenit. Numquam igitur de peccatore, licet maximo et obdurato, desperandum est.

26. Resipiscant: gr. αvανηψωσιν, *redeant ad sobrietatem, ad sanam mentem.* A diaboli laqueis, constructio prægnans: ad sanam mentem redeant, et a diaboli laqueis se expediant. Duæ permixtæ sunt metaphoræ: de ebrietate vel somno peccati, et de retibus, quibus, ut venator aves, peccatores obvolvit diabolus.

A quo captivi tenentur: *a quo* refertur ad *diaboli. Captivi,* εζωγρημενοι, *vivi capti* (ζωγρεω, a ζωντα αγρω, *vivum capio,* quod proprie dicitur de animalibus vivis in venatione captis). — Ad ipsius voluntatem. *Ipsius,* rursum, *diaboli,* cum Vulgata; non *Dei,* ut volunt s. Chrys. et Estius, hoc sensu: *quamdiu Deo placet;* nam græce est εις το εκεινου θελημα atqui εις sign. *ad,* non *secundum,* sicut κατα.

1. *Prædicit mox orituros esse pseudo-doctores; primum eorum pravos mores graphice describit,* v. 1-4, *et deinde malas artes detegit,* v. 6-8; *sed addit eos*

2 tempora periculosa : * erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati,
3 scelesti, * sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,

decurrit, adventura esse tempora dura et mala; [2] etenim homines passim erunt sui ipsius amantes, pecuniæ cupidi, jactatores, superbi, contumeliosi, parentibus non obedientes, ingrati, impii, [3] sine affectione seu duri in suos, perfidi, calumniatores, carnis voluptatibus dediti, inhumani (crudeles), omni bono adver-

pudore afficiendos esse, v. 8-9. — In novissimis diebus. Dictio εσχαται ἡμεραι, vel similis, extremum mundi tempus, altero Christi adventui proximum, in novo Testamento sæpe indicat, ut Joan. VI, 39, 40, 44, 55; XI, 24; XII, 48; 1 Petri I, 5; sæpe etiam sensu latiore sumitur, et ultimam mundi ætatem, quæ a Christi Incarnatione usque ad extremum judicium decurrit, significat, seu Messiæ ejusque regni tempora, verbo, omnia œconomiæ christianæ secula, ex. gr. Act. II, 17; Hebr. I, 2; 1 Petr. I, 20; 2 Petr. III, 3; 1 Joan. II, 18; Jud. v. 18; Jac. V, 3 (?). Hæc autem significatio, quæ Scripturæ sacræ propria est, refert hebraicam locutionem *Acharith haijamim* (*extremitas dierum*) prophetis solemnem, cf. Gen. XLIX, 1 etc. Porro ex contextu judicandum est, quis sensus, an strictior, an latior, verbis *in novissimis diebus* adscribendus sit. Hic autem (ut 1 Tim. IV, 1) ea late intelligenda esse, de universo christianæ religionis ævo, inde probatur, quod Timotheus v. 5 jubeatur devitare homines istos *in novissimis diebus* orituros. Apostolum vero haudquaquam inhæsisse falsæ sententiæ, mundum tunc temporis brevi periturum fuisse, ostendimus jam pluries, præsertim in Excursu *De mundi fine* ad 2 Thess. II, 1-11, in Append. istius epistolæ.

Tempora periculosa : χαλεποι, *dura, difficilia*.

2. Erunt (in textu orig. additur γαρ *enim*) homines etc. Sensus non est : erunt quidam homines seipsos amantes; nam gr. adest articulus, εσονται οἱ ανθρωποι φιλαυτοι, quod significat homines passim tales futuros, seu multos futuros esse tales. Gall. *les hommes seront égoistes*. S. Aug. (in Joan. tract. 123, 5) : " Hæc omnia mala ab eo velut fonte manant quod primum posuit " *seipsos amantes*. " Nota ultimum esse (v. 4) quod Deum non ament : " Fecerunt itaque civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui " usque ad contemptum Dei, cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum " sui (s. Aug., De civ. Dei 19, 28). "

3. Sine pace : ασπονδους, *sine fœdere, fœdifragi* seu *perfidi*, vel *implacabiles*. — Sine benignitate : αφιλαγαθοι, qui bonum vel bonos non amant.

* proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei: * habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita: * ex his enim sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: * semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes. * Quemadmodum autem Jannes, et Mambres resti-

santes, [4] proditores, protervi, fastu obcæcati, voluptatum potius quam Dei amantes, [5] qui exterius videntur pii et boni, sed interius nequaquam pii sunt. Hujusmodi autem homines aversare. [6] Moneo te, nam metuendi sunt: quidam enim ex iis in domos callide irrepunt, et falláciis suis sibi conciliant mulierculas quasdam, nimirum leves illas quæ jam multis sunt oneratæ peccatis et pravis subditæ sunt concupiscentiis variis, [7] quæ quidem virorum istorum consortia admittunt sub falsa specie doctrinæ acquirendæ; sed semper discunt et numquam ad veram scientiam venire valent. [8] Et quomodo ad veritatem venirent? Sicut olim Jannes et Jambres, Pharaonis magi,

4. Inflati: *τετυφωμενοι*, fastu obcœcati et inflati (quasi per *fumum τυφον*). — Voluptatum amatores magis quam Dei. Græce elegans est paronomasia: *φιληδονοι μαλλον η φιλοθεοι*; vide paraphr.

5. Virtutem, *vim, veritatem.* Sensus est: pii apparent exterius, sed reipsa non sunt: lupi in pelle ovina (Matth. VII, 15). — Devita: *αποτρεπου, repelle a te, aversare.*

6. Qui penetrant: in græco major vis, qui clam, callide, impudenter, irrepunt vel insinuant se, fl. *insluipen.* Captivos ducunt: *αιχμαλωτιζοντες*, eas sibi subjiciunt ita ut ab eorum nutu prorsus pendeant. Mulierculas, diminutivum ex contemptu: mulieres quasdam leviores. Oneratas (*σεσωρευμενα, cumulatas*, a *σωρος cumulus*) peccatis, puta, anteactæ vitæ. S. Hieronymus ep. 133, ad Ctesiph., observat, per mulieres incepisse omnium hæreseon propagationem. Pseudo-doctores, ad imitationem dæmonis in paradiso, debilem mulierum intelligentiam primum tentant et in errorem ducunt.

7. Semper discentes: quod ad mulieres istas, non autem ad earum pseudomagistros refertur, sicut constat ex græco. In his verbis latet ironia quam in paraphrasi expressi. — Pervenientes: in textu originali *pervenire valentes.*

8. Jannes et Mambres (loco *Mambres,* quod legitur in codd. FG et verss. it. et goth., habetur *Jambres* in aliis codd. unc., in verss. copt., syr., æthiop. etc.) erant magi Pharaonis, qui Moysi et Aaroni mirabilia signa facientibus restiterunt, et similia quædam magica arte patrarunt, donec in tertio signo victi succumberent, ut narratur Exod. VII et VIII. Horum autem nomina ex traditione rabbinica Paulus didicisse videtur.

terunt Moysi: ita et resistunt
veritati, homines corrupti mente,
9 reprobi circa fidem, * sed ultra
non proficient: insipientia enim
eorum manifesta erit omnibus,
sicut et illorum fuit.
10 * Tu autem assecutus es

Moysi restiterunt: ita pseudo-doctores isti veritati resistunt; eorum enim mens corrupta est, et, quod ad fidem attinet, probati et genuini non sunt. [9] Sed, macte animo esto, mox non proficient ultra in decipiendis christianis; namque amentia eorum erit omnibus manifesta, quemadmodum etiam magis istis Pharaonis accidit.

[10] Tu autem, longe alius ab istis,

9. Ultra non proficient. Quomodo conciliatur cum II, 17 *sermo eorum ut cancer serpet*; et præsertim cum verbis cap. hujus v. 13 *mali homines et seductores proficient in pejus?* — Respondet Mack, Paulum hic non de pravis doctoribus in universum, sed tantum de iis quos v. 6 indicavit, loqui voluisse: sed hoc ad libidinem asseritur et sine ullo fundamento. S. Thom.: non proficient *ultra* quam Deus permittit, nam insipientia eorum manifesta erit, quando Deus illuminabit abscondita tenebrarum, nempe in die judicii: sed supervacaneum est hoc dicere, tunc enim nec boni ultra proficere poterunt. Bisping et Beel. ita: non proficient eousque ut finem suum evertendæ veritatis adipiscantur. Pariter Estius: " Seductores proficient quidem ratione contagii serpentis, ita nimirum ut multos seducant: non tamen adeo proficient, ut Ecclesiam evertant. Valent enim, sed non prævalent; premunt, sed non opprimunt; oppugnant, sed non expugnant. " Verum opponitur hic non dici: non proficient *perpetuo*, sed non proficient *ulterius* (επι πλεον). Forsitan ita solvi posset difficultas: seductores *proficient* quidem *in pejus*, sc. ipsimet pejores fient; sed quamquam *eorum sermo serpet ut cancer*, et multos seducet, attamen post aliquod tempus isti non ultra proficient in decipiendis christianis; tunc enim detracta eorum larva manifesti erunt omnibus, et a nocendo impedientur.

Sicut et illorum fuit. Magi Pharaonis ad tertium signum coram omnibus imbecillitatis convicti sunt, quando compulsi sunt exclamare: *Digitus Dei est hic!*

10. *Suum proponit exemplum, præsertim in persecutionibus tolerandis*, v. 10, 11. — Tu assecutus es, sc. *mente* et *cognitione* hoc sensu: tu cognoscis meam doctrinam, etc. Sunt qui ita explicent: *tu secutus es* me, doctrinam meam amplexus es, exempla mea imitatus es; sola, aiunt, notitia istorum Timotheum commendabilem non reddidisset, neque dignum fecisset ut pseudo-doctoribus opponeretur. At vero mens Pauli non est eum

meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,
11 * persecutiones, passiones : qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, et Lystris : quales persecutiones sustinui, et ex omnibus
12 eripuit me Dominus. * Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo

meum sequere exemplum : nosti meam doctrinam, vivendi rationem, finem quem in agendo intendo, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, [11] persecutiones, passiones ; nosti qualia Antiochiæ, Iconii, et Lystris mihi acciderint : illas autem persecutiones constanter sustinui, et ex omnibus liberavit me Dominus, et te quoque eripiet. [12] Præterea, nobis animum addere debet hæc cogitatio : omnes, qui sibi proponunt pie vivere in Christo, ut veri

laudare, sed eum adhortari ad exemplum suum imitandum. — Institutionem etc. Oportet ad singula substantiva addere pronomen possessivum : *meam institutionem, meum propositum, meam fidem,* etc. Pro *institutionem* in textu originali est αγωγη, *agendi rationem* seu *vivendi modum.*

11. Persecutiones, passiones. Timotheum etiam pro fide jam passum fuisse, non est vana suppositio, quum mox Apostolus moneat, eos omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutiones pati debere; deinde, tot et tanti christianæ fidei adversarii erant Ephesi (quod liquet ex utraque ad Timotheum epistola), ut probabile non sit nullas Timotheo hactenus illatas fuisse vexationes (contra cl. Bisping).

Antiochiæ : quum hæc urbs Iconio et Lystris jungatur, vix dubium est quin designetur *Antiochia Pisidiæ,* non autem *Antiochia Syriæ.* Antiochiæ, Iconii, Lystris : tres illas potissimum nominat civitates, vel quia ex illa regione oriundus erat Timotheus, utpote Lystrensis (s. Chrys.), vel quia ibidem inceperunt persecutiones quas s. Paulus in itineribus apostolicis sustinuit, cf. Act. Ap. XIII et XIV.

Quales persecutiones sustinui : nulla est ratio quare hæc ut exclamationem habeat Mack; neque est pleonasmus cum *qualia mihi facta sunt;* nam *sustinui,* υπηνεγκα, plus significat, nempe *constanter pertuli.* Et ex omnibus etc. : hæc adjungit ut Timotheo animum atque solatium addat.

12. *Altera ratio, qua Timotheum confirmet, et adhortetur ad intrepide patiendum pro Christo :* lex est generalis viros probos in terra pati debere, dum mali e contrario minoribus molestiis affligi soleant, et plerumque in via sua prava libere progrediantur, v. 12, 13. Certe regula illa non est absolute et stricte sumenda. Obiter nota de justorum miseria et prosperitate malorum universum poema Job fuse disputare, sicut etiam plures Psalmos.

Persecutionem patientur : quod sensu latiore intelligere oportet de odio,

Jesu, persecutionem patientur.
13 * Mali autem homines, et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.

christiani, persecutionem patientur; [13] mali autem homines, qui, dum ipsimet a veritate aberrant, callidis artibus alios seducunt, a nemine lacessiti in pejus proficient.

invidia, contemptu, tribulatione, afflictione etc., quibus semper expositi sunt christiani omnes propter fidem et pietatem: cf. Matth. X, 22 *Eritis odio omnibus propter nomen meum*, inquit Christus, et Rom. VIII, 17 *Si tamen compatimur ut et conglorificemur*. Hæc est regia crucis via, quam juxta Christi vestigia sequi tenemur: " Sicut totius est temporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre (s. Leo, serm. 9, de quadrag.). " Dura nobis est militia contra diabolum, mundum et carnem; sed *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (2 Cor. IV, 17). Præterea " Studium bonæ operationis, ait s. Greg. (ep. 191 ad Narsam), ipsa adversitas auget. Sic semina messium, gelu cooperta, fertilius germinant: sic ignis flatu premitur ut crescat. " Dein persecutiones, quæ fiunt contra Ecclesiam, in bonum ipsius cedunt: sic s. Just. (Apol. I) ait: " Quanto magis in nos sævitur, tanto plures pietatem profitemur; haud secus quam si quis vitem putatione provocet ad ubertatem. " Unde, quod dicitur de singulis christianis: *Virtus in infirmitate perficitur* (2 Cor. XII, 9), hoc ipsum ad universam Ecclesiam extendendum est.

13. Nexus cum præcedentibus: dum boni persecutionem patiuntur, mali contra, a nemine lacessiti, in malitia proficient. Alii ita nectunt: non deerunt persecutiones, quia mali in pejus proficient.

Seductores, γοητες, *incantatores, præstigiatores*, quæ denominatio respicit comparationem quam v. 8 fecerat cum magis Pharaonis.

Errantes et in errorem mittentes: græce inverso ordine leguntur duo participia πλανωντες και πλανωμενοι *errare facientes et errantes;* quod videtur per figuram ὑστερον πρωτερον dictum, quum prius sit errare quam alios in errorem ducere.

In errorem mittentes, non arcte jungendum cum *proficient*, quasi sensus esset: christianos in dies magis magisque seducent; nam hæc affirmatio pugnaret cum v. 9 (vide ibi notata). Sententiam Pauli ita intellige: mali homines, qui suis erroribus alios pervertunt, proficient in pejus, i. e. adhuc pejores fient, quamquam non jam diu proficient in seducendis aliis; quanto pejores ipsi erunt, tanto facilius detegetur eorum pravitas, atque via nocendi efficacius eis præcludetur.

4 * Tu vero permane in iis, quæ
didicisti, et credita sunt tibi:
5 sciens a quo didiceris. * Et quia
ab infantia sacras litteras nosti,
quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in

[14] Nihil autem te moveat illorum perversitas: tu constanter tene doctrinas quas didicisti ac firma fide suscepisti, cum scias a quo magistro eas didiceris, videlicet a me Christi Apostolo; [15] easque in s. Scriptura fundatas esse persuasum habeas: ab infantia enim sacras Literas nosti; atqui liber ille divinus potest te ad salutem instruere, nimirum si fidem habeas in Christo Jesu.

14. *In oppositione* (VERO, δε) *cum ingravescente pseudo-doctorum perversitate, eum ad constantem et rectam fidem adhortatur,* 1° *per hanc rationem quod fidem illam ab optimo magistro acceperit,* v. 14. — CREDITA SUNT TIBI: ἁ ἐπιστωθης, *quæ credidisti, quæ plena fide suscepisti.* Vulgata videtur legisse επιστευθης, sed ista lectio nusquam comparet.

SCIENS A QUO DIDICERIS. Loco *a quo* (παρα τινος, in codd. C**DEKL, minusc. plerisque, verss. vulg., goth., copt., syr. utraque, apud s. Chrys., Theodor., Dam., etc.), Tischendorfius legit *a quibus* παρα τινων, cum codd. AB*FG, quod ita explica: sciens te didicisse fidem ab optimis magistris, a me et Barnaba, a matre tua et avia.

15. *Secunda ratio* constantiæ in fide, et in vita sancta quam fides postulat, *deducitur e notitia s. Scripturæ,* quam olim jam, sc. ab ipsa infantia, didicit, quæque ad fidem christianam hominem præparat, et virtutes christiano dignas docet.

SACRAS LITERAS, veteris sane Testamenti, quum novi scripta nondum præ manibus essent. AB INFANTIA, nempe per piam matrem et aviam (supra 1, 5): inde discamus maximam bonæ educationis utilitatem. Inde etiam colligimus matris munus esse ut liberos fidei doctrina ab infantia imbuat.

INSTRUERE AD SALUTEM: ibi enim ostenditur via sanctitatis et perfectionis sacerdotalis; ibi reperitur animæ medicina, et adversus vitia remedium efficacissimum. S. Bas. (ep. 1 ad Greg. Naz.) s. Scripturam venuste comparat officinæ apothecariæ, quæ omnibus pharmacis ad quoslibet morbos depellendos instructa est. Et re quidem vera, ut exemplum afferam, lectio et meditatio divinarum Literarum utilissima est sacerdoti ad custodiam castitatis, eximiæ illius virtutis, contra quam peccaverunt fere omnes illi qui mali umquam facti sunt sacerdotes. Aureum enim est illud s. Hier. dictum (ep. CXXV ad Rustic.): " Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis! "

PER FIDEM QUÆ etc.; refer, non ad solum vocabulum *salutem* (nam hoc

16 Christo Jesu. * Omnis scriptura

16 Quævis pars illius libri est divinitus

posito esset art. τὴν ante διὰ πίστεως), sed ad *quæ te possunt instruere ad salutem;* adeo ut dicere velit, ab eo solummodo qui Christo credat viam salutis ex s. Scriptura disci posse.

16. *Confirmatio secundæ illius rationis, ex magna divinæ Scripturæ dignitate et utilitate,* v. 16 et 17. — OMNIS SCRIPTURA : πασα Γραφη, non *universa* Scriptura, nam πασα construi debuisset cum articulo, sed *unaquæque* Scriptura. Intelligitur Scriptura de qua v. præc., igitur vetus Testamentum. DIVINITUS INSPIRATA UTILIS EST AD DOCENDUM : θεοπνευστος και ωφελιμος προς διδασκαλιαν, quod vertendum est : *unaquæque Scriptura divinitus inspirata est, atque utilis ad doctrinam.* Si Paulus dicere voluisset : *unaquæque Scriptura, divinitus inspirata, etiam* (και) *utilis est ad doctrinam,* necessario addidisset εστι post ωφελιμος, ut hoc tamquam prædicatum discerneret a θεοπνευστος tamquam ab adjectivo vocis γραφη (cf. BEELEN, *Gramm. græc. N. T.* § 17, N° 10). Conjunctio autem και certo genuina est, quamvis verss. vulg., copt., syr., arab., eam omittant. Contra sententiam traditam objicit CL. BISPING, divinam veteris Testamenti inspirationem per se fuisse a Timotheo admissam, eamque igitur affirmari haud debuisse; proinde id solum voluisse Paulum, ut practicam divinæ Scripturæ utilitatem exponeret. Verum respondemus, ea quæ dixit Apostolus : *sacras Literas nosti quæ te possunt instruere ad salutem,* aptissime confirmari 1° ex Scripturæ origine et dignitate (*divinitus est inspirata*), et 2° ex ejus utilitate (*utilis est ad docendum* etc.).

DIVINITUS INSPIRATA : θεοπνευστος vox significantissima est, et divinarum Literarum sublimissimam naturam atque inæstimabile pretium omnino denotat. Ubi de personis dicitur, sign. : divino spiritu, divino halitu afflatus (a Θεος, *Deus* et πνεω, *spiro*), divino actus Spiritu, a Dei Spiritu inspiratus ; ubi vero de rebus usurpatur, sign. : quod a divino Spiritu, ab halitu Dei, ex ore Dei, procedit, seu id in quo divinus Spiritus se revelat, quod a Dei Spiritu est inditum, inspiratum : adeo ut id sit vere, proprie, *verbum* ipsiusmet *Dei.*

Animadverte, per θεοπνευστος solum designari elementum divinæ activitatis, cui quidem, ad plenam notitiam Scripturæ divinitus inspiratæ, addere oportet elementum humanæ activitatis, quod cum divino in unum quemdam actum supernaturali-naturalem seu divino-humanum coalescit : auctor enim θεοπνευστος non est mere passivus sub motione divinæ inspirationis, neque dici debet instrumentum inanimum, a divino Spiritu motum ;

divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in

inspirata, et utilis ad docenda vera et falsa refellenda, ad mores pravos corrigendos et sanctam vitæ conversationem

quamvis tamen in actu illo divino-humano, qui ponitur quando liber sacer scribitur, partes principaliores adeo sint Deo tribuendæ, ut scriptum simpliciter et κατ' ἐξοχὴν *Dei verbum* appellandum sit.

Porro denominatio *Verbum Dei* non ita intelligenda est, ut, ad essentiam divinæ inspirationis, singulorum verborum requiramus suggestionem, quasi auctor sacer *dictante* Spiritu sancto scriberet: quamobrem cum s. Augustino (*De cons. Evang.* II, 12, 28) profitemur: " In diversitate " verborum, quibus usi sunt Evangelistæ, non tam verborum quam rerum " quærendam vel amplectendam esse veritatem; " et cum s. Hieronymo (*Epist.* 57 *ad Pamm.*): " Non verba in Scripturis consideranda, sed " sensus. " Facile tamen admitto, in quibusdam Scripturæ locis etiam ipsa verba fuisse divinitus suggesta seu inspirata, quod certo in vaticiniis iis locum habuit, quæ sibi impervia fuisse prophetæ ipsi testantur.

Igitur, ut scriptum aliquod sit divinitus inspiratum, necesse non est ut *singula verba* sint inspirata, imo vero ne requiritur quidem ut res ipsæ auctori scribenti a Deo *revelatæ* fuerint: *inspiratio* enim non involvit *revelationem*. Hæc enim non tam late patet quam illa: revelatio est patefactio rei antea non perceptæ, nec animo infixæ; inspiratio autem pro objecto habet etiam res quæ aliunde notæ sunt, vel quæ naturali industria cognosci possunt. " Historias, ait *A Lapide* in h. l., et morales exhortationes, quas antea, vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione, didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari [*inspirari* ponitur pro *revelari*, ut ex tota orationis serie constat], aut dictari a Spiritu sancto, utpote cum eas jam scirent et callerent ipsi scriptores. " Cf. Introd. nostr. in Act. Ap., 4ª ed. § 10. Peronne, *Præl. th.* T. 4, De locis th. p. II, N° 90 et seq. — Lamy, *Introtrod. in Script. s*, p. 13.

Utilis etc. S. Aug. (ep. 137, ad Volus.): " Tanta est christianarum " profunditas Literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab " ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo " studio, meliore ingenio conarer addiscere. " — In fluvio illo sacro *et agnus* (humilis) *natat, et elephans* (superbus) *mergitur*, lepide ait s. Greg., ep. ad Leandrum.

Ad docendum etc. Significantur quatuor præcipua officia pastoris et doctoris ecclesiastici, quorum priora duo ad intellectum, posteriora vero

17 justitia : * ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

informandam : [17] verbo, inservit ad hoc ut Dei minister sit perfectus, ad omne opus bonum instructus.

Timotheum obtestatur ut officio suo strenue fungatur, utque ad se Romam veniat.

CAPUT IV.

1 * Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vi-

[1] Adjuro te coram testibus omnium maximis, coram Deo Patre et Filio ejus, qui judicabit omnes homines, tam eos qui circa ejus adventum adhuc vivent et celeri morte ad tribunal judicis

ad voluntatem referuntur. S. Hier., ep. 52 ad Nepot. : " Divinas Scripturas, " ait, sæpius lege, imo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur : " disce quod doceas. " Id, ep. 53, ad Paulin. : " Inter hæc vivere, ista " meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere, nonne tibi videtur jam hic " in terris regni cœlestis habitaculum ? " Vide quid præscribat conc. Trid. (sess. 5, cap. I de reform.), de lectione Scripturæ s. instituenda.

17. Homo Dei sensu strictissimo est quivis Dei minister, præsertim vero episcopus. Ad Dei ministros hunc versum refero, quia in versu præcedenti officia ministri Evangelici describuntur, et quia 1 Tim. VI, 11 Timotheus *homo Dei* vocatur. Quod autem directe de ministris Dei asseritur, potest cum fundamento in re ad singulos fideles accommodari, facta tamen quadam restrictione ; etenim simplices fideles, quum sint minus docti quam Evangelii ministri, magnam Scripturæ sacræ utilitatem percipere non possunt, nisi Biblia adhibeant debita explicatione illustrata. Quamobrem merito prohibet Ecclesia ne quis Scripturam legat in lingua vulgari, nisi adsint annotationes exegeticæ ab auctore catholico conscriptæ, et a Sancta Sede, vel ab Episcopis approbatæ.

1. *Timotheum obtestatur ut verbum Dei gnaviter prædicet,* v. 1 et 2. — Plenior, ait Estius, est oratio græca : *obtestor igitur ego coram Deo et Domino Jesu Christo.* Sed verba *igitur ego* et *Domino* ad veram Pauli lectionem, ut ex inspectis vetustissimis codicibus liquet, nequaquam pertinent.

Vivos et mortuos : sensus, quem in paraphrasi dedimus, probatur 1 Cor. XV, 51 ; cf. 1 Thess. IV, 16.

Per adventum ipsius : refert lectionem και την επιφανειαν αυτου (accusativus

vos, et mortuos, per adventum
2 ipsius, et regnum ejus: * prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina.
3 * Erit enim tempus, cum sanam

rapientur, quam eos qui morte ordinaria (cui succedit corruptio sepulcri) jam defuncti erunt; adjuro te etiam per adventum terribilem illius judicis, cui rationem reddes muneris tui, et per regnum ejus gloriosum, quod ipse ministris suis fidelibus concedet: [2] doctrinam Evangelicam prædica; et adeo quidem huic insta, ut sive tempestive, sive intempestive, i. e. volentibus aut nolentibus, veritatem exponas; et omni quidem modo id facias, auditores nunc arguendo, nunc dure increpando, nunc vero obsecrando; sed oportet id facere cum omnimoda longanimitate et solida doctrina.

[3] Tantopere te excito, quoniam veniet mox tempus, quo sana Christi

juramenti, ut 1 Cor. XV, 31, et Jac. V, 12); quæ quidem lectio (codd. ACD*FG) longe melior est textu Recepto (contra Estium), ubi sic habetur: κατα την επιφανειαν αυτου, cum codd. D***EKL. Hujus autem sensus esset: vivos et mortuos judicabit secundum apparitionem suam, in apparitione sua, quando iterum adveniet.

2. Opportune, importune, ευκαιρως, ακαιρως, proverbialiter dictum: ista opportunitas vel importunitas respicit auditores, non Timotheum. Etiamsi aliquando veritates Evangelicæ non libenter excipiantur, necesse tamen est ut proponantur. "Sicut enim, ait s. Chrys. (Hom. de Laz. et div.), "aquarum venæ, etsi nullus veniat aquatum, manant tamen... : ita episco- "pus et concionator verbum Dei prædicare debet, etsi pauci illud audiant "et convertantur." In omni patientia (μακροθυμια, *longanimitate*) et doctrina (adeo ut reipsa doceas, persuadeas, solidis argumentis utaris etc.), spectat ad omnia prædicta v. 2, non ad ultimum solum παρακαλεσον, *obsecra*. Quam fortiter, quamque frequenter inculcatur episcopis et aliis Dei ministris officium prædicandi verbum Dei! "Prædicationis munus Episcopo- "rum præcipuum est," ait Trid., sess. 24, De ref. c. 4. Terreantur hic Episcopi et pastores qui non prædicant, inquit Theophyl.

3. *Causam addit ob quam talis requiratur prædicatio, nimirum fideles quosdam a veritate recessuros esse*, v. 3 et 4. — Sanam doctrinam, cf. 1 Tim. I, 10;

doctrinam non sustinebunt, sed
ad sua desideria coacervabunt
sibi magistros, prurientes auri-
4 bus, * et a veritate quidem audi-
tum avertent, ad fabulas autem
convertentur.
5 * Tu vero vigila, in omnibus
labora, opus fac Evangelistæ,
ministerium tuum imple. So-
6 brius esto. * Ego enim jam deli-

doctrina nimis gravis atque intolerabilis quibusdam erit, qui alios atque alios sibi quærent magistros, pravis suis conniventes concupiscentiis, a quibus optabunt talia audire quæ prurientes suas aures demulcent; [4] qui proinde veram ac puram doctrinam suscipere abnuent, et ad inanes falsasque doctrinas se convertent.

[5] Tu vero, ut malum illud cohibeas, vigilans esto in omnibus muneris tui officiis; mala patere fidei causa inflicta; opus prædicatoris Evangelici tuumque ministerium perfice. [6] Atque adeo partes meas hac in re supple: ego enim in eo sum ut sacrificium vitæ meæ Deo offeram; similis sum libamini sacro quod victimæ quando immo-

2 Tim. I, 13. Prurientes auribus, κνηθομενοι (nota nominativum) την ακοην dicitur, non de magistris, sed de iis qui sanam doctrinam non sustinebunt: isti habent *aures prurientes*, i. e. non volunt audire nisi quæ sibi amœna sunt, quæ malis suis cupiditatibus favent. Quamobrem minus recte vertit cl. Allioli : *magistros qui aures demulcent* (*Lehrer welche die Ohren kitzeln*).

4. Ad fabulas: cf. 1 Tim. I, 4; IV, 7; 2 Tim. II, 23; Tit. III, 9 etc.

5. *Timotheum denuo adhortatur, adeoque redit ad* v. 1 et 2. — In omnibus, juxta punctuationem Vulgatæ nostræ refertur ad *labora;* melius autem esset virgulam ponere, non post *vigila*, sed post *omnibus*, atque adeo nectere *in omnibus* cum *vigila*, ut in paraphr. Labora: græce *mala patere*, ut supra I, 8; II, 3.

Sobrius esto. Glossema, inde natum quod, loco *tu vero vigila* (συ δε νηφε), aliquis in margine verterit *tu vero sobrius esto*, quod etiam significat verbum νηφω, et deinde e margine in textum irrepserit altera hæc translatio.

6. *Alteram addit causam ob quam Timotheus strenue prædicare teneatur:* primam dederat v. 3, ex quorumdam perversitate deductam; nunc mortem suam propinquam allegat, ut Timotheus, novo fervore incensus, vices Pauli suppleat; vel ut verba sua, quasi sint testamentum, menti discipuli sui altius infigat. Adhortationem autem v. 5 traditam magnopere confirmat, coram oculis ponendo eximiam gloriæ coronam, quæ bonis Christi ministris præparata est, v. 6-8.

Delibor, σπενδομαι (Phil. II, 17), in eumdem sensum adhibetur ac

bor, et tempus resolutions meæ
7 instat. * Bonum certamen cer-
tavi, cursum consummavi, fidem
8 servavi. * In reliquo reposita

latur affunditur : instat jam tempus quo solvendum sit vinculum terreni mei carceris. [7] Id autem dulce testimonium mihimet ipse reddere possum, quod egregium pro Christo certamen in munere apostolico institui, et cursum tamquam bonus athleta consummavi : fidelitatem, quam ut miles imperatori meo debebam, bene servavi. [8] Quod reliquum est, parata mihi est corona

θυομαι, *immolor*. Sermo metaphoricus est, ab usu sacrificiorum, tum Judaicorum, tum ethnicorum, petitus, ut explicatur in paraphrasi. Sub eleganti hac figura latet profundissimus sensus, christianum, ad exemplum Christi, agni in cruce immolati, esse victimam Deo immolandam.

Resolutionis, αναλυσεως (ανα auget vim, et λυω *solvo*, ergo *dissolvo*), potest dupliciter intelligi, ut notat s. Th., vel de corporis dissolutione seu corruptione post mortem, vel de solutione vinculi quo anima corpori alligatur : sensus eodem recidit : cf. Phil. I, 23 *Dissolvi et esse cum Christo.*

Aperte affirmat Paulus se jam esse morti proximum : ideo persuasum nobis est, epistolam ab eo fuisse scriptam cum iterum Romæ in carcere esset, paulo ante martyrium.

7. Bonum certamen certavi, cursum consummavi : duplex metaphora a ludis publicis desumpta : cf. II, 5 ; ad eamdem imaginem pertinet *reposita est mihi corona justitiæ*, v. 8. — Fidem servavi : per *fidem* non intelligo *fidem christianam*, quasi diceret *apostata non fui*, sed fidelitatem in munere apostolico.

O quam præclara Apostoli verba, simplicem sed sublimem spirantia affectum! Loquitur tamquam pater amantissimus, qui in lecto mortis procumbens, ultimum adhortatur filium charissimum, suum ei proponens exemplum, maximumque virtutis præmium ostendens. In limine æternitatis, primum convertit oculos in præteritum et intima conscientiæ sensa pandit, v. 7 ; deinde futura secula contemplans, coronam splendidissimam intuetur, ex qua cogitatione gaudium et fiduciam pleno corde haurit et eructat, v. 8. O fortunatos nos Dei ministros, si quondam in extremo vitæ articulo magni Apostoli verba usurpare possimus ! Cujus quidem voti ut compotes fiamus, audiamus illum ipsum nobis inclamantem : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*, 1 Cor. IV, 16.

8. Corona justitiæ : vel, per hebraismum, idem ac *corona justa*, ut Is.

est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem

gloriæ cœlestis, bonis ac justis operibus meis debita; quam in die judicii reddet mihi pro meritis meis Christus judex justus; et non solum mihi, sed et omni-

LXII, 3 *corona gloriæ* pro *corona gloriosa;* vel *corona justitiæ meæ*, bonis operibus meis debita: sensus vix differt. Reddet, non *dabit*, quia est debitum quoddam, ex justitia solvendum. In illa die: consueta notatio judicii extremi, sub quo comprehenditur judicium particulare statim post mortem.

Justus judex: hoc, et *corona justitiæ*, et *reddet*, invicte demonstrant dogma catholicum, futuram gloriam a justis acquiri per meritum ex condigno, quod conc. Trid., sess. VI, can. 32 definivit his verbis: " Si quis " dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint " etiam bona ipsius justificati merita: aut ipsum justificatum bonis " operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus " vivum membrum est, fiunt, non vere mereri... vitam æternam, et ipsius " vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem..., anathema " sit. " Attente legatur ib. cap. 16, ubi inter alia docetur *vitam æternam* esse simul *gratiam* et simul *mercedem*, sc. *coronam justitiæ quam aiebat Apostolus*.

Sed et iis qui etc. Græce, ait Estius, *omnibus iis qui* etc., tametsi suspicio est notam distributivam *omnibus* in græco adjectitiam esse. Ita ille: verum vetusta documenta, quæ nunc nobis cognita sunt, probant vocem *omnibus* ad genuinam Pauli scripturam pertinere; legitur enim in codd. ACD***E*FGKL, in verss. goth., copt., syr. philox., apud Chrys., Theod., Damian., Cypr., Hier., Aug. (in aliqnib. edit.) etc. Merito igitur Patres Tridentini, sess. VI, cap. 16, quando hunc locum s. Pauli citant, vocem *omnibus* inserunt.

Utique notatu dignissimum est, a Patribus Tridentinis, a quibus Vulgata declarata est authentica, et quorum jussu data est editio Vulgatæ emendata, aliam admissam fuisse lectionem quam eam quæ in Vulgatæ nostræ editione authentica habetur: inde enim certissima eruitur conclusio, mentem concilii Tridentini haudquaquam fuisse, ut authentia, quam per solemnem declarationem Vulgatæ latinæ adscripsit, extenderetur ad omnes et singulas lectiones variantes, quæ in editione Vulgatæ, postmodum a sancta Sede perficienda et publicanda, adoptarentur. Cf. comm. nostr. Act. Ap. (4ª ed.) § 16 introd.; Beelen, *Diss. theol. de unico sensu literali*, p. 55-59. Lov. 1845. Vide etiam thesim VI quam in Univers. cath. Lov., pro obtinendo

mihi, sed et iis, qui diligunt ad-
ventum ejus.
Festina ad me venire cito.
9 * Demas enim me reliquit, dili-
gens hoc sæculum, et abiit Thes-
10 salonicam : * Crescens in Gala-
tiam, Titus in Dalmatiam.
11 * Lucas est mecum solus. Mar-
cum assume, et adduc tecum :
est enim mihi utilis in ministe-
12 rium. * Tychicum autem misi

bus iis, qui, sancte viventes, adventum ejus gloriosum diligunt, et se eo dignos exhibent.

Festina ad me Romam cito venire;
[9] nam te indigeo : Demas enim me dereliquit, vitæ suæ temporali, quam nimis diligit, consulere volens, et Thessalonicam abiit. Crescens profectus est in Galatiam, [10] Titus in Dalmatiam; [11] Lucas est mecum solus. Marcum assume et huc tecum adduc; ipse enim utilis mihi est ad Evangelii prædicationem. [12] Tychicum autem

gradu Licentiati in s. Theol., propugnavimus, quæque spectat ad N^m CCXXXI thes. s. Facult. theol. ejusd. Univ.

Qui diligunt adventum ejus, qui ideo desiderant eum, quia conscientiæ vox dictat nihil eis timendum esse; quia, quum sancte vivant, sciunt se per Christi adventum gloriosum summa felicitate donandos esse.

9. *Timotheum iterum* (cf. cap. I, 4) *invitat ut Romam ad se veniat*, v. 8d; *propter varias rationes sibi personales, deductas e tristissimis rerum adjunctis in quibus versatur, aliisque indigentiis quas patitur*, v. 9-18.

Demas Paulo etiam aderat Romæ in primis vinculis, cf. Col. IV, 14, et Philem. 24. — Hoc seculum, τον νυν αιωνα, *præsens seculum, vitam hanc terrestrem;* puta Demam Roma profectum esse, eo quod vitæ suæ timeret, quum pericula Pauli videret : ita s. Chrys. Non dicendum est eum a fide defecisse : certe in tali casu Apostolus severius locutus fuisset.

10. Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam : non oportet supplere *diligentes hoc seculum,* ut v. 9 de Dema dicitur : forsitan Crescens et Titus a Paulo fuere ablegati. Loco *Galatiam,* cod. C et Sin. habent *Galliam :* mutatio provenit ex traditione satis constanti Crescentem in Gallia prædicasse, ut ait s. Hier., De viris ill., app. § 10.

11. *Lucas et Marcus* cum Paulo Romæ erant in primis vinculis, Col. IV, 10 et Philem. 24; quum autem Marcus nunc sit absens, signum est hanc epistolam in secundo carcere exaratam fuisse. Utilis est in ministerium, εις διακονιαν, utique Evangelicum ministerium; nimirum, ut conjiciunt quidam, propterea quod linguam latinam calleret.

12. Tychicum misi Ephesum. Id ipsum fecit in primo carcere Romano,

13 Ephesum. * Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, et libros, maxime autem membranas.
14 * Alexander ærarius multa mala

misi Ephesum ut vices tuas suppleat.
[13] Penulam, quam Troade apud Carpum reliqui, tecum affer, quando venis, uti et libros meos, maxime autem membranas.
[14] Alexander, faber æra-

quando ipsi perferendas dedit literas ad Ephesios et ad Colossenses, cf. Eph. VI, 21 et Col. IV, 7. Dici nequit missionem de qua nunc loquitur eamdem esse, siquidem Romæ erat Timotheus cum ad Colossenses scriberet, cf. Col. I, 1. Sunt qui putent Tychicum fuisse hujus epistolæ 2æ ad Tim. latorem, et *misi* sumunt tamquam præteritum epistolare pro præsenti: sed si res ita se haberet, Paulus certe scripsisset *misi ad te*. Probabile autem est Tychicum Ephesum missum fuisse, ut Timothei Romam proficiscentis vices suppleret.

13. Penulam. Per φελονην vel φαιλονην (forsitan melius φαινολην) intelligitur probabiliter *penula*, i. e. pallium quo totum obtegitur corpus, quodque cum ab hiemis, pluviæ aliisque injuriis præservet, itineribus faciendis maxime est accommodatum: illud autem Paulo in humido frigidoque carcere perquam utile esse poterat; eo magis quod hiems instaret, v. 21. Ex eo quod Apostolus pallium e longinquo sibi afferri postulet, possumus conjicere ipsum vere pauperem fuisse, nemini tamen oneri fuisse. Aliqui, ut auctor versionis syriacæ, intelligunt *thecam* seu *capsam librariam:* sed quid opus erat loqui de theca, ubi mentio fiebat de libris et membranis?

Troade. Quandonam ibi penulam reliquit? Qui hanc epistolam in prima captivitate Pauli Romana scriptam censent, respondent id factum fuisse quando in tertio itinere apostolico eo venit, Act. Ap. XX, 6; nos autem, quum scriptionis tempus ad altera vincula differamus, ponimus penulam Troade relictam fuisse quando s. Paulus post liberationem e primo carcere iter in Asiam instituit.

Libros, sc. in charta ordinaria, ex papyro confecta, scriptos. Membranas, codices pretiosiores in schedis pelliceis seu foliis pergamenis exaratos; vel, secundum aliorum conjecturam, membranas quas Paulus ad scribendum adhiberet. Quamvis sciret Apostolus se brevi moriturum esse, usque ad ultimum vitæ momentum utili occupationi, nempe lectioni vel scriptioni, se impendit: quod nobis exemplum esse debet. Tamdiu discendum quamdiu vivitur.

14. Alexander ærarius (χαλκευς, *faber ærarius*), an idem sit de quo Act. Ap. XIX, 33, et 1 Tim. I, 20 mentio fiat, incertum plane est. Vide-

mihi ostendit : reddet illi Domi-
15 nus secundum opera ejus : * quem
et tu devita : valde enim restitit
verbis nostris.
16 * In prima mea defensione
nemo mihi affuit, sed omnes me
dereliquerunt : non illis impute-
17 tur. * Dominus autem mihi asti-
tit, et confortavit me, ut per me
prædicatio impleatur, et audiant

rius, multa mala mihi intulit ; sed reddet illi Dominus pœnas quas merentur pessima ejus opera. [15] Tu quoque cave tibi ab illo, nam metuendus est homo, utpote qui doctrinæ a nobis prædicatæ valde adversatus fuerit.

[16] Quando primum, in his vinculis meis, ad tribunal causam dixi, nemo eorum, qui possent opem ferre tamquam testes, mihi affuit ; sed omnes isti me dereliquerunt : quod quidem eis condonet Deus! [17] At vero, si homines me deseruerunt, Christus mihi adstitit adjutor, et gratia sua roboravit me ; in hunc finem ut, dum publice me meamque defenderem doctrinam coram judice, Evangelii

tur Epheso Romam venisse, ibique Paulo adversatus fuisse, et nunc jam Ephesum rediisse ; quamobrem monetur Timotheus ut caveat ab eo. — Ostendit : hebraismus pro *intulit*.

Reddet, αποδωσει, in codd. ACD*E*FG, verss. goth., copt., syr. utraq. etc. Pauciores testes habet lectio *reddat*, αποδῴη, in codd. D***E**KL ; fateor tamen hanc esse difficiliorem, et priorem forsitan inde natam esse quod optativus ille *reddat*, qui durus et viro christiano indignus videtur, mutatus fuerit in futurum. Sed, posito atque concesso genuinam lectionem esse αποδῴη, duritia illa facile mitigatur hac observatione : tale Pauli votum non ex odio et simultate, aut ex cupiditate ultionis procedere, sed ex amore justitiæ, ut nimirum mali puniantur, justi ad bonum excitentur etc. ; eodem modo quo explicari debent tot imprecationes in Psalmorum libro occurrentes. Cf. intr. nostr. in Psalm., 3ª ed. 1886, § 9, ubi de divinit. illius libri agitur.

16. In prima mea defensione : *in prima*, non, omnium prima, quam habuit quando primum Romam advenit, de quo itinere scribitur Act. Ap. cap. ult. ; sed prima quam instituit cum Romæ denuo detentus fuit. Nemo, sc. eorum qui tamquam testes mihi auxilium præstare poterant ; non dicit nullum e christianis, Romæ degentibus, ipsi fidelem mansisse.

17. Ut per me impleatur : s. Chrys. modestiam Pauli notat, cum dicit *ut per me impleatur*, non, *ut ego impleam*. — Impleatur, πληροφορηθῃ, ut plenam certamque fidem prædicationi Evangelii præbeant homines omnium

omnes Gentes : et liberatus sum
18 de ore Leonis. * Liberavit me
Dominus ab omni opere malo :
et salvum faciet in regnum
suum cœleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.
19 * Saluta Priscam, et Aquilam,
20 et Onesiphori domum. * Erastus
remansit Corinthi. Trophimum
autem reliqui infirmum Mileti.
21 * Festina ante hiemem venire.

prædicatio plena et firma fide audiretur ab omnibus gentibus : nimirum ab hominibus variarum nationum, huc Romam confluentibus. Christi igitur auxilio, periculum mortis imminens effugi. [18] Et nunc, quidquid accidat, faciet Dominus ut numquam grave quoddam peccatum committam ; ipse salvabit me et in regnum suum cœleste perducet : quamobrem exopto ut sit ei gloria in totam æternitatem ! Fiat !

[19] Saluta meo nomine Priscam et Aquilam, et Onesiphori familiam domesticam. [20] Erastus remansit Corinthi ; Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. [21] Festina ante hiemem huc

gentium : vide paraphr. Liberatus sum de ore leonis, non, e vinculis meis, neque (ss. Chrys. et Thom.) a ferocia Neronis, vel, a damnatione ad bestias ; sed dictio est metaphorica, qua se e præsentissimo mortis periculo liberatum affirmat, cf. 1 Cor. XV, 32. In ed. auth. Vulgatæ *leonis* scribitur cum majuscula, quasi vero designaretur ipsemet Nero.

18. Liberavit, refert lectionem ερρυσατο, in codd. FG, in it. et Patrib. lat. aliquib. Prævalet ρυσεται (fut.) *liberabit*, cum codd. ACD* et verss. copt., arm. etc. Futurum autem illud firmissimam Pauli exprimit fiduciam. Ab omni opere malo : non, ab omni persecutionis periculo ; nam pugnaret cum v. 6, ubi se martyrio proximum dicit ; sed (Estius, Bisp., Beel.) ab omni peccato quod ex metu tormentorum committere potuisset.

19. *Epistolam concludit pro more per varias salutationes et nuntios quosdam*, v. 19-21 ; *quibus addit in fine apostolicam apprecationem*, v. 22. — Priscam et Aquilam, de quibus cf. Rom. XVI, 3. Onesiphori domum, cf. supra I, 16.

20. Corinthi... mileti. In primo itinere Romano neutram harum civitatum vidit Paulus, unde firmatur opinio nostra de tempore scriptionis hujus epistolæ. Erastus, an idem sit qui Rom. XVI, 23 et Act. Ap. XIX, 22 nominatur, certo dici nequit. Trophimus, cf. Act. Ap. XX, 4 et XXI, 29.

21. Ante hiemem, vel quia hiberno tempore periculosior est navigatio, vel quia cito venire oportebat, quum mors Paulo instare videretur. Pudens,

Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.

22 * Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.

venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et christiani omnes qui hic sunt.

22 Dominus Jesus Christus sit cum spiritu tuo per gratiam suam! Imo vobiscum omnibus sit Dei gratia! Fiat!

Analysis logica universæ epistolæ.

Finis Apostoli primarius, ut in introductione diximus, fuit Timotheum rursum adhortari ad rite fungendum munere episcopali, atque adeo 1° eum *confirmare* in fide et zelo apostolico contra ingravescentes impugnationes et persecutiones; deinde 2° eum *excitare* ad majorem diligentiam, animi firmitudinem, vigilantiam etc.; tandem 3° eum de quibusdam *instruere*, præsertim de pseudo-doctorum erroribus eorumque malis artibus.

Quemadmodum in analysi epistolæ præcedentis fecimus, ita et nunc universum epistolæ argumentum ad certa capita, sparsim ab Apostolo tractata, revocabimus, ea omnia quæ ad eamdem spectant materiam ex variis partibus colligentes, et ordine quodam logico singulas sententias atque ratiocinationes synthetice componentes.

Ad quinque autem capita omnia reducemus.

I. *Quid Apostolus Timotheo præcipiat, aut commendet, quod spectat ad ferventem et constantem muneris episcopalis adimpletionem.*

Primum monet eum ut novum excitet fervorem, seu ut resusci-

secundum probabilem conjecturam Baronii, Wiseman, Bisp., Beel., pater Praxedis et Pudentianæ, de quo in Martyrologio Romano ad 14 Junii. LINUS, primus s. Petri in sede Romana successor. CLAUDIA uxor ejus (?). Salutationes istæ innuunt Timotheum jam Romam venisse, adeoque hanc epistolam in secundis vinculis prodiisse.

tet gratias quas in s. Ordinatione accepit I, 6, præsertim vero ut robur ostendat, I, 7 et II, 1, maxime quando pro fide patiendum est, 1, 8 et II, 3. Igitur fidei certamen legitime instituat II, 3-5.

Deinde, quod attinet ad docendi munus, commendat ei ut sanam servet doctrinam I, 13, tamquam depositum ejus curæ commissum I, 14, et II, 2; adeoque permaneat in iis quæ didicit III, 14. Proinde errores vitet II, 16, 23 et disceptationes II, 14, 24; fideles quodque adversus falsas vanasque doctrinas muniat II, 14; hunc in finem prædicationi instet opportune, importune, arguat, obsecret et increpet IV, 2; leniter tamen semper agat cum fidei adversariis II, 24-26.

Quid fugere debeat Timotheus. Præter errores et lites, de quibus modo diximus, negotia secularia II, 4 et juvenilia desideria vitare tenetur II, 22.

Tandem, in genere oportet ut sit vigilans, et ministerio suo rite fungatur IV, 5, seseque Deo probatum reddat II, 15, et omnigenas sectetur virtutes statui suo congruas II, 22 sqq.

II. *Adjumenta præcipua quæ adhibet Apostolus, vel rationes quas allegat, ut Timotheo varias illas adhortationes, monitiones et instructiones persuadeat.*

1° Amorem eximium ei exhibet, quum dicat se pro eo frequenter orare I, 3, magnumque manifestet desiderium ipsum videndi I, 4; quare etiam eum Romam instanter invitat IV, 8, 21.

2° Eum laudat ob præclaram fidem aviæ ejus et matris, quam ipse (Timotheus) olim jam suscepit I, 5, et ob ceteras ejus virtutes III, 10, imprimis ob Scripturæ sacræ cognitionem III, 15.

3° Ei in memoriam revocat, tum gratias quas in s. Ordinatione accepit I, 6, tum etiam beneficium vocationis gratuitæ I, 9 et sanctificationis per Christum I, 10.

4° Suum proponit exemplum in virtutibus exercendis, et in persecutionibus sustinendis I, 8, 9, 11, 12; II, 9, 10, III, 10, 11; IV, 7. Huic autem argumento novum affert pondus, quando

addit se jam morti proximum esse, adeo ut monita illa habenda sint tamquam ultima et sacratissima patris morientis verba IV, 6.

5° Mentionem facit diei judicii I, 12 et IV, 1; in quo dabitur, vel præmium gloriæ II, 5, 6, nimirum participatio gloriosæ Christi resurrectionis II, 8, 11, 12, et IV, 8; unde qui tale præmium accipiet, comparatur cum vase ad usum honestum destinato II, 21. Vel, si fidelis non maneat, in die judicii pœnas dabit gravissimas II, 13, utpote similis vasi ad usum ignominiosum adhibendo, II, 20.

6° Ei quoque ante oculos ponit, tamquam exemplum, fidelitatem quorumdam, v. gr. Onesiphori I, 16-18; et præsertim aliorum defectionem, quæ nata est ipsi salutarem incutere timorem I, 15 et II, 16-18. Describit etiam pericula in dies majora, quæ a malis doctoribus imminent; hos autem graphice depingit ut homines pravos, callidos et metuendos III, 1-9, 13; IV, 3, 4.

7° Verum, quum non sufficiat terror salutaris, sed utilior sit sancta fiducia, ideo monet, Ecclesiam, cujus ministerio se dicavit Timotheus, futuram esse indefectibilem, non obstante istorum pseudo-doctorum infidelitate II, 19, 20.

8° Præterea animum ei addit, quando ostendit doctrinam fidei, pro qua laborat, ab optimo magistro ipsi nuntiatam fuisse III, 14; eamdemque fidem in s. Scriptura fundatam esse III, 15.

9° Diligentiam ejus stimulat per recordationem finis excellentissimi ad quem tendunt ministri sacri; scilicet, ipsi laborant ut mali resipiscant et ab insidiis diaboli liberentur II, 26; utque homines tandem æternam obtineant salutem II, 10.

10° Ne autem animus frangatur ærumnis et vexationibus, monet certam esse hanc generalem regulam: omnes qui volunt pie vivere in Christo, passuros esse persecutiones III, 12.

III. *Quænam præcipue ad ipsum Paulum personaliter spectent.*

Primum, apostolicam suam affirmat auctoritatem, dicens se esse Apostolum per voluntatem Dei I, 1, 11, et gentilium doctorem I,

11. Testatur se Deo fideliter servire, quemadmodum progenitores sui fecerant I, 3. Namque olim multa passus est pro Christo III, 11, deinde hic et nunc in vinculis jacet I, 12, 16, II, 9; quæ tamen vincula non impediunt quominus fidem prædicet II, 9; imo vero defensio, quam coram tribunali instituit, rei evangelicæ utilis fuit IV, 17. Præterea multos nactus est adversarios I, 15 et IV, 14, 15, atque nunc omnibus fere sociis est destitutus IV, 9-12, 16, 20. Fatetur tamen se ab Onesiphoro egregie adjutum fuisse I, 16-18.

Vehementer exoptat apud se socium habere Timotheum, eumque ut cito Romam veniat IV, 8, et quidem ante hiemem IV, 21, invitat. Etenim, quamquam in prima defensione coram tribunali adjuvante Deo periculum evasit IV, 16 et 17, attamen plane persuasus est mortem sibi instare IV, 6 : nihil igitur mirandum, si desiderat ut Timotheus Romam veniat : eo vel magis quod velit ut afferat, non solum penulam quam Troade reliquerat, sed præsertim libros et membranas, atque tandem ut Marcum, qui Paulo utilis erit, secum adducat IV, 11, 13.

Ad finem vitæ quum pervenerit, præterita intuens, testatur se munere suo fideliter functum fuisse IV, 7; deinde futura contemplans, firmiter sperat dandam sibi esse gloriæ coronam IV, 8; etenim, confidit fore ut usque ad extremum vitæ terminum fidelis in fide permaneat I, 12, et a gravi peccato immunem se conservet IV, 18.

IV. *Quid præsertim dicat s. Paulus in hac epistola de hæreticis et Ecclesiæ adversariis.*

Postquam duos nominatim indicavit fidei adversarios II, 17, inter alios errores hunc notat gravissimum : resurrectionem jam factam esse II, 18; et generatim affirmat a pseudo-doctoribus fidem subverti, ib., eorumque doctrinam inanem esse, lites generare, amœnam esse iis qui pravis ducuntur concupiscentiis IV, 3 et 4.

Neque errores solummodo, sed maxime vitia eorum graphice depingit III, 1-5; deinde varia detegit artificia, quibus alios depra-

vare conantur: externam virtutis speciem exhibent III, 5; in domos irrepunt et mulierculas sibi prave devinciunt III, 6, simulantes se velle docere eas III, 7; atque generatim callidis artibus, ut magi olim Pharaonis, utuntur III, 8. Quamobrem hujusmodi homines sunt devitandi III, 5, utpote valde metuendi III, 1, quorum sermo malus ut gangræna serpet aliosque sensim corrumpet II, 17.

V. *Puncta quædam alia, notatu digna, separatim indicata.*

Præclara s. Scripturæ laus III, 15-17.

Per meritum de condigno acquiritur futura gloria IV, 8.

Ecclesia solis electis non constat II, 19, 20.

Varii nuntii, et præcepta seu monita de rebus familiaribus. IV, 9-15.

Salutationes ad quosdam IV, 19, et a quibusdam ib. 21.

Apprecatio sancta, in initio epistolæ I, 2, et in fine IV, 22.

EPISTOLA

AD TITUM.

Potens sit [Dei minister] exhortari in doctrina sacra, et eos qui contradicunt arguere. Ad Tit. I, 9.

INTRODUCTIO.

§ 1. De s. Tito et ecclesia Cretensium.

De s. Tito in Actibus Ap. nulla fit mentio. Primum occurrit nomen ejus Gal. II, 1, 3, ubi refertur eum Antiochia Hierosolymam ad Apostolorum concilium de Legalibus cum Paulo ivisse. Ex illo loco discimus, Titum parentibus ethnicis fuisse natum (a Paulo forsitan ad fidem conversum, quum *germanus filius*, *γνησιον τεκνον*, vocetur Tit. I, 4); non tamen ab Apostolis coactum fuisse circumcisionem suscipere. Ubi vero natus sit, non certo constat; probabilis est conjectura eum Antiochiæ ortum esse, non autem, ut s. Chrysostomus (Hom. 1 in Tit.) censet (ex lectione variante Act. Ap. XVIII, 7 forte deceptus), Corinthi; Corinthii enim Tito ignoti erant, antequam hic ad eos missus fuerat ab Apostolo (ut colligitur ex 2 Cor. VII, 14, 15; VIII, 16; XII, 18).

Quando scripta fuit epistola ad Galatas, in horum regionem jam venisse videtur Titus, quum Galatis notus supponatur (Gal. II, 1, 3); postea a Paulo bis Corinthum missus est, Epheso et e Macedonia (2 Cor. II, 12, 13; VIII, 16 sqq.); imo probabile est ipsum fuisse latorem 2æ epistolæ ad Cor.

Ex ep. ad Titum novimus ipsum s. Pauli comitem fuisse in itinere quod in Cretam instituit, et ab eodem ordinatum fuisse episcopum ecclesiæ ibi fundatæ, et ibi mansisse post discessum Apostoli (Tit. I, 5). Ultimum mentio fit de ipso, brevi ante Pauli mortem, in 2 Tim. IV, 10, ubi in Dalmatiam abiisse legitur.

Tradit s. IGNATIUS (*ad Philadelph.* IV), quem sequitur s. HIER. (*Comm. in Tit.* II, 7), Titum per totam vitam mansisse cœlibem; cui quidem traditioni favet hæc observatio, nullam in epistola occurrere indicationem unde contrarium eruere liceat; quum tamen, si uxorem aut liberos habuisset, s. Paulus aliquid de ejus agendi ratione erga familiam probabiliter inseruisset.

Mortuus autem est s. Titus in ætate provecta (EUSEB. *Hist. eccl.* III, 4). Festum ejus, jussu Pii IX, prima die libera post 4^m Januarii, ritu duplici in Ecclesia celebratur.

Creta (nunc *Candia*), maris Ægæi insula insignis, aeris salubritate et soli fertilitate celebris, Homeri ætate centum habens urbes (*Iliad.* II. 649), ob incolarum luxuriam, pigritiam, et fallaciam, pessimum nomen sibi induxerat; quod Apostolus (Tit. I, 12) ex poeta Epimenide confirmat. Inter eos, qui miraculo Pentecostes aderant, fuerunt etiam Cretenses (Act. Ap. II, 11); attamen non tam ab iis, quam ab ipso Paulo, ecclesiam Cretensium fundatam fuisse innuitur Tit. I, 5. Cum autem Apostolus ex hac insula proficisceretur, Titum ibi reliquit, ut opus inceptum perficeret, per civitates presbyteros constitueret etc., Tit. I, 5.

§ 2. Tempus et locus scriptionis.

Quæstio hæc magnis obnoxia est difficultatibus, unde et variæ sunt doctorum sententiæ. Id unum certo novimus, hanc epistolam exaratam esse post Apostoli commorationem in insula Cretæ (Tit. I, 5), et ante hiemem Nicopoli transactam (Tit. III, 12) : sed quandonam hoc et illud factum sit, nusquam legimus; præterea, plures erant tunc civitates *Nicopolis* dictæ.

Præcipuas autem recensebimus sententias, in hunc potissimum

finem, ut ostendamus falsum esse quod contendit De Wette (*Erklär. des Briefes an Titus*, 2e Aufl. 1847. Einl.), nullum in historia Pauli hucusque repertum fuisse tempus ad quod, cum quadam probabilitate, iter in Cretam possit referri.

1a Sententia *Hug*, *Michaelis* (Prot.), *Haneberg* aliorumque, tenet, Paulum Cenchreis in Syriam navigantem (Act. Ap. XVIII, 18) ad Cretam devenisse, cum ob causam ignotam a via deflexisset, forsitan propter tempestatem et naufragium (puta unum ex tribus naufragiis de quibus ipse loquitur 2 Cor. XI, 25), indeque Ephesum abiisse (Act. Ap. XVIII, 19), atque ibi ad Titum scripsisse. Sed hæc excursio in Cretam est gratuita suppositio, quæ cum narratione Act. Ap. haud recte conveuit.

2a Sententia *Wieseler*, *Güntner* etc., docet, Paulum cum Tito ad insulam Cretæ in illo venisse itinere, quod intra triennium commorationis suæ Ephesinæ (Act. Ap. XIX, 8-10, 22) per Macedoniam instituit; cujus quidem itineris mentio non fit in Act. Ap., sed quod innuitur 1 Tim. I, 3 et III, 14, 15. Ex insula Cretæ venit Corinthum (1 Cor. XVI, 7), indeque reversus est Ephesum (ib. 8), ubi ad Titum scripsit, inter epist. 1m et 2m ad Corinthios.

Verum, præter alia plurima, objici potest, valde mirum videri silentium s. Lucæ in Act. Ap., quod attinet ad rem tanti momenti, sc. conversionem Cretensium ad fidem christianam; eo vel magis quod, cum Act. Ap. XXVII, 7 narret Paulum in Creta multo tempore mansisse, nihil dicat de ecclesia antea ab eodem fundata, nihil de christianis ibi degentibus, qui, si fuissent, sane ad Paulum venissent ut eum salutarent. Præterea, rationes, quas in intr. ad 1 Tim. adduximus, ut ostenderemus illam epistolam serius scriptam esse, sc. circa ultimos annos vitæ s. Pauli, id ipsum de nostra epistola innuunt: intendo præsertim errores Gnosticismo præludentes, de quibus epistolæ ante prima vincula Romana, vel in eis scriptæ, nullam faciunt mentionem.

3m Igitur ut probabiliorem admittimus sententiam *Theoph.*, *Nat. Alex.*, *All.*, *Beel.*, *Bisping*, *Drach* : s. Paulum, post liberationem e priore carcere Romano, in Cretam profectum fuisse

cum s. Tito, ibique fidem prædicasse, et quum mox abire coactus esset, ipsum constituisse Cretæ episcopum; ad quem, aliquo tempore postmodum, forsitan ex Macedonia (Drach), vel, ut opinatur Bisp., ex Asia-Minore, puta, ex urbe Epheso [1], has scripsit literas, paulo ante epistolam ad Timotheum primam, circa annum 64 aut 65 æræ nostræ. Cf. intr. in Act. Ap. 4ª edit. § 17.

Ad objectionem autem, quæ ex Rom. XV, 19, 23 petitur, respondemus, verba adeo generalia ad unam insulam aliquam extendenda non esse. Alia autem difficultas, quæ desumitur ex eo quod Titus ad Paulum Romam venit, non in prioribus vinculis (cf. Col. IV, 10-14), sed in alteris (ut constat ex 2 Tim. IV, 10), solvitur dicendo, s. Titum, quamvis Romæ non esset tempore quo s. Paulus ad Colossenses scripsit, potuisse tamen eo venire antequam vincula ejus fuissent soluta.

§ 3. Finis scribentis, argumentum, et divisio.

Epistola ad Titum in scopo et argumento haud exiguam habet similitudinem cum priore ad Timotheum. Quamvis enim s. Paulus præcepta ad munus episcopale rite obeundum Tito jam oretenus dedisset, ea tamen est illius muneris gravitas, ut per epistolam ipsum accuratius pleniusque instruere voluerit de iis omnibus quæ ad rectam ecclesiæ ipsi commissæ gubernationem pertinerent.

Cap. I, præmissa inscriptione solemni 1-4, monet Titum ut ministros sacros (episcopos vel presbyteros) oppidatim constituat; et diserte tradit dotes quibus illi debent esse instructi, 5-9; describit deinde errores et pravos mores, præsertim Judaizantium, quos oportet impugnare : 10-16.

---

(1) Plures codices in subscriptione epistolæ notant eam *Nicopoli Macedoniæ* (quæ distinguenda est ab alia civitate ejusdem nominis in Cilicia) compositam fuisse : hæc autem vetus opinio ex verbis Tit. III, 12 male intellectis orta videtur : verus istius loci sensus potius innuit s. Paulum tunc temporis Nicopoli nondum fuisse.

Cap. II, exponit quomodo Titus senes et anus, adolescentulas et juvenes, ac servos, docere, omnibusque bonum exemplum præbere debeat 1-10; ut ipse, sicut et alii christiani, beneficiis Redemptionis recte ac juste respondeat, 11-15.

Cap. III, vult ut Titus ad obedientiam civilibus magistratibus debitam, aliasque virtutes, præsertim erga ethnicos, adhortetur christianos, rursum beneficia allegans redemptionis per Christum, 1-8; stultas de lege Mosaica quæstiones et lites fugiat, hæreticos autem post duplicem correptionem devitet, 9-11. Sequuntur familiaria quædam 12-14, et salutationes 15.

Divisionem aliquam logicam, quam secutus fuerit Apostolus, inquirere hic non oportet, ut ex descripto liquet argumento; ob eamque causam tria capita, quemadmodum in editionibus Bibliorum ordinariis fieri solet, in commentario distinguemus.

§ 4. Authentia.

Præter difficultates, quas contra tres epistolas pastorales simul sumptas movet *De Wette*, rationalista, sequentes contra epistolam ad Titum peculiariter effingit.

Rationalistarum objectiones.

1° In historia Pauli nullum reperitur tempus, ad quod cum quadam probabilitate iter Apostoli in Cretam referri possit.

2° Quæ in hac epistola dicuntur, non conveniunt cum rerum adjunctis in quibus scripta perhibetur. Etenim

a/ Pauco tempore postquam Cretensium ecclesia fundata est, exarata fuit hæc epistola; attamen conqueritur Apostolus ob multitudinem et efficaciam pseudo-doctorum ibi jam exortorum (I, 10 sqq.) : quomodo tam cito facta est christianorum depravatio ?

b/ Si Cretenses Pauli prædicationem avide et alacriter accepissent, ut innuitur in hæc epistola [nam tantopere jam ibi propagatum erat Evangelium, ut per singulas civitates constituendi essent

presbyteri seu episcopi I, 5], mirum videtur nullum haberi verbum laudis, aut gratiarum actionis, aut bonæ fiduciæ in gratiam eorum, sed contra, testimonium valde durum atque contumeliosum adductum fuisse, cap. I, 12, 13.

c/ Pseudo-doctrinæ, præsertim post Pauli discessum, ut videtur, propagatæ et evolutæ fuerunt in insula Cretæ: proindeque eas noscere debuit Titus, Cretæ incola, melius quam Paulus qui procul inde aberat.

d/ Dotes, quæ in episcopo requiruntur, indicant ecclesiam jam diu existentem, atque regulariter ordinatam; etenim, si vix fundata fuisset communitas christiana, in eligendis ministris respiciendum fuisset ante omnia ad fervorem, zelum, generositatem atque intrepiditatem illorum quos converterat Paulus vel Titus : quum tamen hic ad irreprehensibilitatem externam, et qualitates morales exteriores fere unice attendatur.

e/ Si epistola paulo post Apostoli prædicationem in insula Cretæ exarata fuerit, mirum est, nullam in ea occurrere mentionem illius quod ibi fecerit vel passus fuerit Paulus; idque vel eo magis offendit, quod in 1 ad Thessalonicenses, in similibus missa personarum adjunctis, res longe aliter se habeat.

3° Nec fini scribentis conveniens est epistola ad Titum, nec necessitudinibus quæ inter auctorem et lectores exstabant :

a/ Finis enim nonnisi duplex esse potuit : Titum instituere primum de presbyteris [vel episcopis] eligendis, secundo de pseudo-doctrinis impugnandis. Atqui, quæ primum spectant punctum, nimirum I, 5-9 adeo insulsa seu debilia (*unbedeutend*) sunt, et tam clare præcognita, præter id solum *unius uxoris vir*, ut Tito parum utilia fuerint. Nec perfectius attingitur alter finis : namque ab una parte, falsæ doctrinæ indefinito modo describuntur (I, 10-16; III, 9) ; et ab altera parte, nihil eis opponitur unde solida confutatio desumi possit. Ad illud enim inservire nequit fluctuans observatio de mundo et immundo (I, 15), nec regulæ morum parum profundæ, nullis nixæ principiis et omnibus per se notæ, quæ habentur II, 1-10, III, 1 sqq.; neque majorem vim habent

tum recordatio perfectionis moralis propter quam Christus incarnatus est, II, 11-14, tum assertio illa nimis generalis, doctrinam practicam solam esse utilem, placita autem hæreticorum vana esse et noxia, cap. III, 8, 9.

b/ Vel ad solum Titum, vel ad Cretenses simul scripta est epistola; si primum, superfluum est quod dicit Apostolus I, 2, 3 ad fidem sibi conciliandam, superfluæ quoque regulæ morum et veritates morales, quæ tales sunt ut Tito per se notæ dicendæ sint II, 1—III, 8. Quominus vero alterum supponamus (quæ quidem suppositio nullam ex ipsa epistola confirmationem habet; cf. III, 15), obstant dura et contumeliosa verba cap. I, 12, 13, quæ cum ordinaria Apostoli solertia non congruunt.

Ita ratiocinatur vel potius delirat rationalista ille, quem ideo fuse citavi, ut hoc exemplo discamus, qua via et quibus principiis nostra ætate authentia divinorum impugnatur librorum : solet enim auctor ille De Wette in compendium redigere omnes objectiones, quas cæteri increduli biblici exquisierunt.

Refelluntur Rationalistarum objectiones.

Indirecta primum et generalis responsio petitur 1° ex omnibus argumentis positivis et historicis, quibus epistolarum pastoralium authentia comprobatur (cf. intr. in epist. Pauli pastoral. § 2); 2° ex innumeris et longe majoribus difficultatibus, quæ adversus eum militant qui contendit, illas epistolas, semper et ubique et ab omnibus in Ecclesia catholica et in omnibus sectis christianis admissas, a falsario quodam insciis omnibus fabricatas fuisse, atque nemine reclamante in universam Ecclesiam subdole sparsas vel per vim quamdam intrusas fuisse.

Antequam vero difficultates, a De Wette propositas, directo modo aggrediamur, animadvertimus hujusmodi argumenta interna, quibus libri cujusvis authentia vel demonstratur vel impugnatur, per se non esse nisi argumenta *secundaria*, quæ cedere debent

argumentis primariis, ex testimonio et auctoritate desumptis. Etenim, an auctor talis talem scripserit librum, quæstio est facti, adeoque solvi debet iis argumentis quibus certitudo alicujus facti historici stabilitur. Potest fieri ut maneant quædam difficultates circa modum aut convenientiam facti; at vero, si semel constet, et certo quidem constet per testes idoneos, de facti existentia, non licet fidem ei denegare, aut de eo dubitare, sed propriam ignorantiam fateri oportet. Sic, postquam per legitima testimonia novimus cum plena certitudine, epistolam aliquam a s. Paulo fuisse conscriptam, etiamsi nesciamus causas ob quas auctor hæc vel illa dixerit, hæc vel illa omiserit, tam dure vel tam leniter locutus fuerit etc., non tamen licebit ideo epistolam ab eo abjudicare; sed, si rectam rationem sequi velimus, agnoscemus non adeo nobis perspecta esse omnia rerum et personarum, locorum et temporum adjuncta, ut statuere valeamus quid in epistola, abhinc decem et octo seculis composita, Paulo scriptori conveniat vel repugnet.

Nunc ad singulas objectiones breviter respondemus.

Ad 1m satisfactum est in § præcedenti.

Ad 2m. a/ In insula Cretæ multos fuisse Judæos testantur Philo (*Leg. ad Caj.* n. 36) et Flavius Josephus (*De bello Jud.* II, 7; *Antiq.* 17, 12); plures sane ex eis, miraculis allecti, fidem amplexi sunt, sed male conversi, et mente non renovati, errores suos cum doctrina evangelica conciliare conati sunt; adversus quos præsertim scribit s. Paulus.

b/ Non plane videtur Cretenses eximia laude dignos fuisse, aut singulari cum alacritate fidem suscepisse; et in hac etiam hypothesi, quis melius quam Apostolus discernere poterat, utrum mansuetudo, an vero severitas hic et nunc eis utilior futura esset?

c/ S. Paulus, quum ex inspiratione divina scriberet, et per revelationem, directe a Deo acceptam, fidem Christi edoctus fuisset, rectius certe quam Titus definire poterat, quid, in doctorum Judaizantium placitis, veritati contrarium, vel saltem minus consentaneum esset. Eorum autem doctrinas cognoscebat, et plenius quam Titus, quia Judaizantes, quos repererat in itinere suo per insulam

Cretæ, ibi eosdem errores ac aliis in locis spargebant. Præterea, quis affirmabit Paulum, antequam ad Titum scripserit, nullos accepisse nuntios de rerum statu apud Cretenses?

d/ Apostolus etiam scire debuit, melius quam *De Wette*, quænam dotes tunc temporis præsertim requirendæ essent in ministris sacris eligendis; dotes autem recensitæ nequaquam innuunt ecclesiam Cretensem diu jam fundatam fuisse: neque ad solam externam irreprehensibilitatem referri psssunt quæ leguntur I, 8.

e/ Magna datur differentia inter epistolam ad Titum et eam ad Thessalonicenses, quum hæc ad totam communitatem, illa vero ad solum proprie Titum scripta sit; profecto inutile fuisset ipsi exponere quid in Creta fecisset aut passus esset Apostolus, quum Titus comes ejus fuisset. Tandem, scripsit Paulus et omisit quodcumque voluit, quodcumque utilius aut aptius judicavit, ob causas ipsi cognitas; neque est quod nos ea de re disputemus.

Ad 3^{m}. a/ Quare ergo s. Paulus alios etiam fines sibi præscribere non potuit? v. gr. Titum docere de agendi ratione erga personas variæ ætatis, sexus, conditionis (II, 1-6, 9; III, 1); deinde eum ipsum (II, 7 et 8) et generatim christianos omnes ad virtutes et vitam sanctam adhortari (II, 12 sqq.). Sed qua fronte asserere ausit quis, instructionem circa qualitates eorum qui ad ministerium sanctum assumendi erant, esse inutilem, aut insulsam, aut illius temporis necessitatibus incongruam? Verum, aiunt, dotes illas jam sciebat Titus. Num forsitan De Wette rectius quam s. Paulus perspexit quid Titus hac de re jam nosceret? Deinde, an regulæ jam notæ in memoriam numquam revocandæ aut iterum inculcandæ sunt? Quid, quum pater scribat ad filium suum, eique regulas quasdam honestæ vitæ tradat, numquid rem dicet insulsam, si moneat ipsum ut irreprehensibilem se in omnibus servet, et aliis bonum semper præbeat exemplum sicut honoratæ familiæ filius, ut sibi eligat socios et domesticos qui bonis sint instructi moribus, ut caveat ab ebrietate, impudicitia etc.? quæ tamen omnia ante patris literas filio sane haud incognita erant.

Quod autem ad doctrinas falsas pertinet, satis superque descri-

buntur ut inde Titus eas rite perspiceret; imo vero, adeo definite manifestantur, ut nos etiam, post tot secula, fundamentales Judaizantium istorum errores intelligamus. *Scientificam* vero (sit venia verbi) et completam errorum confutationem tradere nequaquam voluit Apostolus; neque eam dare potuit in brevissima epistola familiariter et currente calamo scripta; sed nec tradere necesse erat Tito, discipulo suo atque socio, quem de doctrina fidei ejusque fundamentis, adeoque de contrariæ doctrinæ falsitate, viva voce satis instituerat. Attamen, talia sparsim scribit quæ ad confutandos pseudo-doctores validissima sunt, v. gr. quando auctoritate sua apostolica, ab omnibus admissa, affirmat eos sanæ et fideli Christi doctrinæ contradicere (I, 9), Judaicas fabulas et mandata hominum docere (I, 14), pessimisque deditos esse moribus (I, 16), quod legibus et indoli christianæ religionis directe est oppositum (II, 11-14 et III, 4, 5) etc.

Observatio de mundo et immundo (I, 15) nequaquam fluctuans erat quod attinet ad Titum, qui noverat rationem ob quam omnia essent munda mundis, nimirum quia discrimen ciborum, lege Mosaica introductum, abolitum erat per novam Christi legem.

Regulæ morum II, 1-10 et III, 1 sqq., etsi brevissimæ, miro judicio et singulari sapientia unicuique hominum ætati et conditioni sunt accommodatæ; atque Christi Incarnatione et œconomia universæ Redemptionis, tamquam principio firmissimo, nituntur.

Quod habet Apostolus de fine morali christianæ religionis adeo efficax est, ut quicumque monitis ejus obediens, *impietatem et secularia abnegat desideria, atque sobrie, juste et pie vivit, exspectans beatam spem et adventum gloriosum Salvatoris nostri :* is certo certius ad culmen religiosæ perfectionis brevi perventurus sit.

b/ Valde propendemus in hanc sententiam, ut dicamus soli Tito scriptam esse epistolam; nam quæ leguntur cap. I, 2, 3 nequaquam demonstrant auctoritatem Pauli Tito esse incognitam, aut ab eo rejectam; atque regulæ morum et instructiones variæ, quas tradit Apostolus, superfluæ dici a nemine possunt, nisi ab eo qui id ab ipso Tito didicisset : imo vero, tantum abest ut Tito fuerint inu-

tiles, ut vel hodiedum omnibus ministris sacris majorem partem opportunæ et fructuosissimæ sint.

Cretensibus autem christianis prælegendam fuisse hanc epistolam, Tito proprie scriptam, conjectura est, incerta quidem (et, mea quidem sententia, minus probabilis, præsertim propter verba III, 15), sed quæ impossibilis aut certo falsa propter verba dura cap. I, 12, 13 dici nequit; illa enim verba bonos et ingenuos christianos, a vitiis præteritæ vitæ conversos, offendere non debebant; malos vero et falsi nominis christianos oportebat dure et severe objurgare: vult enim Apostolus ut ora eis occludantur (I, 11), utque severe arguantur (I, 13); quia vel hoc modo ad sui cognitionem et pœnitentiam perducendi erant; vel, si obstinati manerent, ad iram apertam concitandi erant acri reprehensione; atque in tali casu alios jam seducere non poterant, quum, larva detracta, coram omnibus apparerent hæretici. Utrum autem in iis rerum hominumque adjunctis severitas an vero indulgentia utiliter adhibenda esset, Apostolus pro nota solertia, melius certe quam De Wette discrevit.

At vero finem huic disceptationi imponamus oportet, quamvis multa addi possent ad rationalistarum confusionem. Id unum pro coronide moneo, objectiones istorum scholæ *rationatisticæ* (seu potius *irrationalis*) magistrorum, sæpius esse assertiones tantum gratuitas, audacissimas quidem, sed nullo argumento solido nixas: hypothesibus enim magnopere delectantur isti increduli, iis saltem quæ fidei catholicæ et historicæ certitudini contrariæ sunt.

Hac occasione obiter animadvertere liceat, hujusmodi scribendi et ratiocinandi exemplar quoddam impudentissimum, e schola Germanorum rationalistarum serviliter excerptum, ab impio *Renan*, christianæ religionis desertore, et divini Salvatoris scelestissimo blasphematore, nuper fuisse exhibitum, in opere infami *La vie de Jésus*.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ AD TITUM.

Cap. I.	Inscriptio, in qua vera Christi doctrina obiter exprimitur; deinde gratiæ apprecatio : 1-4. Constituendi Ecclesiæ ministri : eorum dotes : 5-9. Redarguendi Judaizantes, quorum pravi mores et errores perstringuntur; Cretenses autem dure increpandi : 10-16.
Cap. II.	Regulæ morales pro senibus et juvenibus utriusque sexus : 1-6. Titus præbeat bonum exemplum in operibus et verbis : 7-8. Officia servorum : 9-10. Incarnationis finis (quo nituntur illæ regulæ) : 11-15.
Cap. III.	Obedientia superioribus civilibus debita; benigne agendum etiam erga ethnicos : 1-2. Quare hæc benignitas requiratur : 3-7. Christiani satagant bona opera facere, 8. Stultas quæstiones pseudo-doctorum Titus effugiat, eosmetipsos post debitas monitiones devitet : 10-11. Familiaria quædam : 12-14. Salutationes, et ultima gratiæ apprecatio : 15.

Dotes episcopi et presbyteri. Pseudo-doctores arguendi.

CAPUT I.

1 * Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ se-
2 cundum pietatem est * in spem

[1] Ego Paulus, servus Dei in ministerio sacro, et Jesu Christi Apostolus, ab ipso missus ut eos, quos Deus ad hanc gratiam elegit, ad fidem adducam et ad agnitionem veritatis, illius nimirum quæ verum Dei cultum docet; [2] utque hoc modo spem in iis excitem

1. Inscriptio v. 1-4 adeo amplificatur, ut exordium quoddam, in quo sententia fundamentalis totius epistolæ exprimitur, efformet. Multum similitudinis habet cum inscriptione epistolæ ad Romanos : eam igitur confer.

Servus Dei, non lato sensu, quo omnes homines pii *servi Dei* dicuntur, sed servus Dei peculiaris, Dei minister in religione prædicanda. Loco *servus Dei*, Rom. I, 1 et Phil. I, 1 vocat se *servum Christi*, qua denominatione ministerium suum magis determinat, scilicet : Dei minister in religione *christiana* prædicanda. Ex eo quod se servum nunc *Dei*, nunc *Christi* dicat, colligimus cum s. Hier. et Estio, Christum secundum certam Apostoli persuasionem esse verum Deum, Patri æqualem.

Apostolus autem J. C. *Autem*, δε, non adversativa particula est, sed explicativa, et magis definit sensum verborum *servus Dei :* sic etiam ep. Jud. 1.

Secundum fidem etc., κατα την πιστιν : κατα non normam indicat secundum quam agere debet (nam quomodo novisset quinam essent vere electi?), sed finem ad quem factus est Apostolus, cf. Rom. I, 5. — Fidem electorum Dei, ut ad fidem convertam eos quos Deus ad hanc elegit gratiam : nam fidem amplecti nemo potest sine gratia Dei. Estius per *electos* prædestinatos ad gloriam intelligere videtur : immerito certe.

Et agnitionem veritatis : fides christianorum nihil aliud est quam agnitio veritatis perfectæ. Hoc addit ut innuat pseudo-doctores Cretenses, qui fidem impugnabant, a veritate excidisse, v. 14. Quæ secundum pietatem est : *quæ*, sc. *veritas*, ut patet ex græco ; *secundum pietatem*, i. e. *circa pietatem* versatur. *Pietas* autem, ευσεβεια, hic sign. *verum Dei cultum* (s. Th.); igitur : quæ veritas (seu, quæ doctrina christiana) verum Dei cultum docet. S. Hier. : " Absque pietate notitia veritatis delectat ad præsens, " sed æternitatem non habet præmiorum. "

2. In spem, επ' ελπιδι, refer, non ad *pietatem*, neque ad *veritatis* (quasi

vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus, ante tem-
3 pora sæcularia: * manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei:

vitæ æternæ obtinendæ. — Eam autem vitam, per Christi fidem assequendam, olim jam mundo promisit Deus qui mentiri nescit; [3] nostris vero temporibus, ut ab æterno statuerat, hominibus dedit quod promisit; nam doctrinam illam Christi, qua vita æterna est obtinenda, annuntiavit per prædicationem Evangelii, mihi (quemadmodum aliis Apostolis) jussu Dei salutis nostræ

sensus sit: quæ veritas cultum Dei docet, et spem tradit vitæ æternæ), sed ad omnia *secundum fidem* usque ad *pietatem est.* Vide paraphrasim.

Quam (vitam) promisit Deus ante tempora secularia, quum olim, et statim quidem post lapsum originalem, promisit serpentem conterendum fore, omnesque gentes aliquando esse benedicendas, sc. per Messiam, per Christum suo tempore venturum, qui homines ad vitam æternam esset vocaturus. Vitam æternam in vetere Testamento fuisse promissam vel prædictam, nonnisi hoc loco scribit s. Paulus; sed ideo non oportet (cum Bisp. et Drach) relativum *quam* ad *veritatis* referre, quod violentum est: Beelen etiam nectit *quam* cum *vitam.*

Ante tempora secularia. S. Hier., s. Aug. (De civ. Dei 12, 16) et s. Thom., explicant: antequam tempora esse cœperunt, ante constitutionem mundi (Eph. I, 4), ab æterno; cf. Rom. XVI, 25 juxta Vulgatam; 2 Tim. I, 9. Verum coguntur isti interpretes sumere *promisit* pro *decrevit*, vel (ut s. Chrys.) *dare decrevit, prædestinavit apud se in mente divina:* quæ quidem substitutio nulla nititur ratione. Ideo *ante tempora secularia* intelligimus cum Bisp., Beel.: *olim, antiquis jam temporibus* (cf. Luc. I, 70 *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus*); et post *promisit* supplemus *per prophetas suos*, ut Rom. I, 2.

3. Manifestavit, respondet voci *promisit*, adeo ut sensus sit: quod promisit, dedit, aperte manifestando quod antea erat obscure nuntiatum. Promisit olim fore ut homines per adventum Messiæ ejusque doctrinam felices redderentur; nunc autem Messiam ejusque doctrinam salutarem adesse fecit, atque adeo promissa adimplevit. Eamdem sententiam vide Col. 1, 26.

Temporibus suis, καιροῖς ἰδίοις: Act. Ap. I, 7 *tempora quæ Pater posuit in sua potestate*; cf. 1 Tim. II, 6; Gal. IV, 4; Eph. I, 10. — Verbum suum: s. Hier. et s. Aug. (De civ. Dei 12, 16) intelligunt Filium Dei; sed magis obvius est sensus s. Chrys. quem in paraphrasi dedi. — Secundum præceptum, etc.: cf. 1 Tim. I, 1.

4 * Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro.

5 * Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego dispo-

auctoris concreditam. — [4] Ego, inquam, Paulus scribo Tito, qui germanus est filius meus, eamdem mecum fidem profitens. Gratia tibi, et omne bonum salutare, a Deo Patre et a Christo Jesu salvatore nostro concedantur!

[5] Quando ex Creta profectus sum, ibi te episcopum reliqui, in hunc finem, ut ea quæ rectæ illius ecclesiæ ordinationi adhuc deerant tu perficeres, adeoque ut in singulis insulæ civitatibus sacros ministros constitueres, sicut

4. Dilecto : græce constanter legitur γνησιῳ, *germano, genuino*. Germanus dicitur filius, quia fidem servat quam tradidit ipsi Paulus : quapropter additur *secundum communem fidem.*

Gratia et pax. Post *gratia*, textus Receptus habet ελεος, *misericordia*, cum codd. AC**KL ; verum prævalet lectio Vulgatæ, quæ hanc vocem omittit cum codd. C*DEFGI, et verss. copt., syr. pesch., æthiop. (ed. Rom.), armen. : ελεος est glossema ex 1 Tim. I, 2.

Salvatore : quum Christum nunc vocet Salvatorem nostrum, et v. præc. hoc ipsum de Deo dixerit, patet Christum Deum esse.

5. Cretæ, melius *in Creta;* nam Creta non urbis, sed insulæ nomen est. Per civitates, κατα πολιν, *per singulas civitates.*

Presbyteros. Quum autem eosdem v. 7 *episcopos* nominet, concludendum est tunc temporis appellationem illam πρεσβυτεροι, *seniores*, fuisse adhuc ambiguam, adeo ut de sacerdotibus primi ordinis (*episcopis* proprie dictis) et secundi ordinis (*presbyteris* stricte dictis) adhiberetur (cf. 1 Tim. III, 1; videsis Dissert. special. in Act. Ap. XX, 17, ad calcem comm. nostri 4ª ed.); attamen illud bene notandum est, quamvis nomen aliquando fuerit commune, non ideo eamdem fuisse eorum potestatem ordinis et jurisdictionis; nam de fide est episcopos esse presbyteris superiores in utraque potestate, et theologice certum est præstantiam illam esse ex jure divino. Hic caute legendus est s. Hier., qui dixit : " propter schismata, consuetudine potius " quam Dominica institutione factum esse ut presbyteris præessent " episcopi. " Hoc intellige, non de ipsa Episcoporum potestate, sed de usu ejusdem, quasi olim Episcopi se gessissent ut æquales presbyteris : quæ explicatio ex iis quæ subdit s. Hier. eruitur : " Imitantes Moysen, qui cum solus posset præesse populo, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. " Atqui, istis certo major erat Moyses, ergo etiam episcopi presbyteris superiores sunt.

Sicut disposui : gr. *disposueram*, nimirum quando in Creta eram. Ex

6 sui tibi. * Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ aut non subditos.
7 * Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri
8 cupidum : * sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, san-

ego jam tibi præceperam quando in Creta eram. [6] Ad sacrum autem munus elige virum inculpatum, qui alteras nuptias non contraxerit, cujus filii sint boni christiani, non obnoxii intemperantiæ vel carnis libidini, neque refractarii. [7] Illas requiro dotes, quoniam oportet ut minister sacer sit vir inculpatus, tamquam Dei œconomus (domus ejus administrator), non arrogans, neque iracundus, neque vini potationi deditus, aut violentus, aut turpe lucrum sectans ; [8] sed debet esse hospitalis, cujuscumque boni studiosus, vigilans, justus in proximum, pius in Deum, cupiditates suas

hoc versu liquet, ad potestatem civilem nequaquam pertinere jus nominandi et constituendi ministros Ecclesiæ.

6. Hujus loci, v. 6-9, parallelus est 1 Tim. III, 2-7 ; quamobrem annotationes ibi factas conferre oportet. Filios habens fideles : emphasis est in adject. *fideles* (cf. ann. 1 Tim. III, 4) ; sensus igitur non est : filios habeat, iique sint christiani ; sed : si filios habeat, debent esse fideles, i. e. christiani. Ratio hujus præcepti est : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit ?* 1 Tim. III, 5.

Non in accusatione luxuriæ, aut non subditos, idem est ac : *filios habentem subditos, cum omni castitate,* 1 Tim. III, 4.

7. Episcopum. Probabilius est, ut notavimus 1 Tim. III, 2, vocem *episcopum* hic proprie intelligendam esse de sacerdote primi ordinis (quam significationem innuit numerus singularis *episcopum*) ; ea tamen facta animadversione, secundum mentem Apostoli (ex v. 5 *presbyteros* manifestam) ad simplices sacerdotes extendendum esse quod dicitur de dotibus episcoporum, ob similitudinem multarum functionum et officiorum, quæ inter sacerdotes primi et secundi ordinis existit.

Dispensatorem, οικονομον, *domus* Dei *administratorem.* — Superbum, αυθαδη (αυτος et ἁδεω, *mihimetipsi placeo*), *sibi placentem, arrogantem.*

8. Benignum : φιλαγαθον, amantem et studiosum boni, recti ac honesti (de rebus), vel eum qui amat probos (de personis). Opponitur ei adj. αφιλαγαθοι 2 Tim. III, 3. — Continentem : εγκρατη, proprie *qui sui compos est* (εν et κρατος), inde *sibi temperans,* qui cupiditates refrenat, eas potissimum quæ ad carnalem libidinem et gulam pertinent. Igitur, ex hac voce sola probari

9 ctum, continentem, * amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

10 * Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores : maxime qui de circumci-

refrenans, [9] qui constanter tenet doctrinam illam fide dignam, quam Christus et Apostoli docuere; cui firmiter adhærere tenetur, ut possit tum credentes in sancta doctrina confirmare, quum fidei adversarios redarguere.

[10] Atque ad hoc ultimum idoneus esse debet; nam multi apud vos reperiuntur, qui sunt intractabiles vaniloqui, et seductores; intelligo præsertim Judæos

non potest, quod per alia argumenta demonstravi 1 Tim. III, 2, episcopum non posse vivere cum uxore.

9. Supra docuit qualem oportet esse episcopum in vita, hic ostendit qualem oportet esse in doctrina (s. Th.). — Amplectentem : *αντεχομενον*, quod plus significat, sc. eum qui tenaciter alicui rei adhæret (s. Thom.), velut unguibus affixæ.

Qui secundum doctrinam est : sermo ut sit fidelis, i. e. fides christiana, ut sit pura et genuina, debet esse *secundum doctrinam*, i. e. secundum id quod Christus et Apostoli eorumque successores docuerunt.

Ut potens sit exhortari : " Non dicit *ut exhortetur*, sed *ut potens sit exhortari;* quod est quando habet in promptu exhortationes (s. Th.). " Exhortari, græce *παρακαλειν*, quæ vox latiorem habet significationem, nimirum *consolari*, *docere*, *adhortari*, *admonere*, etc. — Et eos qui contradicunt arguere. Igitur, quod spectat ad docendi munus, duo sunt ab episcopo facienda: positivum unum, eos qui recte credunt confirmare, excitare etc., negativum alterum, fidei adversarios confutare.

10. Enim : rationem reddit quare episcopi, apud Cretenses constituendi, debant esse speciali modo potentes ad confirmandum in veritate, ad confutandos errores. — Etiam inobedientes : particulam *και*, *etiam*, omisit Lachmann cum codd. ACI et verss. goth., copt., syr. utraq.; verum eam, ut Vulgata, admisit Tischendorfius cum codd. DEFGKL, animadvertens *και* multo facilius ejici quam addi potuisse.

Inobedientes, sume tamquam adjectivum, quod refertur ad subst. *vaniloqui et seductores* (ideo velim delere virgulam quæ in Vulg. habetur post *inobedientes*) : sententia enim præcipua est in *vaniloqui* et *seductores :* episcopus debet esse potens ad fidei adversarios confutandos, quia dantur apud vos vaniloqui et seductores, eo vel magis quod isti sunt *multi et intractabiles.* — Seductores, *φρεναπατοι*, *qui mentes decipiunt*, fere idem ac *γοητες* 2 Tim. III, 13.

11 sione sunt : * quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.
12 * Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta : Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.

male conversos. [11] Istis autem oportet ora obstruere; totas enim subvertunt familias, siquidem docent falsa et noxia, et nonnisi turpe lucrum sectantur. [12] Ad istos referendum est quod de Cretensibus in genere cecinit quidam ex iis, proprius ipsorum vates (poeta) : *Cretenses semper sunt mendaces, crudeles, gulæ et inertiæ dediti.*

11. Redargui : ἐπιστομίζειν, *os obturare* (præsertim dicitur de equis, mulis, etc., qui freno ori immisso coercentur), inde *ad silentium redigere.* Universas domos : melius ex græco *totas domos*, totas familias. S. Thom. : " Doctrina catholica publice proponitur in ecclesia, sed hæretici latenter,... " et ideo circumeunt per domos, ut seducant præsertim mulieres, 2 Tim. " III, 6. "

12. Ex illis, non, Judæis, sed Cretensibus. — Quidam ex illis. Poetæ Callimacho hunc versum tribuit Theodoretus; at vero, neque apud eum integer habetur versus, sed hemistichium tantum Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, *Cretes semper mendaces;* neque etiam patria Cretensis, sed Cyrenensis (in Lybia) fuit ille. Quamobrem sententiam amplectimur s. Hieronymi, qui Epimenidem citari putat, in cujus libro deperdito Περὶ χρησμῶν, *De oraculis*, integer versus videtur fuisse repertus. Epimenides ille Gnoso, olim urbe principe Cretæ, oriundus, sexto ante Christum seculo floruit. Ter solummodo, et quidem semper a s. Paulo, citantur in novo Testamento verba ex ethnicis poetis desumpta, ut notavimus ad Act. Ap. XVII, 28.

Propheta vocatur, eodem sensu quo Græci poetas quandoque προφήτεις dicebant, i. e. *viros divino numine afflatos, sacro furore vaticinantes, viros divinos, vates.* Nota προφήτης non semper eum designare qui futura prædicit. Proprius ipsorum : id addit Apostolus, ut quod in verbis istis est ingratum a se avertat.

Cretenses etc. : in græco versus est hexameter, quem A. Lap. hoc versu reddit : *Cres semper mendax, mala bestia, venter iners est.* — Mendaces : hoc adeo verum erat, ut κρητίζειν idem sonaret ac *mentiri, fallere;* inde proverbium πρὸς Κρῆτα κρητίζειν, *cum vulpibus vulpinandum*, gall. *à trompeur trompeur et demi.* Malæ bestiæ, homines ad nocendum prompti, feri et agrestes etc. Cretenses olim omnino male audiebant, unde dici solebat :

Κρῆτες, Καππαδόκες, Κίλικες : τρία κάππα κάκιστα.
Cretes, Cappadoces, Cilices, sunt tria C pessima.

13 * Testimonium hoc verum est.
Quam ob causam increpa illos
14 dure, ut sani sint in fide, * non
intendentes Judaicis fabulis, et
mandatis hominum, aversantium
se a veritate.
15 * Omnia munda mundis : coin-

13 Testimonium hoc verum est; et quia tales sunt Cretenses, oportet uti severitate; igitur, increpa eos acriter, ut a recta fidei doctrina non deficiant;
14 adeoque non intendant fabulosis narrationibus a Rabbinis excogitatis, neque mandatis eorum de cibo, aut potu, aut lotionibus : isti enim homines sunt, adeoque jus non habent ut hujusmodi præcepta imponant; imo vero, tales sunt qui a vera Christi doctrina se avertant.
15 Discrimen ciborum, quod statuunt, nullum habet fundamentum ; nam omnia quæ Deus creavit munda sunt,

13. Testimonium hoc verum est. Insinuare videtur se non omnia istius poetæ dicta probare. Attamen, ut notat s. Th., doctor s. Scripturæ accipit testimonium veritatis, ubicumque invenerit. An verba citata adeo dura Cretensibus fuerint ac nobis videntur, nequaquam affirmare ausim, quum ab usu et a rerum adjunctis id multum pendeat; certe, vel per hoc solum lenius sonuere, quod ex maximo ac divinissimo ipsorum poeta fuerint desumpta. De cætero, non certo constat hanc epistolam Cretensibus prælegendam fuisse; et, si hoc admittamus, dicemus Paulum egisse ut medicum qui, ubi opus fuerit, ad vivum resecat carnes. Vide introd. in h. epist. § 4. Increpa illos, sc. Cretenses, qui Judaizantium doctrinis falsis expositi erant, nec satis firmiter eis adversabantur. — Dure : sunt malæ bestiæ, quibus debetur flagellum (s. Th.).

14. Judaicis fabulis : cf. 1 Tim. I, 4. — Mandatis hominum. Per hujusmodi mandata intelligit Rabbinicas de cibo, potu et lotionibus præscriptiones, legi Mosaicæ superadditas, ut constat ex versiculo seq., et ex coll. Col. II, 16 sqq. Vide ibi notata.

15. Omnia munda mundis, quod spectat ad usum creaturarum, ut contextus ostendit; rationem hujus effati dedit 1 Tim. IV, 4 *Omnis creatura Dei bona est*, et Rom. XIV, 14 *Nihil commune per* (se) *ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse.* Igitur, per se licitus est creaturarum usus; *per se*, inquam, quia per accidens malus fit, si inordinatus sit, aut lege positiva prohibitus. Addit *mundis*, ut innuat quod modo dixi : debito et ordinato modo creaturis utendum esse, et veram hominis munditiem seu sanctitatem esse interiorem, eamque ab actibus ejus internis, a mente et voluntate pendere; quoniam *non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quæ de corde exeunt*, Matth. XV, 17-20 (ad ment.).

quinatis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens, et

modo quis bene et sancte eis utatur; sed pro illo qui pravis vivit moribus, aut qui fidem amplecti non vult, nihil est mundum in oculis Dei; aliis verbis: res externæ per se bonæ sunt, ac proinde hominem inquinare non valent; unum est quod hominem mundum aut pollutum reddit, sc. actiones quæ a voluntate ejus procedunt: si rebus externis perverse utatur, jam fiunt ipsi malæ et immundæ: mens enim et conscientia ejus, quum sint contaminatæ, causa sunt quare rebus istis male utatur.

Nihil ex hoc vers. 15 contra leges ecclesiasticas de abstinentia et jejunio concludi posse, jam notavi Col. II, 22; illudque hac sola demonstratur observatione: si quidam cibi ab Ecclesia certis diebus prohibentur, id non fieri contra doctrinam Apostoli, adeoque non ex errore Judaizantium, aut Simonianorum et Gnosticorum, qui cibos aliquos dicebant per se immundos; neque ex humana, adeoque infirma potestate, ut Rabbini faciebant, quando privata sua auctoritate novas ciborum prohibitiones legi Mosaicæ addebant.

Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum. Falsissimus est sensus quem veteres Protestantes, post Lutherum, ex his verbis eruerunt, *omnia infidelium opera esse peccata* (cf. *Conc. Trid.*, sess. 6, can. 7). Hoc sibi vult Paulus: quemadmodum res externæ, v. gr. cibi, per se fœdare non possunt homines sanctos, recte eis utentes: ita quoque abstinentia ciborum non potest mundare seu sanctificare homines malos, perversos, qui eis abstinent ob pravam tantum rationem, hanc nempe, quia eos in se immundos habent. Sanctitas enim aut malitia hominis non pendet per se ab usu aut abstinentia rerum externarum, sed ab actibus internis, a mente et voluntate. Qui mala agunt conscientia, v. gr. infideles aut etiam christiani perversi, peccant et coram Deo se inquinant, sive cibis abstineant, sive eis utantur; sed contra, qui recto et sancto animo ducuntur, scil. boni christiani, isti per usum ciborum, in se consideratum, inquinari non posunt — hoc certe posito, cibos justa quadam lege non esse prohibitos, eosque indebito modo non percipi; quæ quidem restrictio mente supplenda est, namque in tali casu, utentes bona et pura conscientia non agerent; et, quod eos tunc contaminaret, non esset cibus in se consideratus (nullus enim est cibus in se immundus), sed actus internus voluntatis quo, non obstante legitima prohibitione, sive legis positivæ, sive legis naturalis, se determinarunt ad cibum manducandum, adeoque ad legem violandam.

16 conscientia. * Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

[16] Dico conscientiam eorum contaminatam esse; nam, dum verbis profitentur se nosse Deum, operibus eum negant (ita agunt ac si Deum non agnoscant), siquidem abominabiles sunt et pervicaces, et præ morum corruptela ad nullum apti opus bonum.

Agendi ratio erga personas varias. Finis Incarnationis sanctus.

CAPUT II.

1 * Tu autem loquere quæ de-
2 cent sanam doctrinam : * Senes
ut sobrii sint, pudici, prudentes,
sani in fide, in dilectione, in

[1] Isti falsa et inania docent, tu vero loquere quæ veræ Christi doctrinæ consentanea sunt: [2] senibus præcipe ut vigilantes (cauti) sint, graves, moderate se gerentes, sinceri et fortes in fide, in charitate et ærumnarum to-

Igitur causa, ob quam *coinquinatis et infidelibus nihil mundum est,* hæc ab Apostolo datur: *quia inquinata est eorum mens et conscientia,* quia falso judicant et perverse agunt, quod spectat ad usum ciborum; adeoque *mens* eorum in errore gravi circa fidem versatur, quum discrimen ciborum a lege Moysis introductum adhuc exstare, aut cibos quosdam esse per se malos opinentur; et *conscientia* seu voluntas eorum depravata est, quum ex pessimo fine a cibis abstineant, et ad explendas malas concupiscentias rebus exterioribus sæpe abutantur.

16. Factis negant. S. Hier.: " Quoties, ait, vitiis vincimur, Deum " negamus; e contrario, quoties boni quid agimus, non ore, sed re ipsa " Deum confitemur. " — Incredibiles: ἀπειθεῖς (α priv. et πείθω, *suadeo,* qui persuaderi non vult), *increduli, contumaces, pervicaces,* etc.

1. Tu autem: opponit Titum pseudo-doctoribus istis quos supra I, 10 sqq. descripsit; et quæ decent sanam doctrinam opponit verbis *quæ non oportet* v. 11, et *judaicis fabulis et mandatis hominum* v. 14.

2. *Senes,* et v. 3 *anus,* et v. 4 *adolescentulæ,* et v. 6 *juvenes,* sunt verba quæ simpliciter ætatem indicant, non ecclesiasticam conditionem: cf. 1 Tim. V, 1 sqq. — Sobrii, νηφαλίους, *vigilantes, cauti.* Pudici, σεμνούς, *graves honesti.* Prudentes, σώφρονας, in omni actione prudenter, temperanter, moderate se gerentes. — Dilectione: " In senibus, ait s. Th., parum est

3 patientia : * Anus similiter in
habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes,
4 bene docentes : * ut prudentiam
doceant adolescentulas, ut viros

lerantia. [3] Similiter matronis provectæ ætatis præcipe ut exterius se gerant ea gravitate quæ mulierem christianam decet ; non sint calumniatrices, nec bibaces; doceant alias honestatem ; [4] præsertim juniores mulieres verbis et exemplis instituant ad hoc ut viros suos

amicitiæ..., quia sunt tristes, et quia diligunt propter utilitatem tantum : indigent enim sustentatione. "

Patientia. Senes, ait s. Th., indigent patientia, quia multa incommoda sustinent; deinde, quia tristantur ex eo quod vident se deficere, et appropinquare ad vitæ finem. — " Impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt ut a malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. Patientes vero... et leviora faciunt quæ patiantur, et pejora evadunt quibus per impatientiam mergerentur (s. Aug., De pat. 2). " Bajula crucem, et crux bajulabit te. Qui crucem trahunt eaque humum sulcant, magis laborant quam ii qui eamdem in humeris animosi gestant, vel in currum patientiæ christianæ deponunt. " Patientia durum confregi " scriptum legitur in capella s. Godelievæ Ghistellensi.

3. In habitu sancto : ἱεροπρεπεῖς, *qui deceat sanctas matronas.* " Ut ipse quoque earum incessus et motus, vultus, sermo, silentium, quamdam decoris sacri præferant dignitatem (s. Hier.). " Anus autem hoc specialiter servare debent, ait s. Thom., quia juvencularum est propter viros suos modeste se ornare. — Criminatrices : " tales quæ ut aliis placeant, de aliis detrahant (s. Hier.). " Vetula, ait s. Thom., ratione ætatis est suspiciosa, ratione sexus est zelotypa : inde detractiones.

Non multo vino servientes : permittit ut anus vino moderate utantur, propter frigiditatem earum (s. Thom.), sed prohibet esse bibaces. — Bene docentes, καλοδιδασκάλους, *honestarum rerum magistras*, puta, vel privatim docentes filios ac filias aut nepotes (quo sensu nulla datur repugnantia cum 1 Tim. II, 12) ; vel potius, ut sequentia innuunt, bono exemplo juniores mulieres ad honestatem excitantes.

4. Exponit officia, quæ matronæ provectæ ætatis perficere debent erga juniores feminas matrimonio junctas ; quid eas docere teneantur, tum verbis, quum præsertim exemplis. Et prudenter quidem statuit ut juniores feminæ per matronas provectæ ætatis, potius quam directe per episcopum, instruantur. Intelligitur de doctrina privata, qua quis familiam docet (s. Thom.). Ergo hæc minime pugnant cum 1 Cor. XIV, 34 ; et 1 Tim. II, 11. Ut prudentiam doceant, ἵνα σωφρονίζουσιν, quod proprie sign. *ut* σώφρονας

suos ament, filios suos diligant,
5 * prudentes, castas, sobrias, do-
mus curam habentes, benignas,
subditas viris suis, ut non blas-
6 phemetur verbum Dei : * juve-
nes similiter hortare ut sobrii
sint.
7 * In omnibus teipsum præbe
exemplum bonorum operum, in

ament, filiosque diligant; [5] præterea, matronæ illæ moderate se gerant, castæ sint, operis domestici studiosæ, benignæ, viris subditæ et obedientes. Tales autem se exhibeant, ne, si secus faciant, doctrina christiana, quam profitentur, male audiat apud infideles. [6] Juvenes similiter hortare ut moderate se gerant.

[7] In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, incorruptam

reddant; sed quum sequatur σωφρονας ειναι, ideo verbum σωφρονιζειν sumimus generaliore sensu, pro νουθετειν, παιδευειν, *instituere.*

5. Castas, ut cum pudore et verecundia agant in re conjugali, ait s. Hier., cogitantes omnia patere Dei oculis. — Prudentes... sobrias. Pro hac duplici voce, græce solummodo legitur σωφρονας; alterutra ergo per glossema ex margine in textum irrepsit, quum alius transtulerit *prudentes,* alius substituere voluerit *sobrias,* tertius demum putaverit hanc novam translationem esse vocis omissionem.

Domus curam habentes : οικουρους (οικος *domus* et ουρος *custos*), *domi manentes eamque custodientes, curantes,* etc. Vel, juxta aliam lectionem probabiliorem, οικουργους (οικος *domus et* εργον *opus*) *opus domus facientes, rem domesticam curantes,* etc. : sensus eodem recidit. Veteres, ait A Lap., matris familias symbolum esse dixerunt testitudinem ; quia hæc est domiporta, suæque domus perpetua et silens custos.

Benignas, αγαθας, proprie *bonas,* quod nolim cum Erasmo jungere voci οικουρους, *bonas custodes domus;* sed sensu Vulgatæ sumo, *benignas,* quod dupliciter intelligi potest : sint bonæ indolis, benevolæ, non iracundæ (s. Th.); vel beneficæ, non avaræ (ad quod vitium quandoque proclives sunt matres familias).

6. Ut sobrii sint, σωφρονειν. Latissima est hujus vocis significatio : *mentis compos, sana mente* (σως et φρην) *præditus, sapiens, prudens, temperans, modestus, castus,* etc.

7. Quum hæc adhortatio statim post juvenum monitionem sequatur, haud improbabilis est conjectura quorumdam interpretum Titum adhuc junioris ætatis fuisse. — In omnibus : περι παντα, quod potuisset verti *erga unumquemque;* verum præfero neutrum plurale cum Vulgata : *in omnibus negotiis.* Exemplum : cf. 1 Tim. IV, 12 ; 1 Thess. I, 7. Vult ut Titus possit dicere cum magistro suo : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi,* 1 Cor. XI, 1. Doctor sit *concha,* ait et evolvit s. Bern. (Serm. 18 in Cant.), quæ prius ipsa impletur quam in alios redundet. In doctrina : hoc est

doctrina, in integritate, in gra-
8 vitate, * verbum sanum, irrepre-
hensibile : ut is, qui ex adverso
est, vereatur, nihil habens ma-
lum dicere de nobis.
9 * Servos dominis suis subdi-
tos esse, in omnibus placentes,
10 non contradicentes, * non frau-
dantes, sed in omnibus fidem
bonam ostendentes : ut doctri-
nam Salvatoris nostri Dei ornent
in omnibus.
11 * Apparuit enim gratia Dei
Salvatoris nostri omnibus homi-

servans doctrinam fidei, eam cum gravitate prædicans, [8] adeo ut sermo tuus sit sanæ fidei consentaneus et plane irreprehensibilis ; ut adversarii christianæ religionis erubescant, quum nihil habeant malum dicere de nobis.

[9] Servos hortare ut dominis suis obediant, et in omnibus eis placere conentur; proindo non sint responsatores, [10] neque suffurantes ; sed omnimodam præstantes fidelitatem. Talis autem debet esse eorum agendi ratio, ut doctrinam christianam, per quam vult Deus nos salvare, commendatam reddant.

[11] Monita hujusmodi sanctitatis unicuique, juxta conditionem suam, danda sunt, siquidem Dei gratia salutifera appa-

primum, et, ut ait s. Th., proprium prælati : Jerem. III, 15. In integritate : græce abest *in*, et vox *integritas* est in accusativo, pendens a *præbe ;* hoc modo : *præbe in doctrina integritatem*, seu potius *incorruptionem* (αφθοριαν). In gravitate, rursum græce abest *in* et habetur *gravitatem*, in accusativo.

8. Nihil habens malum etc. ; cf. 1 Tim. V, 14 : *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

9. De servis vide 1 Cor. VII, 21 ; Gal. III, 28 ; Eph. VI, 5 sqq. ; Col. III, 11, 22 sqq. ; 1 Tim. VI, 1 ; ad Philem. 16 ; 1 Petr. II, 18.

10. Ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent, positivo modo dicitur fere idem quod negative exprimitur 1 Tim. VI, 1 : *Ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.* Glossa ap. s. Thom. : " Ornamentum doctoris est honesta vita discipuli, sicut sanitas infirmi est laus medici. "

11. Enim. Estius censet rationem reddi cur et servi ab episcopo instituendi sint ; nimirum, gratiam Dei omnibus, etiam servis, esse propositam. Verum melius est hic fundamentum invenire eorum omnium quæ a v. 1 hujus capitis docuit s. Paulus.

Gratia : sub hac voce omnes complectitur gratias quas Christi Incarnatio humano generi procuravit. — Apparuit : επεφανη, quod s. Hier. vertit *illuxit.* Subest imago de sole ; eodem sensu Christus dicitur *oriens ex alto*, Luc. I, 78. Salvatoris nostri : ita FG Sin., copt., æth. etc. ; sed in C***D*EKL legitur ἡ σωτηριος, gratia Dei *salutaris* seu *salutifera.* — Omnibus hominibus : cf. ann. 1 Tim. II, 4 *Vult omnes homines salvos fieri.*

12 nibus, * erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria : sobrie, et juste, et
13 pie vivamus in hoc sæculo, * exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et

ruit omnibus hominibus, [12] nos erudiens ut, abnegantes impietatem et mundanas cupiditates (malas), temperanter, juste et pie in his terris vivamus; [13] dum interim beatitudinem promissam exspectamus, nimirum apparitionem gloriæ

12. Secularia (κοσμικας, *mundana*) desideria. Cupiditates *mundanas* eodem sensu intellige quo apud s. Joannem *mundus* sæpe dicitur pro mundo malo, *qui totus in maligno positus est.*

Sobrie, et juste, et pie. His tribus summa vitæ christianæ comprehenditur : *sobrie*, σωφρονως, *temperanter*, indicat omnia officia quæ quisque erga seipsum habet, *juste* erga proximum, *pie* erga Deum ; quibus officiis respondent tria bonorum operum genera, ab angelo Tobiæ singulariter commendata : *jejunium*, *eleemosyna* et *oratio ;* cf. Tob. XII, 8.

13. Spem, pro *re sperata.* Et (particula explicativa, *scilicet, nimirum*) adventum gloriæ: vel, per hebraismum, sign. *adventum gloriosum*, vel *apparitionem* seu *manifestationem gloriæ.* Hic autem agi de altero Christi adventu in fine mundi ad extremum judicium, haudquaquam ambigitur (cf. 1 Tim. VI, 14), eo vel magis quod adsit antithesis cum *in hoc seculo*, v. 12. Prior Christi adventus fuit *humilitatis*, ait s. Th., alter vero erit *gloriæ*, cum veniet *in nubibus cum potestate magna et majestate* (Luc. XXI, 27).

Magni Dei et Salvatoris nostri J. C. Insigne argumentum, quo ex divinis Literis Christi divinitas demonstretur, hic habemus, si probare possimus de una eademque persona verba illa esse intelligenda, adeo ut Jesus Christus ab Apostolo vocatus fuerit *magnus Deus.* Ii omnes qui Christum Deum esse negavere, tum veteres Ariani, tum rationalistæ recentiores, et cum istis catholici paucissimi, iique nimis audaces, ut Erasmus, Brentano, Schnappinger, verba illa de duplici persona explicant, hoc sensu : exspectantes adventum seu apparitionem gloriæ magni Dei Patris, et Jesu Christi salvatoris nostri, in quo nimirum apparebit gloria Dei Patris. Christus enim, ait De Wette, dicitur venturus, tum in gloria Dei Patris (Matth. XVI, 27 *Filius hominus venturus est in gloria Patris sui*), tum in propria sua gloria (Matth. XXIV, 30 *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate ;* ib. XXV, 31 *Cum venerit Filius hominis in majestate sua*) : atque ideo alterum Christi adventum appellat Paulus apparitionem gloriæ tum Dei Patris, tum Christi Domini.

Salvatoris nostri Jesu Christi : seu majestatis Jesu Christi, nostri magni

Falsam autem esse hujusmodi explicationem, atque de una eademque Christi persona intelligenda esse prædicata duo *magni Dei* et *Salvatoris nostri*, demonstramus :

1° Ex grammatica illius loci ratione : Προσδεχομενοι την μακαριαν ελπιδα και επιφανειαν της δοξης του μεγαλου Θεου και σωτηρος ἡμων Ιησου Χριστου : omissio articuli ante σωτηρος ostendit, prædicata duo quæ per και junguntur ad idem subjectum pertinere ; sic Gal. I, 4 κατα το θελημα του Θεου και πατρος ἡμων, idem vocatur Deus qui et pater; eumque scribendi modum semper accurate observat s. Paulus (ut multis adductis exemplis comprobat Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 18, 4) ; adeo ut, quando duplicem personam vult indicare, articulum repetat, v. gr. 1 Thess. III, 11 Αυτος δε ὁ Θεος και πατηρ ἡμων, και ὁ κυριος ἡμων Ιησους Χριστος. Unus solummodo est locus, in quo hanc regulam forsitan non observavit Apostolus: 2 Thess. I, 12 κατα την χαριν του Θεου ἡμων και κυριου Ιησου Χριστου ; sed non certo constat duo hic designari subjecta distincta ; deinde, etiam hoc posito, non prorsus simile est illud exemplum cum Tit. II, 13 ; nam, dum hic duo substantiva μεγαλου Θεου et σωτηρος inter articulum et ἡμων collocantur, ibi contra, inter articulum et ἡμων unum tantum του Θεου positum est.

2° Explicatio nostra confirmatur ex contexta oratione ; agitur enim de επιφανεια της δοξης, *apparitione gloriæ*, aut *adventu glorioso*, nimirum ad extremum judicium, in fine seculorum. Immerito id negat cl. *Mack*, in Comm. ad h. l., et contendit intelligi adventum novæ christianorum conditionis, sc. gloriosæ in cœlo beatitudinis, quæ quidem, ait, nova rerum ordinatio Deo Patri etiam adscribitur Apoc. XXI, 3 et 1 Joann. III, 2. Sed intelligendum esse de extremo judicio, probatur ex locis parallelis 1 Tim. VI, 14 et 2 Tim. IV, 1, 8; atqui επιφανεια hæc, uti et παρουσια, nusquam in novo Testamento aut Deo Patri, aut Spiritui sancto, sed soli Jesu Christo Dei Filio tribuitur, et quidem frequenter, ut 1 Tim. VI, 14; 2 Tim. IV, 1, 8; 1 Cor. I, 8 et 2 Thess. I, 7.

3° Aliud desumimus argumentum ex sententia, et unanimi quidem (solum pseudo-Ambrosium opponunt adversarii), sanctorum Patrum, omniumque fere interpretum, etiam heterodoxorum : vide loca indic. ap. cl. Drach.

4° His rationibus adde, dogma illud, Jesum Christum esse Deum verum, cum toto systemate doctrinæ Paulinæ adeo congruere (quamvis id neget rationalista Winer, *Gramm. des neutestam. Sprachidioms* § 18), ut pluries

14 * qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi po-

Dei et salvatoris, [14] qui tradidit semetipsum in mortem pro nobis, ut nos pretio sanguinis sui ab omni peccato redimeret (*i. e.* nostra peccata expiaret, et pateretur ipse mortem quam nos merebamur), et nos ita mundatos, ac sanctificatos, efficeret populum sibi

alibi id aperte profiteatur Apostolus, v. gr. Rom. IX, 5; Phil. II, 6; Col. I, 16; II, 9; Hebr. I, 3 etc. Ne unum quidem assignari potest testimonium, in quo Christus exhibetur tamquam homo tantum, et in quo ponitur in antithesi ad Deum: utique, ratione personalitatis a Deo Patre distinguitur, in Tit. I, 4; III, 4-6; 1 Tim. I, 2; II, 5 etc.; nequaquam vero ratione naturæ a Deo diversus dicitur.

Id unum objici potest, nusquam in novo Testamento Christum *magnum Deum* vocari, sed Patrem dici *majorem Deum* (Joann. XIV, 28).

Resp. Probabilis omnino conjectura est, Christum ideo *magnum Deum* fuisse nominatum, quoniam epistola mittenda erat in insulam Cretæ, ubi Jupiter peculiari modo sub appellatione *magni*, ὁ μεγας Ζευς, colebatur, cf. *Homeri Odyss.* XIX, 178. De cætero, neque Pater usquam in novo Testamento vocatur *magnus Deus;* nam Joann. XIV, 28 huc non spectat, et Apoc. XIX, 17 textus Receptus qui habet μεγαλου Θεου certo mendosus est. Dictio autem *magnus Deus* in vetere Testamento sæpius occurrit, ut Dan. II, 45, IX, 4; 2 Esdr. IX, 32; Ps. LXXVI, 14 *Quis Deus magnus, sicut Deus noster*, et significat verum Deum in comparatione idolorum, non autem Deum Patrem a Filio distinctum.

14. Explicat quod dixit v. 11 *apparuit gratia salutifera Dei salvatoris nostri.* QUI DEDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS, sc. in mortem, cf. Gal. I, 4, Eph. V, 25, Rom. IV, 25 etc.

UT NOS REDIMERET explicat *pro nobis;* REDIMERET, λυτρωσηται, *ut pretium nostræ solveret liberationis* (cf. 1 Tim. II, 6), sc. pretium sanguinis sui (1 Petr. I, 18), seu mortem suam daret pro nostra a servitute dæmonis et peccati redemptione: cf. Matth. XX, 28. Christus enim, ut docet Ecclesia catholica, mortem vicariam pro hominibus sustinuit, cum pœnam mortis, ad quam propter peccatum damnati erant, vice eorum ipse subiit. De hac quæst. consule theol. dogm., tract. de Incarn., ubi de merito et satisfactione Christi disputatur.

pulum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

15 * Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

quasi in peculium inter omnes alios electum, talem qui bonorum operum sit studiosus.

15 Hæc omnia, quæ dixi de sana doctrina et morum regulis, doce; eos qui fideles sunt exhortare, fidei autem adversarios redargue atque castiga, cum omni auctoritate quæ Ecclesiæ ministro competit; quam auctoritatem ut habeas, ita te gere ut nemo te contemnat.

Populum acceptabilem, περιουσιον (a περι *circa* vel *circum*, et ειμι *sum* vel *eo*), *quod superfluum est, abundans.* Septuaginta autem Interpretes περιουσιος usurpant hoc sensu: *quod ad* ουσιαν seu *possessionem pertinet, omne quod habet quis sibi proprium, acquisitum, peculiare;* igitur hebraica *Am segulla* (*populus in peculium acquisitus*, quod de populo Israelitico inter omnes peculiariter electo sæpe dicitur) vertunt λαος περιουσιος, Ex. XIX, 5; Deut. VII, 6; XIV, 2 etc. Quemadmodum in vetere Testamento gens Israelitarum a servitute Ægyptiaca fuit a Deo liberata, et speciali modo electa, divina protectione atque omnimodis aucta beneficiis; ita etiam, et excellentiore ratione, populus christianus, a dæmonis servitute liberatus, factus est populus Dei peculiaris, genus electum, gens sancta seu Deo consecrata etc., cf. 1 Petr. II, 9.

Sectatorem, ζηλωτην, *studiosum*, vel (s. Hier.) *æmulatorem.* Bonorum operum, ut scilicet, inquit s. Chrys., non tantum *faciamus* bona opera, sed ea zelemur. Id addit Apostolus ut significet, non sufficere redemptionem a peccatis et internam sanctificationem (v. gr. per Baptisma), sed requiri opera exteriora justitiæ et sanctitatis.

15. Concludit hucusque dicta, et simul redit ad v. 1. Quum autem in capite sequenti eadem continuetur materia de agendi ratione erga varias personas, dicendum est hunc v. 15 insertum esse ad majorem rei inculcationem per brevem legentis requiem.

Hæc, pertinet ad solum verbum *loquere*; exhortare fideles, et argue eos qui contradicunt, cf. supra I, 9. Cum omni imperio: hoc addit, vel quia, ut putat s. Th., Titus natura sua erat mitior; vel quia Cretenses erant duri et mali, supra I, 12.

Nemo te contemnat: sensus in paraphrasi datus probatur ex coll. 1 Tim. IV, 12; verbum græcum ibi adhibitum καταφρονειν sensum clarius exprimere videtur quam περιφρονειν hic usurpatum.

Officia erga ethnicos, eorumque fundamentum. Judaizantes vitandi. Familiaria quædam.

CAPUT III.

1 * Admone illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum
2 paratos esse: * neminem blasphemare, non litigiosos esse,

[1] Admone christianos, ut principibus et magistratibus civilibus quibusvis, etiam ethnicis, subditi sint atque obediant; et generatim, ut ad omne opus bonum parati sint, [2] neminique male dicant, neque litigiosi sint, sed mites,

1. Admone: ὑπομιμνησκε, *eis in memoriam revoca.* Igitur: admone eos ut officium quod jam cognoscunt, quippe quod s. Paulus oretenus docuisset, recte perficiant. Cf. Rom. XIII, 1 sqq.; 1 Petr. II, 13.

Principibus, αρχαις *principatibus,* vox abstracta, quemadmodum sequens *potestatibus,* εξουσιαις. Voces illæ abstractæ scite adhibentur, quum dignitatem potius quam personas indicent: atqui, christianorum obedientia non fundatur in consideratione personarum, sed in dignitate seu auctoritate quam superiores habent, et quæ ultimum a Deo provenit. Antithesis v. 3 probat sermonem institui de magistratibus ethnicis.

Potestatibus. Non oportet inquirere differentiam inter *potestates* et *principatus;* duplici nomine Apostolus omnes imperii civilis gradus complectitur.

Dicto obedire, πειθαρχειν (a πειθω *suadeo,* πειθομαι *suadeor, obedio,* et αρχων *princeps,* seu αρχη *principatus*), *obedire principi* seu *potestati civili.*

Putat s. Hieronymus hic et ad Romanos tale præceptum commendari, propterea quod Judæi, quorum plurimi in Creta et Romæ erant, ad hoc proclives erant, ut, quemadmodum perturbator illius temporis Judas Galilæus, ethnicis principibus, adeoque Romanis tum dominantibus, tributum et obedientiam negarent; idque eo facilius facere potuissent Cretenses, quod indolem haberent satis improbam (I, 12). Fortasse etiam nonnulli neo-conversi principia christianæ libertatis haud recte intelligebant.

Ad omne opus bonum paratos esse. Aliqui putant esse restrictionem illius quod modo dixit, hoc sensu: obedite civili potestati, sed in iis tantum quæ bona sunt ac licita. Verum melius est simpliciter sic intelligere: ad omne opus bonum parati sint, proinde etiam ad obedientiam principibus debitam.

2. Neminem, præsertim nullos superiores civiles, sed *cui honorem* debemus, *honorem* reddamus, Rom. XIII, 7. Transit ad officia erga æquales. Non litigiosos sed etc.: cf. 2 Tim. II, 24 *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse.*

sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

3 * Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis, et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odien-
4 tes invicem. * Cum autem benignitas, et humanitas apparuit
5 Salvatoris nostri Dei : * non ex operibus justitiæ, quæ fecimus

adeo ut omnimodam erga omnes, etiam gentiles, ostendant mansuetudinem.

[3] Ut autem ad hoc magis incitemur, in memoriam revocemus nos etiam olim fuisse miseros peccatores, nimirum ego in Judaismo, vos autem in gentilismo; recogitate vos tunc fuisse vera destitutos sapientia, Deo non obedientes, a recta via aberrantes, variis addictos desideriis pravis et voluptatibus carnis, in malitia et invidia viventes, et vos invicem odio dignos habentes. [4] Cum autem per Christi Incarnationem mundo exhibita fuit Dei Patris, qui per Filium nos salvavit, bonitas atque amor ejus erga homines : [5] propter solam ejus misericordiam, non autem propter merita bonorum operum

3. ET NOS. S. Paulus se gentilibus conjungit, ex humilitate, et propter peccata quæ ante conversionem commiserat, cf. 1 Cor. XV, 9. — INSIPIENTES : sensu scripturistico et morali : destituti vera illa sapientia, quæ in pietate et vitæ sanctitate consistit. — INCREDULI, απειθεις, *contumaces*, sc. erga Deum, cf. Tit. I, 16; non, erga superiores. — INVIDIA : de hoc vitio cf. ann. Gal. V, 26. Adde Prov. XIV, 30 : *Putredo ossium, invidia.* — Hæc gentilismi descriptio cum Rom. I, 21 sqq. utiliter conferetur.

4. Altera ratio ob quam teneantur christiani leniter agere erga ethnicos; prima erat v. 3, quia ipsi etiam olim fuerant ethnici : et, quemadmodum tunc cupiebant ab aliis mansuete tractari, ita nunc debent tali modo erga eos se gerere; secunda autem ratio deducitur ex insigni benignitate quam a Deo experti sunt absque ullo merito; oportet ut vicissim erga miseros ethnicos magnam ostendant bonitatem.

HUMANITAS APPARUIT : nonnulli interpretati sunt *humanam naturam* aut *incarnationem :* inscite vero, nam græce est φιλανθρωπια, *amor erga homines*, humanitas (virtus, ait s. Thom. 2º). APPARUIT, in opere Redemptionis per Christum. " Apparuerat ante, ait s. Bern. (In fest. omn. Sanct., Serm. 1), " potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum guberna-" tione; sed benignitas misericordiæ nunc maxime apparuit. " — SALVATORIS NOSTRI DEI, sc. Patris, ut patet ex v. 6. Quo sensu *Deus Pater* vocetur *Salvator noster* diximus 1 Tim. I, 1.

5. NON EX OPERIBUS etc. : græce sic: *non ex operibus, quæ essent in justitia,*

nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et re-

nostrorum, a peccatis istis mundati, et sanctificati sumus : nimirum, per Baptismum, in cujus lavacro spiritualiter fuimus regenerati et intus renovati per

quæ fecissemus nos. Loquitur de operibus ante justificationem, et affirmat nullum in eis esse meritum, nullamque causam a parte Dei quare ipse gratiam justificationis largiatur. Neque ex operibus legis (Rom. III, 20), neque ex operibus naturæ, justificatur homo, sed per fidem tamquam conditionem sine-qua-non, et per Dei misericordiam et gratiam tamquam causam moventem (cf. Rom. I-IV).

Salvos nos fecit, salute inchoata per justificationem; igitur idem est ac *justificavit nos;* eodem modo Eph. II, 8: *Gratia,* ait, *estis salvati per fidem.* Ex hoc loco eruimus, tum prædestinationem ad gratiam, quum ipsam justificationem, esse prorsus gratuitas, ante prævisa merita.

Per lavacrum, i. e. Baptisma; cf. 1 Petr. III, 21 *vos.. salvos facit Baptisma.* — Regenerationis, lavacrum quod efficit regenerationem hominis spiritualem, eam nempe qua nascitur novus homo, secundum Deum, filius et heres Dei ; imo vero, *consors* efficitur *divinæ naturæ,* ut ait s. Petr. 2 ep. I, 4 ; atqui, nova natura non acquiritur nisi per generationem (s. Th.). Cf. Joann. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* — Et renovationis, explicat vocem *regenerationis,* adeoque pendet a *lavacrum ;* non autem licet ponere accusativum *renovationem,* quasi penderet a præpositione *per,* διά. Homo vetus, ab Adamo per carnalem propagationem originem ducens, peccato originali inquinatus est, sed moritur in Baptismo, in ejusque aquis sepelitur (cf. ann. nostr. in Rom. VI, 6), ex quibus resuscitatur et renascitur homo novus ; quæ quidem omnia spirituali modo fiunt, per efficaciam Spiritus sancti ; adeoque renascitur (novus nascitur, nova fit creatura, 2 Cor. V, 17), *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo,* Joann. I, 13.

Spiritus sancti : genitivus causæ efficientis. Hominis sanctificatio et renovatio, utpote opus ad extra, communis est tribus ss. Trinitatis personis; attamen Spiritui sancto peculiariter tribuitur, quia opus est bonitatis et dilectionis, et quia in divinis *Amor* et *Donum* est Spiritus sanctus ; utpote qui a Patre Filioque procedit per voluntatem seu per amorem. Ad ulteriorem hujus rationis expositionem cf. s. Thom., *Summ. theol.* p. I, q. 37 et 38. Vide etiam ann. in Act. Ap. X, 38 (4^a ed.).

6 novationis Spiritus sancti,* quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum :
7 * ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.
8 * Fidelis sermo est : et de his

Spiritum sanctum, [6] quem Deus Pater, propter merita Jesu Christi salvatoris nostri, abundanter nobis largitus est. [7] Hoc autem fecit in hunc finem ut, per gratiam ipsius (Dei Patris) justificati, heredes vitæ æternæ efficiamur, nondum re ipsa, sed certa tamen spe suo tempore accipiendi hereditatem; aliis verbis, ut tamquam filii ejus, jus ad hereditatem habeamus.

[8] Hæc autem, quæ modo dixi de beneficio gratuitæ justificationis ejusque fine, certa sunt et fide dignissima ;

6. Quem (Spiritum sanctum) effudit, i. e. abundanter largitus est : metaphora ab aquis deducta (cf. Rom. V, 5 *charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*) ; quæ quidem figura in eo fundatur quod, quemadmodum aqua corpus lavat et mundat, ita etiam Spiritus sancti gratia animam a peccatis purificat et sanctificat. Quo sensu ipsemet Spiritus sanctus dicatur in nos effusus, vel nobis datus, explicatur supra in ann. nostr. ad Rom. V, 5. — Abunde, refertur proprie ad gratias et dona quæ Spiritus sanctus, quum nobis datur, operatur in nobis. Per Jesum Christum, per ejus merita.

In hac pericopa, 4-6, invenimus, ait s. Hier., manifestissimam mentionem ss. Trinitatis.

7. Finis ob quem Deus nobis per merita Christi abundantes Spiritus sancti gratias concedit : finis proximus ut justificemur, finis ultimus ut glorificemur.

Justificati. Hominis justificationem non esse tantummodo externam justitiæ Christi imputationem (quod veteres Protestantes docuerunt), sed veram internamque animæ sanctificationem, patet ex verbis *regenerationis* et *renovationis* v. 5. Vide quæ de natura justificationis notavimus Rom. I, 17.

Heredes junge cum *vitæ æternæ*. Per gratiam justificantem renascimur ex Deo, adeoque filii Dei efficimur adoptivi, et proinde jus habemus ad bona Dei, ad Dei possessionem seu gloriam cœlestem, cf. Rom. VIII, 16, 17. Secundum spem : nondum re ipsa heredes sumus, sed spe, et spe certa, quæ non fallet, nimirum a parte Dei patris nostri : certo assequemur hereditatem, modo filii maneamus ; cf. Rom. VIII, 24.

Locus hic universus, v. 4-7, præclarissimus est, quum paucis verbis multas ac profundissimas contineat veritates, adeo quidem ut totam salutis nostræ œconomiam summatim tradat.

8. Fidelis sermo, ad præcedentia refer, ut 1 Tim. IV, 9 et 2 Tim. II, 11,

volo te confirmare : ut curent
bonis operibus præesse qui cre-
dunt Deo. Hæc sunt bona, et
utilia hominibus.
9 * Stultas autem quæstiones,
et genealogias, et contentiones,
et pugnas legis devita : sunt
10 enim inutiles, et vanæ. * Hære-
ticum hominem post unam, et

volo ut illa cum asseveratione doceas, utque christiani qui Deo crediderunt satagant bona opera facere. Præterea, doctrina illa in se honesta est et hominibus utilis.

[9] Hanc prædica; stultas autem quæstiones Judaizantium, v. gr. de generationum seu emanationum serie infinita, et contentiones, v. gr. quæ exsurgunt in disputationibus de lege Mosaica, devita : ista enim omnia noxia et vana sunt. [10] Hæreticum hominem post unam et

non autem ad sequentia. — De his volo te confirmare. Sensus est : volo ut alios de his confirmes, ut eos firmos reddas circa has veritates; vel clarius ex græco : volo ut hæc asseveres, seu cum asseveratione doceas.

Ut curent (*solicite curent*, φροντιζειν) bonis operibus præesse, melius *bona opera facere ;* nam loco *præesse*, græce est προισταςθαι, quod sign. *alicui rei operam dare, aliquid facere, exequi.*

Hæc sunt bona : *hæc* non refertur ad *bona opera*, nam tautologia esset, sed ad ea quæ dicta sunt de justificatione ejusque fine. Bona, καλα, *honesta*, et insuper utilia.

9. Stultas etc., explicavimus ad 1 Tim. I, 4. Pugnas legis, disceptationes de lege Mosaica, ejusque præscriptionibus, præsertim ritualibus, atque de traditionibus quas Rabbini Legi addiderant : cf. supra I, 14; 1 Tim. I, 7.

10. Hæreticum, αἱρετικον (ab αἱρεω, *eligo*), proprie, qui aliquid eligit; inde, qui hanc vel illam disciplinam, vel vitæ rationem sibi eligit, seu amplectitur et sequitur; sic Act. Ap. V, 17 mentio fit de αἱρεσι Sadducæorum, et ib. XV, 5, XXVIII, 22, de αἱρεσι Pharisæorum (hic in bono sensu); inde, in malam partem, *sectarius*, qui sectam perversam sequitur, præsertim in re religiosa, Act. Ap. XXIV, 5, 14; cui fere concinit versus noster 10, *qui sectam a vera Christi doctrina alienam sequitur*, adeoque qui opiniones et doctrinas fidei christianæ contrarias perverse tenet. *Perverse*, nam hæreticus non est qui bona fide errat; et dico *sequitur*, ut indicem contumaciam necessariam esse; adeo ut monitio requiratur prævia : nemo enim stricte hæreticus est, nisi pertinaciter erret in fide : cf. s. Aug., De civ. Dei 18, 51.

secundam correptionem devita:
11 * sciens quia subversus est, qui
ejusmodi est, et delinquit, cum
sit proprio judicio condemnatus.
12 * Cum misero ad te Artemam,
aut Tychicum, festina ad me
venire Nicopolim: ibi enim sta-
13 tui hiemare. * Zenam legisperi-

alteram admonitionem devita, [11] quum scias talem esse perversum, et peccatorem magnum, siquidem se ipse separat a recta fide, adeoque novit se juxta illam fidem condemnatum esse.

[12] Cum misero ad te Artemam aut Tychicum, da operam ut ad me venias Nicopolim: ibi enim statui hiemare. [13] Zenam, ante conversionem legis peritum Judæum, et Appollo studiose

Post unam et secundam, melius *post unam et alteram.* Duplicem tantum præscribit s. Paulus monitionem, Christus vero (Matth. XVIII, 15-17) triplicem: vel quia Salvator de peccatore occulto loquitur, Apostolus autem de hæretico manifesto: vel forsitan per *unam et alteram* monitionem intelligitur ea quæ *pluries* fit, adeo ut *tertia* non excludatur. Devita, quod sapienter statuitur: nam inutile et noxium esset ulterius cum eo de fide disputare; ex duplici enim monitione constat eum perversa duci voluntate, id quod addit auctor v. 11.

11. Proprio judicio condemnatus, αυτοκατακριτος, propter pervicaciam et spretas monitiones jam manifestus est hæreticus, et judicium suum secum portat; vel, ut ait Dominus (Joann. III, 18), *qui non credit, jam judicatus est,* nimirum, proprio judicio; nam se ipse scienter separat a recta fide, adeoque novit se secundum fidei principia esse condemnatum. S. Hier. " Hæretici in " semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesia recedentes: quæ " recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. "

12. Artemam (de quo alibi mentio non fit) aut Tychicum (de quo Eph. VI, 21 et Col. IV, 7) misit, in hunc sane finem, ut Titi proficiscentis vices supplerent in munere episcopali: pariter, cum Timotheum ad se Romam invitavit, Ephesum misit Tychicum: 2 Tim. IV, 12.

Nicopolim. Plures erant hujus nominis civitates; s. Hier. cogitat illam quæ in Epiro sita erat (quæque ita vocabatur in memoriam victoriæ ab Augusto in Antonium et Cleopatram relatæ); s. Chrys. putat esse Nicopolim ad Nestum, in parte interiore Thraciæ; alii proponunt tertiam, eam nempe quæ Ciliciæ erat. Nullum habemus argumentum solidum quo determinemus de qua Nicopoli loquatur Apostolus.

Ibi (non *hic*), ergo nondum Nicopoli erat quando scribebat.

13. Zenam, de quo nihil alibi. Legisperitum, νομικον, *legis doctorem.* Vide-

tum, et Apollo solicite præmitte,
14 ut nihil illis desit. * Discant autem et nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

15 * Salutant te qui mecum sunt omnes : saluta eos qui nos amant in fide.

Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

deducito, ut, dum per Cretam iter faciunt, nihil eis desit. [14] Hac autem in re adjuvare te debent christiani Cretenses, nam oportet ut simplices fideles discant etiam bona opera perficere ad sublevandas necessitates proximi, ut eorum fides non sit infructuosa.

[15] Salutant te, qui mecum sunt omnes. Saluta, meo nomine, bonos christianos, qui nos vera et christiana dilectione amant. Gratia Dei sit cum omnibus vobis ! Fiat !

tur fuisse cognomen, quod a pristino officio, quo in Judaismo functus erat, retinuit. — Apollo, qui noscitur ex Act. Ap. XVIII, 24, XIX, 1, 1 Cor. I, 12, XVI, 12. Præmitte : προπεμψον, melius *deducito*, i. e. eos iter facientes per Cretam bene suscipe hospitio, et necessaria subministra viatica, ut iter pergant. Forsitan epistolæ hujus latores erant viri illi.

14. Et nostri. Istud *et* valet : tu non solum, sed etiam christiani, qui apud te sunt, tenentur bona opera, v. gr. hospitalitatis et beneficentiæ christianæ, perficere (loco *præesse*, cf. v. 8).

Ad usus necessarios, εις τας αναγκαιας χρειας, ad id quod opus est ut necessitates eorum subleventur.

15. Qui mecum sunt omnes : eos ab epistolæ latore cognoscere poterat Titus. Saluta eos etc. : ex illis verbis *certo* concludi nequit, quamvis hoc aliquousque innuatur, epistolam hanc Cretensibus prælegendam non fuisse, eamque soli Tito destinatam fuisse; nam 1 Thess. V, 26, *Salutate*, ait auctor, *fratres omnes in osculo sancto*, quum tamen Thessalonicensibus scripta esset epistola (cf. ann. in 1 Thess. V, 26); contra, apprecatio *Gratia Dei cum omnibus vobis* favet opinioni illorum qui censent Apostolum, non ad Titum solum, sed simul ad universam Cretensium communitatem sermonem fecisse. De cetero, res dubia est, ut supra jam monuimus.

Analysis universæ epistolæ ad Titum.

Quod fecit s. Paulus, ad Timotheum priorem scribens epistolam, id ipsum nunc in gratiam alterius discipuli, Titi, præstat. Eum instruit, monet, atque adhortatur circa ea omnia rerum capita, quæ ipsi, considerata ejus persona, et inspectis necessitatibus et periculis in quibus versabatur, magis necessaria aut utilia erant ad munus episcopale in insula Cretæ rite perficiendum.

Secundum viam et rationem, quam in analysi prioris et posterioris epistolæ ad Timotheum secuti sumus, ad quædam præcipua capita reducemus ea quæ sparsim per epistolam traduntur.

Exorditur auctor a præambulo longiusculo I, 1-4, in quo 1° præparat ea quæ de opere Redemptionis dicet, 2° suam obiter affirmat auctoritatem, et 3° inscriptionem epistolæ cum solito voto tradit. Deinde, occasione mandati quod Tito dat ut superiores ecclesiasticos in singulis Cretæ civitatibus constituat I, 5, agit de eligendis episcopis et presbyteris. Igitur sit punctum primum:

I. *Quinam in episcopos et presbyteros eligendi sint* (I, 6-9).

Enumerat vitia quæ ab illa dignitate excludunt (*non superbum, non iracundum* etc.) v. 7, deinde exponit quænam requirantur virtutes (*hospitalem, benignum* etc.) v. 8, et quænam scientia, sc. orthodoxæ doctrinæ (*amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem,* etc.) v. 9. Præter hæc requisita interiora, tria recenset quæ potius exteriora dicenda sunt: a/ ut bona fama gaudeat eligendus (*sine crimine,* v. 6, 7), b/ ut non bis duxerit uxorem (*unius uxoris vir,* v. 6), c/ ut filios habeat bene morigeratos et christianos, v. 6.

In episcopis et sacerdotibus tot et tantæ dotes eo vel magis requiruntur, quod multa sint in insula Cretæ vitia et errores. Secundum itaque punctum erit sequens:

II. *Vitia et errores in insula Cretæ.*

Primum, generatim loquendo, Cretenses malam habent indolem (*semper mendaces, malæ bestiæ,* etc. I, 12). Deinde, inter eos multi sunt pseudo-christiani, quos Apostolus fusius describit. Pertinent ad sectam Judaizantium : nam *de circumcisione sunt* I, 10; *judaicis fabulis et mandatis hominum* sunt intenti I, 14; docent *quosdam cibos esse immundos* I, 15; *pugnas Legis movent* III, 9. Veræ fidei contradicunt I, 9, imo vero, quidam ex eis formaliter sunt hæretici III, 10; alios seducunt I, 10; pessimis vivunt moribus I, 16; turpe lucrum sectantur I, 11; sunt homines litigiosi, disputatores III, 9 etc.

Porro, munus episcopale consistit non solum in tuenda fide adversus pseudo-doctores, sed etiam complectitur instructiones et monitiones fidelibus dandas, ut omnes et singuli in veritate doctrinæ et vitæ sanctitate permaneant atque progrediantur: has autem in tertio puncto exponimus.

III. *Instructiones et monitiones variis personis dandæ.*

Indicat monita præcipua senibus et juvenibus utriusque sexus II, 2-6, atque etiam servis v. 9, 10, danda.

Plurima quoque præcepta omnibus utilissima tradit : generatim ut *abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivant in hoc seculo* II, 12; additque rationem primariam qua nititur adhortatio illa generalis: *exspectantes beatam spem* etc. v. 13.

In particulari vero, omnes et singulos monet : 1° ut civilibus obediant principibus III, 1; 2° ut mites sint atque benigni erga ethnicos III, 2, ideo præsertim quod et ipsi insignem Dei bonitatem in opere Redemptionis experti fuerint III, 3 sqq. ; 3° ut ab erroribus Judaizantium (de quibus in puncto præcedenti locuti sumus) caveant I, 14; atque tandem 4° ter eos excitat ad multa bona opera facienda III, 8, 14; II, 14.

IV. *Monita et præcepta personalia ad Titum.*

Ei primum in memoriam revocat jussa, quæ ipsi dedit, quando eum in Creta reliquit, præsertim ut presbyteros per singulas insulæ civitates constitueret I, 5. Præterea, monet ipsum ut sanam prædicet doctrinam II, 1, atque asseveranter doceat III, 8; adeoque Judaizantium errores fugiat III, 9; hæreticum autem hominem post duas monitiones devitet III, 10. Cretenses porro dure tractare debet I, 13, et cum auctoritate loqui, ut nemo eum contemnat II, 15. Tandem, quod spectat ad universam vivendi rationem, vult ut in omnibus bonum det exemplum II, 7.

V. *Gratia Redemptionis, quæ justificationem et glorificationem includit, exponitur.*

Obiter tantum id fit, nimirum ut inde ratio desumatur qua christiani ad vitam sanctam excitentur; attamen, tamquam punctum peculiare illud habemus, quia summi momenti est hæc materia, quum universa salutis œconomia paucis explicetur.

Primum docet s. Paulus opus Redemptionis olim jam fuisse prænuntiatum I, 2, 3.

Indicat deinde illius operis multiplicem causam :

a/ Causam *efficientem*, videlicet Deum; *Deus* enim *manifestavit* illud *temporibus suis per* Evangelii *prædicationem* I, 3, adeo ut Deus dicatur *salvator noster* I, 3; II, 11; III, 4. Et explicat quidem quænam sint partes trium ss. Trinitatis personarum in hoc opere : Pater *effudit in nos Spiritum sanctum per merita Christi* III, 6; Filius *dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret* etc. II, 14; *Spiritus sanctus, in nos effusus, regeneravit et renovavit nos* III, 5, 6 etc.

b/ Causa autem *movens* Deum est benignitas Dei ejusque amor erga homines, nequaquam autem nostra merita III, 4.

c/ Causa *meritoria* est mors Christi (Dei-hominis II, 13) vicaria II, 14.

d/ Causa *instrumentalis* est Baptismus (*lavacrum regenerationis* III, 5).

e/ *Conditio sine-qua-non*, pro adultis est fides, qua creditur prædicationi Evangelii I, 1, 3.

Postquam autem *causas* Redemptionis inquisivimus, videamus ejus *effectus* in hominem. Triplex præsertim effectus distingui potest :

a/ Peccatorum remissio (*ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret* II, 14) ;

b/ Gratiæ sanctificantis infusio, qua homo vere et interius renovatur et supernaturaliter regeneratur (*regenerationis et renovationis Spiritus sancti quem effudit in nos* III, 5, 6) ;

c/ Denique, quod inde consequitur, adoptio in *populum* Dei *peculiarem* II, 14, qua efficimur *heredes vitæ æternæ* III, 7.

Manet jam unum quid, ut, præter *causas* et *effectus* Redemptionis, etiam ejus *fines* cognoscamus : finis *proximus* est hominis sanctificatio II, 14 et 12; finis vero *ultimus*, hominis futura in cœlis glorificatio III, 7, II, 18. — Nota : *ultimus* hic intelligitur in quantum refertur ad creaturam, nam finis *absolute* ultimus est ipsa Dei gloria.

Ad calcem epistolæ, ut alibi sæpe, quædam reperiuntur familiaria mandata vel monita. Rogat Titum ut Nicopolim ad se veniat III, 12; utque bene suscipiat viros quosdam per Cretam iter facturos III, 13. Scribendo finem facit, pro more, per salutationes et gratiæ apprecationem III, 15.

EPISTOLA
AD PHILEMONEM.

Sicut ferrum, missum in ignem, totum ignis efficitur : sic Paulus, charitate succensus, totus factus est charitas.
S. Chrys., Hom. 3 de laud. Pauli.

INTRODUCTIO.

§ 1. De iis ad quos, et de eo in cujus gratiam scripta fuerit hæc epistola.

Philemon, ad quem primarie scripta est epistola, vir erat insignis, qui Colossis habitabat (Col. IV, 9, 17), et ad christianismum conversus erat, probabiliter per ipsum s. Paulum, saltem ejus discipulus factus est (Philem. 19); non sane Colossis, namque ante vincula Romana ad hanc civitatem non ivit Apostolus, sed forsitan Ephesi, ubi diu moratus est. Philemonem autem fide viva et charitate efficaci præditum fuisse, utpote qui eleemosynis ac hospitalitati deditus esset, et in cujus domum solerent convenire christiani Colossenses (Philem. 2), patet ex hac epistola, v. 4-7. Vocatur Apostoli *adjutor*, vel quod presbyter aut diaconus esset, vel simpliciter ideo quod in rebus temporalibus rei Evangelicæ ministraret.

Præter Philemonem, in inscriptione nominatur etiam *Appia* quædam, probabiliter ejus uxor; et *Archippus*, filius eorum, secundum quorumdam conjecturam. Hic autem dicitur Pauli *commilito*, videlicet episcopus, vel saltem (cum Epaphras videatur fuisse

Colossarum episcopus), ministerio evangelico mancipatus tamquam presbyter aut diaconus, ut eruitur ex Col. IV, 17.

Tribus igitur personis illis inscribitur epistola, sed auctor solum Philemonem directe et proprie alloquitur, nimirum eum instanter deprecatur pro *Onesimo* quodam, quem nunc notum facere oportet.

Onesimus servus erat Philemonis, qui, postquam dominum damno affecerat (per furtum, ut videtur, v. 18), ex timore pœnæ Colossis aufugit; et, cum Romam venisset (sive casu, sive ut Paulum, Philemonis amicum, facti jam pœnitens, quæreret), ab Apostolo, qui tunc ibi in vinculis erat, ad Christum conversus est. S. Paulus ejus ministerio Romæ aliquamdiu usus est, eumque apud se retinere voluisset; verumtamen, quum ab una parte jus domini lædere timeret, et ab altera parte Onesimum jam satis in fide confirmatum videret, ut hic sine periculo in Asiam reverti posset, ipsum ad Philemonen remisit, simul cum Tychico qui epistolas ad Colossenses et ad Ephesios deferebat. Ne autem servus ille a domino suo Philemone severe tractaretur, dedit ei hanc epistolam commendatitiam, in finem, quem nunc indicabimus, exaratam.

§ 2. Finis scribentis et epistolæ argumentum.

Apostolus vult Philemonem inducere ut Onesimo culpam ignoscat, eum benigne suscipiat, atque ei concedat libertatem.

Quem finem ut obtineat, post solitam inscriptionem et gratiæ apprecationem, v. 1-3, primum Philemonis benevolentiam captat, laudando ejus fidem et charitatem, v. 4-7. Deinde epistolæ argumentum proponit, pro Onesimo deprecatorem se præbens, v. 8-10. Duas autem præcipuas affert rationes ad veniam Onesimo obtinendam: 1° quia servus ille christianus factus est, adeoque tum Philemoni quum Paulo carus atque utilis, v. 10-17; 2° ipsemet Apostolus debita ejus rependet, seu potius ista exstinguuntur per debita longe majora quæ Philemonem Paulo adstringunt, v. 18-20. Claudit epistolam dicendo se mox ad ipsum venturum esse, et salutationes benedictionemque ei impertiendo, v. 21-25.

Pleniorem argumenti descriptionem vide in tab. synopt. post § 5 huj. introd.

§ 3. Epistolæ authentia et canonicitas, ejusque utilitas.

Epistolæ hujus, inter omnes Paulinas brevissimæ, hæc est indoles, ut manifestum sit omnibus, eam a Paulo fuisse compositam (1); neque umquam, ante rationalistas hyper-criticos, v. gr. Baurum et Paulum (2), ullum hac de re exstitit vel minimum dubium; quamquam brevitas ejus, ipsiusque argumenti genus, fecit ut antiquiores Ecclesiæ scriptores mentionem de ea rarius injecerint. Attamen catalogus Muratorii, versio Peschito (syriaca), Tertullianus (Adv. Marc. 5, 42), Origenes (In Jerem. hom. 19, 2), et Eusebius eam inter scripta Pauli canonica referunt; quod quidem fecit et ipse Marcion hæreticus.

Sancti autem Chrys. et Hier., qui eam commentati sunt, tradunt fuisse quosdam, qui epistolæ huic locum inter Scripturas sacras abnuerent (non negabant eam esse a Paulo scriptam, sed ejus divinam rejiciebant inspirationem), propter humilitatem argumenti, eo quod ad hominem privatum ac de re privata exarata sit, neque ullam complectatur veritatem seu doctrinam dogmaticam.

Verum, argumentum ejus divina inspiratione indignum nequaquam est: quis enim quidquam eorum quæ magnus scripsit gentilium Apostolus Deo indignum esse dicere ausit? Præterea, servorum conditionem secundum christianæ religionis principia notam facit, quod quidem maximi momenti est, et præsertim erat eo tempore quo editum fuit epistolium. Docet enim quantum valuit christianismus ad ipsorum servorum sortem mitigandam.

Sed juvat audire s. Chrys., de utilitate epistolæ disserentem :

---

(1) Ipsemet Renan ait in op. *S. Paul*, Intr. p. XI : « Peu de pages ont un accent de sincérité aussi prononcé ; Paul seul, autant qu'il semble, a pu écrire ce petit chef-d'œuvre. »

(2) Rationes, ob quas epistolam a s. Paulo abjudicant, nimis futiles atque gratuitæ sunt ut confutationem mereantur.

« 1° Inde discimus, ait, in omnibus studiose agere : si enim Paulus « pro fugitivo, pro latrone et fure tantam gerit curam, nec recusat « cum tot laudibus ipsum mittere, nihilque veretur: multo magis « nos debemus circa res hujusmodi non esse negligentes. 2° Quod « servile genus desperare non debeat, etiamsi ad extremum « nequitiæ devenerit... 3° Quod servi non debeant heris suis « auferri..., alias enim multi in necessitatem inducantur blasphe- « mandi, ac dicendi christianismum ad omnium eversionem indu- « ctum fuisse, cum servi heris suis auferantur, et violentiam « inferri. 4° Docet nos ut servos non erubescamus, siquidem « virtute præditi sint. » Ex hac igitur epistola « discunt christiani et pastores, ait A Lapide, pauperes, servos et ancillas non negligere, sed singularem curam eis impendere...; animas enim tam nobiles habent quam divites. » Tandem, in his literis eximium dilectionis christianæ sermonem audimus, et immensas charitatis divitias in corde Pauli absconditas contemplamur (1); ejusque humilitatem insignem et animum generosum admiramur.

§ 4. Tempus et locus scriptionis.

Romæ, in primis Pauli vinculis, eodem tempore quo epistolæ ad Colossenses et ad Ephesios, exarata fuit. Videsis introd. in illas epist.

§ 5. Præclara scribendi ratio ac mirum compositionis artificium.

Hæc epistola novo genere a Paulo scripta est, et fere sola proprie *epistola* dici meretur. Tanto cum ingenio et tam admirabili solertia composita est, ut vere specimen sit illius eloquentiæ, quæ *per insinuationem* dicitur, seu potius, qualis a sola christiana dilectione potest inspirari. Brevissimum quidem est epistolium, sed singulis fere verbis singula argumenta sunt subjecta. « Quum Apostolus,

(1) Hoc indicare volui per epigraphen huic epistolæ præmissam.

ut animadvertit Erasmus (*Annot.*, ad fin. Epist.), pro sua auctoritate, proque meritis in Philemonem, posset imperare, nonnisi obsecratur et obtestatur. Deinde, pergit ille, quid festivius dici poterat, vel ab ipso Tullio, in hujusmodi argumento? nisi quod quidam, nomine dumtaxat christiani, animo infestissimo Christo, nihil eruditum putant, nihil elegans, nisi quod idem sit ethnicum (1). » De Wette Rational. nervose ait: « *Der kleine Brief... ist eine unschätzbare, die liebenswürdige gemüthliche Persönlichkeit des Ap. trefflich charakterisirende, Urkunde.* »

Manet ut verbulum dicamus *de effectu epistolæ.* Narrat s. Hieronymus epistolam, tam singulari elaboratam industria, optatum habuisse effectum: Onesimo et condonationem et libertatem concessas fuisse, eumque Romam ad Apostolum a Philemone remissum fuisse. Postmodum, uti fert traditio, episcopus factus est Onesimus, et martyr occubuit.

---

(1) Hæc ultima Erasmi verba nos impulerunt ad hoc ut totidem verbis recitaremus celebrem Plinii ad Sabinianum epistolam, in eumdem fere finem ac epist. ad Philem. conscriptam. Attenta utriusque comparatio incredibilem Pauli præstantiam, quod attinet ad sententias et præclara cordis sensa, facile demonstrabit (ut fatetur ipse Meyer Prot.), simulque ostendet christianismi principia omni ethnicorum philosophiæ longe superiora esse.

« C. Plinius Sabiniano suo S. — Libertus tuus, cui succensere te dixeras, venit ad me, advolutusque pedibus meis tamquam tuis hæsit. Flevit multum, multumque rogavit; multum etiam tacuit: in summa, fecit mihi fidem pœnitentiæ. Vere credo emendatum, quia deliquisse se sentit. Irasceris, scio; et irasceris merito, id quoque scio: sed tunc præcipua mansuetudinis laus, quum iræ causa justissima est. Amasti hominem, et, spero, amabis: interim sufficit, ut exorari te sinas. Licebit rursus irasci, si meruerit: quod, exoratus, excusatius facies. Remitte aliquid adolescentiæ ipsius, remitte lacrymis, remitte indulgentiæ tuæ: ne torseris illum, ne torseris etiam te. Torqueris enim, quum tam lenis irasceris. Vereor ne videar non rogare, sed cogere, si precibus ejus meas junxero. Jungam tamen tanto plenius et effusius, quanto ipsum acrius severiusque corripui, districte minatus, numquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebat, tibi non idem. Nam fortasse iterum rogabo, iterum impetrabo: sit modo tale, ut rogare me, præstare te deceat. Vale. »

N. B. Vehementer exopto ut vir quidam, artis literariæ atque eloquentiæ peritus, comparationem diligentissimam, usque in minimis rerum argumentis, inter utramque epistolam instituat ac scripto edat.

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ AD PHILEMONEM.

Inscriptio et gratiæ apprecatio: 1-3.

Ingressus. Benevolentiam captat: 4-7.	1° Deo gratias agit, et sæpe orat pro Philemone, v. 4. 2° Laudat eum, præsertim ob charitatem ejus, 5 et 6. 3° Imo multum gaudet de bonis ejus operibus, 7.
Petit ut Philemon Onesimo veniam tribuat: 8-20.	1° Possem, ait, illud tibi imperare; nam vere æquum est, 8. 2° Sed potius obsecro per senectutem meam, per vincula mea, 9. 3° Ipse est nunc filius meus, in vinculis genitus, 10; ideoque charissimus, 12. 4° Olim inutilis, nunc vere utilis et tibi et mihi, 11. 5° Adeo quidem utilis, ut voluissem eum retinere ut vices tuas suppleret, 13. 6° Sed eum remisi, ut magis sponte ei culpam condonares, 14. 7° Forsitan res accidit, ut ille ad Christum converteretur, et tu semper eo fruerere tamquam fratre loco servi, 15, 16. 8° Meipsum suscipies in ejus persona, 17. 9° Si quid nocuit, spondeo pro ipso, ego restituam, 18, 19. 10° Sed tu majora mihi debes: imo te totum debes, 19, 20. 11° Rem mihi gratissimam facies: cor meum sedabis, 20.
Conclusio: 21, 22.	Certe obedies mihi, et plus quam peto facies, 21. Mox te invisam, puta, gratus et beneficii memor, 22.

Salutationes et altera gratiæ apprecatio, 23-25.

Philemonem laudat, atque miro studio pro Onesimo servo fugitivo deprecatur.

CAPUT UNICUM.

1 * Paulus vinctus Christi Jesu,
et Thimotheus frater : Phile-
moni dilecto, et adjutori nostro,
2 * et Appiæ sorori charissimæ, et

[1] Ego Paulus, vincula pro Christo patiens, et Timotheus in prædicatione socius, scribimus Philemoni dilecto adjutori nostro, [2] et Apphiæ sorori nostræ in Christo, et Archippo, qui nobiscum

1. Vinctus Christi Jesu, *propter Christum*, propter christianæ religionis professionem ac prædicationem. Est igitur genitivus *causæ*, ut v. 13. De hujus genitivi usu vide Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 30, 2. Solet s. Paulus initio suarum epistolarum se Christi Apostolum dicere, cui quidem consuetudini hic derogat, non sane absque speciali ratione: intendit enim cor Philemonis tenerrima supplicatione commovere, atque per amoris impulsum, potius quam per auctoritatis præceptum, id obtinere quod exoptat. Igitur, statim ab initio vincula quæ patitur commemorat, ut commiserationem atque benevolentiam excitet; quasi diceret : per hæc vincula te obsecro. Et non dicit simpliciter *vinctus*, sed *vinctus Christi Jesu*, quod magis commovere poterat christianum insignis pietatis. Quum Paulus sacrificium libertatis et vitæ pro Christi amore faciat, quomodo ausit Philemon parvulum illud sacrificium recusare, quod pro amore Christi ab ipso supplex petit Apostolus ?

Et Timotheus frater. Eum adjungit, vel ut duorum intercessio plus valeat (ita s. Th , impossibile est, ait, preces multorum non exaudiri); vel forte quia per Timotheum Onesimus ad Paulum adductus fuerat (Estius).

Dilecto : amorem ostendit, ut mutuum provocet amorem. Adjutori, utique, in re Evangelica, vel quia ipse sacro addictus erat ministerio, vel (s. Th.) quia bonorum temporalium subsidio Evangelii propagationem promovebat, quo sensu Rom. XVI, 3, 4,-12 et Phil. IV, 2, 3 mulieres aliquot Evangelii adjutrices vocantur.

2. Appiæ, seu potius *Apphiæ* ut in græco. Videtur fuisse Philemonis uxor, teste s. Chrys., idque eo verisimilius est, quod Archippo præponatur. Quum servi ad res domesticas pertineant, scite Apostolus interventum uxoris tacite implorat. Sorori charissimæ : alterutra vox per glossema irrepsit. Αδελφη (*sorori*) legitur in codd. AD*E*FG, et apud s. Hier.; αγαπητη (*dilectæ*)

Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ, quæ in domo tua est.
3 * Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo.
4 * Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in

pro fide militat tamquam Evangelii minister, et cœtui christianorum qui in domum tuam, o Philemon, convenire solent. [3] Gratiam vobis, et omne bonum salutare, concedat Deus pater noster et Jesus Christus Dominus noster!

[4] Sine intermissione gratias ago Deo meo, tuique piam facio memoriam in

autem in codd. D***E**KL, vers. syr. etc. Si prima lectio teneatur, sensus erit *sorori in Christo, mulieri christianæ.*

Archippo. Is, quum viro et uxori jungatur, videtur etiam ad eamdem pertinuisse familiam; utrum autem ut filius, an vero pædagogus, vel amicus domus, dici nequit.

Commilitoni nostro, sc. in ministerio sacro, quod constat ex Col. IV, 17 : *Dicite Archippo : Vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Non erat proprie episcopus Colossarum, ut putant s. Hier. et s. Thom.; sed in absentia Epaphræ (de quo in epist. ad Col.) probabiliter Colossensem ministrabat ecclesiam. In dictione *commilito* pulchra est metaphora, qua, quemadmodum alibi sæpe, labor evangelicus cum militia comparatur, cf. 1 Tim. I, 18 et 2 Tim. II, 3 sqq.

Et ecclesiæ quæ in domo tua est, cf. ann. in Col. IV, 15. Christianos autem, qui in Philemonis domum convenire solebant, quique adeo cum ipso erant quadam familiaritate et amicitia speciali conjuncti, deprecatores adsciscit; eos vero, qui in aliis domibus cœtus sacros habebant, non memorat, quum agatur de quæstione domestica; qua in re solertem se præbet. — In domo tua. *Tua*, inquit, quia ad Philemonem solum proprie scribit.

4. Philemonem laudat, ut benevolentiam ejus captet; verum laus est, non adulatoria, sed plane christiana : primum, quia laudat de re quæ sane laude digna est, sc. de charitate et fide; deinde, quia tali modo laudat ut ex laude vana gloria non oriatur; nam, quum gratias agat Deo propter Philemonis virtutes, satis declarat virtutes illas absque divina gratia non exstitisse.

Gratias ago. Ex quatuordecim epistolis Paulinis, decem a gratiis Deo agendis, vel, quod eodem recidit, a benedicendo Deo incipiunt. Semper, refer ad *gratias agimus*, cf. ann. in Col. I, 3. Memoriam tui faciens in orationibus meis, intelligo memoriam piam, adeo ut sensus sit : quotiescumque oro pro te, gratias propter te Deo ago. Ergo idem ille, qui pro Philemone Deum precatur, nunc pro Onesimo Philemonem implorat : nonne benigne audietur ?

5 orationibus meis, * audiens cha-
ritatem tuam, et fidem, quam
habes in Domino Jesu, et in
6 omnes sanctos : * ut communi-
catio fidei tuæ evidens fiat in
agnitione omnis operis boni,

orationibus meis, [5] propterea quod frequenter audiam magnam esse fidem qua Domino Jesu credis, et charitatem quam erga omnes christianos ostendis ; [6] id autem precor ut fides, quam cum omnibus christianis communem habes, fiat activa et efficax per hoc quod omne bonum, quod inter christianos

5. Audiens etc. Objectum et simul causa gratiarum actionis. Participium præsens *audiens* indicat actum continuatum. *Audiens* plus dicit quam *sciens;* bonam enim ejus famam pervulgatam esse significat, eamque ut tueatur tacite admonet.

Charitatem præponit, vel quia virtus dignior est, vel quia opus charitatis obtinere intendit. Quam habes in Domino Jesu: προς (vel juxta aliam lectionem, quæ videtur minus probabilis, εις) τον Κυριον Ιησουν, *in, ad Dominum Jesum* (accusat.).

Et in omnes sanctos, refertur non ad *fidem quam habes*, sed ad *charitatem tuam.* Habetur igitur constructio quædam peculiaris, quæ vocatur *chiasmus* (a χιαζω, *in modum litteræ* X *decussare*), cujus membra sunt decussata, adeo ut primum spectet ad quartum, et secundum ad tertium : cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 54, 2. Bisping tamen non admittit chiasmum illum, et πιστιν vertit *fidelitatem* (Rom. III, 3; Gal. V, 23; Matth. XXIII, 23) : ideo præsertim quod dictio πιστις προς etc. nusquam in N. T. significet *fidem in Christum.* — In omnes sanctos, ait, etiam pauperes ac viles, qualis erat Onesimus.

6. Finis sanctæ precationis, quam cum gratiarum actione pro Philemone Deo offert. Ut, όπως, conjunctio finalis, quæ fere ubique τελικως *de fine* (gall. *afin que*) adhibetur; et vix umquam εκβατικως, *de eventu* (gall. *de sorte que*) : cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 57 ad fin.

Communicatio fidei tuæ, participatio fidei tuæ, i. e. fides quam cum aliis christianis participas seu communem habes: ita s. Chrys., s. Thom. 1°, Bisp., Beel. Sensus non est *beneficentia fidei tuæ, a fide tua inspirata* (Drach); nam de beneficentia seu liberalitate non dicitur eam reddendam esse *activam* seu *operatricem.*

Evidens fiat : græce constanter legitur ενεργης, *efficax, operatrix,* non εναργης, *evidens, manifesta.* In agnitione omnis boni. *Agnitio* intelligitur activa : *in usu omnis boni* (*operis* non est nisi in codd. FG, adeoque glossema est), ut explicat Theoph. et Œcum. Similiter Col. 1, 9, III, 10, Phil. I, 9, Rom. XII, 2 cognitio theoretica cum activa conjungitur.

quod est in vobis in Christo Jesu.
7 * Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua : quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

inventur, perficias in honorem Christi Jesu. [7] Gratias Deo ago, quoniam gaudium magnum et consolationem habui propter eximiam charitatem tuam, quia tu corda christianorum, indigentia perturbata, requiescere fecisti, quando eos afflictos misericorditer refocillasti, o frater mi genuine.

— QUOD EST IN VOBIS : lectio ὑμιν habetur solummodo in codd. FG; alia lectio ἡμιν *nobis* est in codd. ACDEKL, et pluribus antiquis Vulgatæ manuscriptis.

IN CHRISTO JESU : græce εις cum accus., *in Christum Jesum*, ad quem tendunt omnia opera bona a christianis peracta.

Sensim transit ad argumentum epistolæ primarium : mox ut Philemonem laudavit, ob eximiam ejus charitatem erga proximum, statim innuit novum aliquod charitatis opus, et difficilius forsitan quam quæ jam præstitit, ab eo perficiendum esse : Deum, inquit, oro, ut adimpleas omne opus bonum quod a christianis in honorem Christi postulari potest. Sed, antequam nominet illud opus bonum, quod nunc expetit, ad laudis sermonem redit v. 7.

7. ENIM, rationem (subjectivam sc., nam objectivam jam dederat v. 5) dat rursum quare pro ipso tam sæpe gratias agat Deo. GAUDIUM, χαραν, ut in codd. ACDEFG, et in omnibus versionibus antiquis. Nolim igitur sequi Tischendorfium, qui aliam adoptavit lectionem, sc. χαριν, *gratiam*, cum codd. KL, in eodem sensu ac 2 Cor. I, 15. Etenim, præter auctoritates allegatas pro lectione χαραν, notandum est hanc magis hic convenire.

HABUI, εσχον, cum codd. ACFG. Aliqui codices legunt in plurali εχομεν *habemus*, vel εσχομεν *habuimus*, quasi Timotheum secum loquentem assumeret Paulus : verum nulla est ratio quare a lectione Vulgatæ recedamus. Præteritum autem tempus (*habui*, non *habeo*) respicit momentum quo Apostolus bonum illum nuntium audivit.

VISCERA, apud Hebræos, quemadmodum *cor* apud nos, tamquam affectuum sedes habentur (et sæpe quidem, non vero hic, tamquam sedes misericordiæ, cf. Col. III, 12) : cor autem, quod inopia et necessitatibus premitur atque anxie agitatur, dicitur *quiescere*, quando indigentia sublevatur; igitur Philemon corda christianorum, propter corporalem miseriam anxia et solicita, ad quietem adduxit, quum insigni charitate ac beneficentiæ operibus pauperes refocillavit. Quidam *viscera* sumunt pro intimis

8 * Propter quod multam fidu-
ciam habens in Christo Jesu
imperandi tibi quod ad rem
9 pertinet : * propter charitatem
magis obsecro, cum sis talis, ut
Paulus senex, nunc autem et

[8] Quum ergo tanta sit charitas tua, quamquam, ut Christi Apostolus et vices-gerens, jus habeo libere et audacter tibi imperandi quidquid æquum et justum est, [9] potius tamen obsecro te per eximiam charitatem tuam. Ego nimirum Paulus ille quem noscis, ego qui jam ætate sum provectus, et non hoc solum, sed nunc in vinculis

necessitatibus, seu miseriis, quæ aliorum misericordiam provocant : verum insolita est hæc significatio, nec convenit versiculis 12 et 20.

Frater, in fine phraseos, magnam habet vim. Solamen, quod Philemon afflictis toties procuravit, haud exiguam debet Apostolo ingerere fiduciam, fore ut suis etiam visceribus a Philemone requies procuretur per voti sui impletionem. Etenim certum jus ei est, ut sibi, de Onesimo tam solicito, nihil fiat minus, quam quod erga alios christianos, Philemoni non æque conjunctos, factum est. Vide tamen Apostolum non dixisse : si id aliis facis, multo magis mihi; sed hoc subindicavit, et majore cum arte gratius expressit, ut notat s. Chrys. h. l.

8. Post introductionem illam, per quam benevolentiam et amorem Philemonis captavit, ad rogationis suæ expositionem paulatim accedit, idque mira cum humilitate et teneritudine maxima facit.

Habens : participium istud in verbum finitum resolve, hoc modo : *quamquam habeo*, ut docet contextus; cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 46, 12. Fiduciam, παρρησιαν, *loquendi libertatem* (παν *omne*, et ρημι *dicere*), auctoritatem, fiduciam. In Christo Jesu, tamquam ejus Apostolus, in arcta cum ipso unione vivens, eo vel magis quod ad virum christianum loquar.

Quod ad rem pertinet : το ανηκον, potius *quod decet te facere*, sc. Onesimum bene excipere eique culpam condonare. Possum id tibi præcipere, quia æquum est, et omnino convenit ut fiat. Hoc addit, ut severitatem verborum præcedentium mitiget.

9. Propter charitatem : græce adest artic. δια την αγαπην, propter charitatem christianam quam tu ostendis, adeo ut opus quod rogo ex charitate fiat, non ex necessitate, v. 14.

Cum sis talis : græce τοιουτος ων, *talis existens*, quod Vulgata ad Philemonem refert, hoc sensu : obsecro te, non autem impero tibi, quia talis es sicut ego Paulus, nimirum senex sicut ego ; et quia non convenit ut senex seni seu æquali imperet, sed junioribus. Verum phrasis græca omnino postulat, ut illud de Paulo intelligamus, hoc modo : *cum sim talis ut sim Paulus senex.* Hæc autem verbā potius cum sequentibus, quam cum

10 vinctus Jesu Christi. * Obsecro te pro meo filio, quem genui
11 in vinculis, Onesimo, * qui tibi

propter Jesum Christum jaceo: [10] obsecro te pro filio meo, quem in vinculis spiritualiter ad vitam gratiæ genui, pro Onesimo; [11] qui tibi olim

præcedentibus, nectimus; quare aliam sententiam inchoamus a verbis *cum sim talis.* — Senex, πρεσβυτης, *in provecta ætate;* etenim jam 30 circiter anni a conversione ejus effluxerant, multosque interea sustinuerat labores; atqui ætatem 30 saltem annorum attigerat, quando factus est christianus (dicitur quidem *adolescens* Act. Ap. VII, 57, sed non adeo stricta est hæc appellatio; deinde paulo inferius, ib. IX, 13 vocatur *vir*); igitur, sexagenarius ferme, et viribus quidem exhaustus, erat, cum Philemoni scriberet. Senex sane mitiorem se præbere solet, non auctoritatem jactans, non arrogans; præterea senis preces majorem habent vim ut animos commoveant.

Vinctus J. C.: cf. supra v. 1. " Papæ! exclamat s. Chrys. in h. l., quanta " ad illum flectendum adhibet! ex personæ suæ conditione, cum dicit " *Paulus*, ex ætate, quia se vocat *senem*, ex eo quod omnibus dignius est, " quando addit *vinctus Jesu Christi.* " Animadverte gradationem: vix quidquam amico, præsertim seni, denegamus; sed si senex ille, amicus noster, sit in vinculis, et non propter culpam vel minimam, e contrario propter agendi rationem gloriosissimam, ad defensionem causæ alicujus justissimæ ac sanctissimæ, pro qua nosmetipsi carcerem et mortem subire parati simus: an fieri possit ut non faciamus quod a nobis requiratur? præsertim si id vehementissime exoptet amicus, nobisque facillimum sit.

10. Obsecro, nota verbi repetitionem. — Pro etc. Tandem aliquando, postquam, omni arte, omni studio ac diligentia, Philemonis animum præparavit et ad favorem flexit, objectum suæ petitionis eloquitur. Sed quanta cum solertia et charitate! Servum illum iniquum antequam nominat, in filium suum dilectissimum transformat: nomen Onesimi invisum occultat sub appellatione prævia *filii*, et quidem filii *in vinculis geniti.*

Quem genui, adeoque filius proprius, non adoptivus; filius per generationem, non per solam charitatem. Vix monendum est sermonem esse metaphoricum de generatione spirituali, seu conversione ad fidem, cf. 1 Cor. IV, 14 sqq., et Gal. IV, 19. — In vinculis. Filius eo est carior, quo laboriosior atque difficilior fuit ejus generatio.

Onesimo, in fine phraseos; quod magnam probat Pauli industriam. Observa etiam nonnisi semel in tota epistola nomen Onesimi fuisse expressum.

11. Inutilis. In vocibus *inutilis* et *utilis* latet, secundum recentiores plerosque, elegans paronomasia ad nomen græcum *Onesimi* (Ονησιμος *utilis*, ab ονημι, ordin. ονινημι *utilis sum*); quam innuit Erasmus, quando

aliquando inutilis fuit, nunc au-
12 tem et mihi et tibi utilis, * quem
remisi tibi. Tu autem illum,

noxius erat, nunc autem per conversionem suam tibi et mihi utilis factus est, [12] quem remitto tibi. Tu

scribit: quondam parum suo nomini respondens, nunc in diversum mutatus. Inutilis, callide dicitur per litoten pro *noxius, damnosus.* " Vide " quanta utitur prudentia, quomodo confiteatur Onesimi peccatum, et hac " ratione Philemonis iram exstinguit (s. Chrys.). "

Et mihi et tibi utilis : græce (primum *et* fere ubique omittitur) *tibi et mihi.* Acute etiam animadvertit s. Chrysostomus, Apostolum non simpliciter dixisse *tibi utilis*, sed *tibi et mihi*, ne ille contradiceret, et ut spes fide dignior esset. Sane convenientius est ut Philemonis utilitatem propriæ suæ præponat utilitati. Utilis ad externum ministerium (Estius), vel : utilis ad spiritualem progressum, sc. Philemoni, propter unionem cum ipso in Christo ejusque orationes etc., Paulo vero, propter merita quæ Apostolus cum eum ad Christum convertit acquisivit. Ita cl. Bisping; sed Estii sententiam, utpote magis obviam, præfero, cf. v. 13.

12. Remisi. Præteritum illud, quod in epistolis adhibere solent Græci et Latini, pro præsenti ponitur, non per simplicem temporum permutationem, sed ex eo quod auctor se referat ad illud tempus quo epistola legenda sit, quando actio erit præterita. Cf. Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 41, p. 298. — Tibi, non est in græcis, ait Estius : et re quidem vera, non est in cod. D***FGKL ; sed legitur in codd. ACD*E, neque rejiciendum est.

Tu autem etc. : aliquot manuscripta uncialia (AC) omittunt etiam hæc σv δϵ *tu autem ;* verum omissio illa videtur provenire ex absentia verbi *suscipe,* propter quam αvτov *illum* ad αvϵπϵμψα *remisi* referebant. Igitur retinendæ sunt voces σv δϵ, *tu autem.*

Suscipe omittunt codd. AFG, Lachmann et Tischendorf ; quo casu oratio erit anacolythica (De anacolytho videsis Beelen, *Gramm græc. N. T.* § 64) : Paulus amore erga Onesimum commotus, et cogitatione illa præventus, quod vellet eum apud se retinere v. 13, deinde in v. 14 longius abductus, obliviscitur verbum (*suscipe*) exprimere, idque nonnisi v. 17 sed mutata oratione apponit, quamobrem ibi per *igitur* ovv sermonem annectit. Atque hæc quidem lectio inde fit probabilior, quod difficilior sit ; deinde quod codices, qui addunt *suscipe,* alii post σv δϵ *tu autem,* alii post αvτov *eum,* alii vero (nimirum CDEKL quibuscum consonant versiones omnes antiquæ) post σπλαγχvα *viscera* istud collocent. Verbum *suscipe* majorem vim habet

13 ut mea viscera, suscipe : * quem
ego volueram mecum detinere,
ut pro te mihi ministraret in
14 vinculis Evangelii : * sine con-

autem illum, objectum omnium affectionum mearum, bene suscipe. 13 Eum quidem optabam ego mecum detinere, ut tuas apud me vices suppleret, ministrando mihi, Evangelii causa vinculis constricto ; 14 verum, sine con-

quam si dixisset *accipe* (αποδεξαι) ; significat enim eum, non venia tantum, sed et honore dignum esse (s. Chrys.).

Ut mea viscera : græce *id est* (τουτ' εστι) *mea viscera ;* quod majorem vim habet : suscipe eum, ipse est *viscera mea*, est *cor meum*, pars est intima mei ipsius: atque hoc quidem de *servo* dicitur! Viscera, ut statim innui, ponitur pro *cor*, cf. v. 7 ; vult dicere : eum non solum in corde gero, sed ut cor meum amo ac pretiosum habeo. Syrus : eum tamquam filium meum suscipe; et re quidem vera, filii sunt quasi pars viscerum matris : quo sensu, ut notat Estius, Ecclesia de Beata Maria Virgine canit : *De meis visceribus genui Deum et hominem.* Quovis autem modo intelligatur dictio *viscera mea*, tenerrimam sane testatur Pauli erga Onesimum dilectionem, et efficacissima esse debuit ad Philemonem placandum.

13. Volueram. Græce est εβουλομην, imperfectum indicativi, *volebam*, quod juxta sententiam Beelen (*Gramm. græc. N. T.* § 42, p. 304), non pro conjunctivo *voluissem* sumendum est, sed pro actione præterita quæ reipsa exstitit; voluit Paulus eum apud se retinere, sed deinde mutavit sententiam et eum remisit. Hunc tamen sensum, qui in eo videtur fundari quod, quum agatur de re quæ fieri poterat (retinere Onesimum), optativus βουλοιμην debuisset adhiberi (vide Beel. l. c.), non plane certum habeo; etenim, Apostolus retentionem servi alieni, absque domini consensu, forsitan considerabat tamquam tale quod fieri non poterat. Utcumque istud se habeat, s. Paulus ingeniose abscondit votum, quo cupit ut sibi donetur Onesimus ; quod quidem votum causa esse debuit Philemoni, quare majore cum benignitate et æstimatione susciperet virum adeo ab Apostolo dilectum.

Pro te, ut tuas suppleret vices ; nam tumet ipse, si Romæ esses, mihi ministrare velles et deberes. Quantam fiduciam Philemoni exhibet ! Hic igitur servum non jam ut infidelem, sed ut utilissimum sibi, accipere tenebatur.

Mihi ministraret. Textus græcus Receptus, cum codd. KL, ponit *mihi* post *ministraret*, sed significantior est dictio si Vulgatam sequamur, et pronomen præmittamus, quod etiam fit in longe pluribus documentis criticis.

14. Consilio : γνωμη, *sententia*, *consensu*. Nihil, quod ad Onesimum

silio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.
15 * Forsitan enim ideo discessit

sensu tuo nihil hac in re facere volui, ne quasi coacte fiat bonum opus, quod adimplebis donando mihi servum illum, sed ut plene spontaneum sit.

15 Bene suscipe eum; etenim forsitan permisit Deus ut ad breve tempus a te

spectat. — Volui. Innuit rursum se stricto jure potuisse eum retinere (cf. v. 8); noluit autem id facere, ne Philemonem offenderet, qui forte cogitasset se suumque jus in servum suum fuisse despectum. Sed solerter præterit hanc rationem, aliamque profert quæ, quum exquisite et subtiliter magnam Philemonis laudem involvat, ei gratissima esse debuit.

Velut ex necessitate. *Velut* ὡς, denotat apparentiam; quamvis a parte rei Philemon Onesimi retentioni intus non repugnasset, ejusdem tamen consensus minus manifestus fuisset exterius; forte quis opinatus esset eum Paulo hac in re acquievisse, non ex libera voluntate, sed ex necessitate, quoniam aliter facere non poterat. Igitur in illo ὡς, *velut*, latet Philemonis laus quædam : etiamsi servum te inscio retinuissem, mox ut id audisses consensisses. — Ex necessitate : nam, ut statim notabam, si Paulus servum Romæ detinuisset, Philemoni minor fuisset libertas electionis; proinde minor forsitan virtus minusque meritum coram Deo : " Nihil quippe " bonum, ait s. Hier., dici potest, nisi quod ultroneum est. "

Bonum tuum, bonum opus a te faciendum, nimirum erga Onesimum. Non autem exprimit bonum opus quod vult obtinere : utique cogitat primum veniam Onesimo dandam, atque benignam ejusdem susceptionem; verum, ut mihi videtur, complectitur etiam Onesimi emancipationem (cf. v. 16), ejusdemque ad Paulum remissionem; quod quidem mira arte occultatur, et nonnisi tacite innuitur. Merito tamen animadvertit Estius, hoc ultimum (remissionem ad Paulum) non principaliter ab Apostolo intendi, quum in eo sit ut ipsemet ad Philemonem veniat, quod colligitur ex v. 22 : *Para mihi hospitium : spero enim* etc.

15. Enim. Dat rationem ob quam Philemon bonum opus, de quo in versiculo præcedenti, Onesimo præstare debeat; ratio autem hæc consistit in expositione ac demonstratione illius quod dixit v. 11 *tibi utilis*.

Forsitan ideo discessit. *Forsitan*, nam occulta sunt, ait s. Hier. in h. l., judicia Dei, et temerarium est quasi de certo pronuntiare. Deinde incerta erat finalis Onesimi in bono perseverantia. Præterea, absoluta affirmatio Philemoni ingrata fuisset, quasi vero Onesimus, si apud Philemonem mansisset, non potuisset ad fidem converti.

Ideo, non sane discedentis servi, sed providentis Dei intentionem signifi-

ad horam a te, ut æternum illum | discederet, in eum finem ut, per conversionem ad fidem, tecum in Christo per-

cat, hoc sensu : quando Deus permisit ut servus ille discederet, hunc forsitan finem sibi proposuit, ut, per concursum eventuum quos Providentia sua dirigeret, christianus fieret Onesimus, atque per finalem perseverantiam tecum aliquando æternum in cœlis conjunctus esset. Divina enim Providentia, in rerum omnium gubernatione, bonum semper intendit ; atque ideo permittit malum, quia bonum ex malo elicere novit : " Nonnum-" quam, ait s. Hier., malum occasio fit bonorum, et hominum prava consilia " Deus vertit ad rectum. " Sic, ut notat s. Th., ex Gen. XLV, 5 colligimus, Deum permisisse ut Joseph a fratribus venderetur in hunc finem ut bonum inde proveniret. Quantam nobis, si Deo fideliter serviamus, ingerere debet fiduciam hæc firma persuasio, *omnia* nobis *cooperari in bonum* (Rom. VIII, 28) ! Quoties contingit ut id, quod nobis primum tristitiam pepererat, postmodum insigne Dei beneficium fuisse appareat ! Quando Onesimus aufugit post nocumentum illatum, magna sane Philemoni tristitia fuit : non tam ob temporale damnum sibi illatum, quam ob spirituale servi infortunium, quippe qui domum christianam reliquisset, antequam fidem amplexus fuisset ; verum, post acceptam Pauli epistolam, nonne ferventes Deo gratias lætus offerre debuit pro iis omnibus quæ evenerant ?

Discessit : εχωρισθη, quod proprie significat *vi a te separatus est invitus*, inde *separavit se a te, discessit, abiit ;* quæ quidem vox scite electa fuit ; noluit enim, ut notat Theophylactus, dicere *aufugit*, ne in Philemone injucundas excitaret cogitationes. Deinde, verbum εχωρισθη rem ut eventum aliquem, potius quam ut Onesimi actionem, describit.

Ad horam, *ad breve tempus*, cf. 2 Cor. VII, 8; 1 Thess. II, 17 et Gal. II, 5. Opponitur autem adverbio *æternum*, ideoque tempus separationis breve fuisse intelligendum est relative, cum quadam latitudine, uti materia postulat. — A te, in textu originali haudquaquam exprimitur ; et facile suspicamur quare scriptor ista verba non addiderit.

Ut æternum illum reciperes. *Æternum* adverbialiter accipimus (contra Estium), secundum hanc regulam Beelen, *Gramm. græc. N. T.* § 58, 2 : " Interdum adverbii loco positum est adjectivum nomen, quod tum ad modum epitheti ad substantivum refertur. " *Æternum*, non sign. simpliciter *per totam vitam* tibi utilis erit ; verum *non tantum in hoc seculo, sed et in futuro* (s. Chrys.) ; nam christianorum unio ac fraternitas in cœlis continuatur, imo perficitur. — Reciperes : απεχης, quod proprie sign. *accipere* seu *habere quod suum est*, cf. Matth. VI, 2.

16 reciperes: *jam non ut servum,

petuo esset conjunctus; [16] adeoque ut eum post fugam recuperares, et mutatum quidem in melius, nimirum talem

16. Magis explicat *æternum reciperes;* nimirum servitus omnis hac vita finitur, adeoque Onesimum in perpetuum ut suum habere nequit Philemon, nisi ambo sint fratres in Christo.

Jam non ut servum. Non hoc sibi vult, Onesimum per conversionem suam ad christianismum fuisse a servitute emancipatum, aut strictum jus acquisivisse ut manumitteretur; sed eum coram Deo et Ecclesia habendum esse tamquam fratrem; qua quidem ex persuasione civilis ejus emancipatio suapte natura mox sequi debuit, per voluntariam domini christiani cessionem a juribus suis.

Hæc autem fuit antiquæ servitutis abolitio prudentissima, quam sensim effecit christiana religio, quum ab una parte, jura acquisita dominorum agnoscens, a violenta ordinis socialis perturbatione abhorruit; et ab altera parte, talia promulgavit principia æqualitatis et fraternitatis coram Deo, ut ex iis domini christiani ad liberandos servos excitarentur, unde tandem tamquam consequentia proflueret serius ocius æqualitas et libertas coram hominibus et coram societate civili. Cf. Balmes, *Le Protestantisme* etc., ch. 15-19. Möhler, *Gesammelte Schriften und Aufsätze.* Cochin, *L'abolition de l'esclavage,* 2 vol. 1861. Döllinger, *Paganisme et Judaisme,* l. 9. Franz de Champagny, *Les Césars,* t. 2, l. 3, § 2. Troplong, *De l'influence du christianisme sur le droit civil des Rom.* — Wetzer et Welte, *Dict. encycl.* a. esclavage.

Quæstionem de servorum sorte, secundum principia christiana, si velis scripturistice examinare, consule 1° loca haud rara, in quibus docetur unio fidelium in Christo per gratiam sanctificantem, ex qua unione consequitur eorum unitas et æqualitas: v. gr. inspice testimonia in quibus singuli christiani vocantur totidem membra viva ejusdem corporis vivi Christi (1 Cor. XII, 12 sqq., Ephes. IV, 16 etc.), deinde illa in quibus cum palmitibus unius ejusdemque vitis comparantur (Joann. XV, 1 sqq. etc.), aut dicuntur vivere in eodem Christo, habere unum Patrem in cœlis, esse omnes fratres inter se (cf. Matth. XXIII, 8, 9) etc. 2° His vero testimoniis generalibus ea adde quæ de libertate christiana per abolitionem servitutis peccati loquuntur, v. gr. Joann. VIII, 34-36 etc. Namque " prima servitutis causa peccatum est (s. Aug., De civ. Dei 19, 15). " 3° Vide loca quæ specialiter et directe de *servis* proprie dictis agunt. Præcipua sunt: 1 Cor. VII, 21

sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi : quanto autem magis tibi et in carne,
17 et in Domino? * Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.

qui jam sit melior quam servus, nempe frater dilectus. Imo frater jam est præsertim mihi, et etiam tibi; et eo magis tibi quam mihi, quod duplicem tecum habeat conjunctionem, temporalem, tamquam servus, et spiritualem, tamquam christianus. [17] Itaque, si me habes ejusdem fidei et charitatis consortem, illum suscipe sicut me, utpote socium nostrum in Christo.

et XII, 13; Gal. III, 28; Eph. VI, 5 sqq.; Col. III, 11 et 22-IV, 1; 1 Tim. VI, 1; Tit. II, 9; Philem. 16; 1 Petr. II, 18.

Sed pro servo: ὑπερ δουλον, *supra servum, magis quam servum* (cf. ὑπερ Matth. X, 37). Auctor Vulgatæ forsitan legit ὑπερ δουλου (in genit.), *pro servo, loco servi.* Charissimum fratrem: in græco *fratrem dilectum.* Frater enim est qui ex eodem patre genitus est, sicut christiani per Baptismum filii Dei fiunt omnes; namque *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,* Joann. I, 12 et 13.

Maxime mihi: hoc addit ne Philemon iniquius ferret fratrem dilectum vocari eum qui erat servus, idemque male meritus.

In carne. Frater dicitur *in carne,* ob conjunctionem temporalem, quam Philemon, tamquam dominus ejus, cum eo habebat; nam servi ad familiam domini spectabant, et, si manumittebantur, cum domino multam servabant consuetudinem.

Nota. Quæ dicit Apostolus v. 16, valde præclara sunt, atque omni humana philosophia illius temporis admodum excellentiora. Ea autem non satis nos commovent, quia non satis attendimus ad vilissimam et miserrimam servorum conditionem apud Græcos et Romanos veteres. Cf. Balmes, l. cit. ch. 16 : *Idées des anciens sur l'esclavage.* Vide etiam annot. nostr. ad Gal. III, 28.

17. Concludit (ουν, *ergo*) petitionem, cum apposita conditione, quæ hujus quidem est naturæ, ut precibus peculiarem det efficaciam; fieri enim nequit ut Philemon conditionem adimplere nolit.

Si me habes socium κοινωνον, i. e. ejusdem participem fidei et charitatis; si mecum fide et charitate conjunctus es. Est quasi obtestatio : rogo te per mutuam nostram fidem et charitatem. Estius nimis coarctat significationem vocis *socium* κοινωνον, quando sensum hunc tradit : per *amicitiam* nostram te oro. — Sicut me, non sane vult ut cum eodem honore suscipiatur, sed

18 * Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet : hoc mihi imputa.

19 * Ego Paulus scripsi mea manu :

[18] Si autem aliquam injustitiam in te commisit, aut debitum quoddam habet quod tibi solvere teneatur, istud in me refer, meque pro illo sponsorem accipe; [19] etenim ego Paulus hoc scripsi mea manu, adeo ut authenticum obligationis meæ teneas chiro-

significat, beneficium Onesimo præstitum tam gratum sibi fore ac si esset sibimetipsi collatum: ille enim est quasi *alter ego*, cf. v. 12. Animadverte quantopere crescat vis rationum, quas Paulus affert ut amicum suum vincat. *Suscipe sicut me!* nihil efficacius dicere poterat.

18. Postquam Onesimum omni studio Philemoni minus invisum reddere conatus est, post tot supplicationes affectu plenas, quibus cor Philemonis sibi perfecte devinxit, tandem aliquando id attingere audet quod in universo illo negotio maxime omnium odiosum et molestum esse debebat, injuriam quam domino suo intulit servus iste fugitivus, quamque nondum redemerat. Poterat sane Philemon Pauli petitioni respondere, se paratum quidem esse ad bene excipiendum Onesimum, eique condonare velle fugæ culpam; verum æquum et justum esse, ut servus ille vicissim domino reddat quod abstulit, vel compenset quod nocuit. Hanc autem difficultatem Apostolus satis apte præoccupasset, si dixisset bonam esse Onesimo voluntatem debito suo satisfaciendi, sed prorsus ei deficere facultates pecuniarias: neminem porro ad restitutionem impossibilem obligari. At vero cum solertia longe majore respondet, quando se sponsorem interponit, sermone utens qui attico sale et jucunda quadam jocatione est conditus.

Si autem aliquid nocuit tibi: græce ηδικησε, *injuria te affecit* (flandr. *onrecht gedaan*): quomodo, nescimus; forsitan per furtum, ut multi interpretes opinantur. *Si*, ait, quasi velit quoddam dubium movere, tum ut rei gravitatem minuat, tum propter familiarem jocationem quæ sequitur.

Hoc mihi imputa, ελλογα vel ελλογει, *in meas refer rationes:* gall. *mettez-le sur mon compte.* Hic et v. 19 adest gratia spiritualis (χαρις πνευματικη, ait s. Chrys.) et jocus attico lepore affluens.

19. Scripsi, pro *scribo*, præter. epistolare; cf. supra v. 12. Scripsi mea manu : non oportet inde concludere cum plena certitudine totam epistolam manu Pauli exaratam fuisse. Lepide agit Apostolus et gratiose: quid, ait, dubites? Habes chirographum meum, quo me fidejussorem authentice declaro. Verum, recte noverat exiguum plane esse hujus fidejussionis

ego reddam, ut non dicam tibi, graphum: ego rependam quidquid ille debet. Quamvis merito exspectare possim ut illud mihi condones, siquidem præter hujusmodi temporalia, quæ peto, etiam teipsum totum, sc. animam tuam, quam per prædicationem Evangelii a

quod et teipsum mihi debes: damnatione eripui, mihi debes, adeoque vel vitam tuam mihi tradere teneris.

periculum; certe probabile non erat fore ut Philemon debita Onesimi a Paulo exigeret. Absque dubio, ad hunc festivum et dulcem jocum amici dilectissimi, gravitatem suam leni risu demisit Philemon. Animum hilarem atque amœnum magni gentilium Apostoli obiter miremur (cf. Act. Ap. XXVI, 29; vide etiam quæ de Pauli indole notavimus supra in Introd. ad omn. ej. epist. § 1), sanctorumque exempla hac in re, quæ ad vitæ commercium adeo necessaria est, imitemur. — Reddam, *αποτισω*, *rependam.*

Ut non dicam etc. Nova jocatio civilissima et acutissima, quam gallice sic redderem et explicarem: *Si vous ne voulez pas acquitter la dette d'Onésime; si vous prétendez que moi je la paie, nous ferons notre bilan; vous mettrez sur mon compte tout ce que lui vous doit; moi je produirai votre note, et vous serez bien attrapé; car vous me devez, non pas telle et telle somme, mais toute votre fortune et votre personne encore par-dessus le marché. Donnez-lui donc bien vite quittance, afin que de mon côté je vous laisse tranquille, et que je ne vienne pas mettre la main sur vous et sur tout ce que vous possédez.* Notatu dignum est, tali modo proponi hanc jocationem, ut videatur Apostolus veniam petere suæ familiaritatis; nam *ut non dicam tibi,* inquit, non autem: *sed si exigis ut rependam, dicam tibi;* hæc ultima formula minus esset modesta, minusque blanda quam prior, quæ elegantem includit figuram rhetorices, sc. præteritionem.

Teipsum mihi debes, *προσοφειλεις*, *insuper debes*, quod majorem vim habet; debes mihi tantum quantum requiritur ad Onesimi debitum solvendum, et præterea teipsum totum mihi debes. Recogitat sane Philemonis conversionem ad Christum, quam procuravit vel per se, vel per discipulos suos. Verum quidem est s. Paulum eo tempore Colossas nondum venisse, ut liquet ex epist. ad Col. quæ simul cum hac scripta est, sed nihil impedit quominus conjiciamus, Philemonem alio in loco Paulo occurrisse, et ab eo ad fidem adductum fuisse.

20 * ita frater. Ego te fruar in Domino : refice viscera mea in Domino.

[20] Utique, frater, teipsum mihi debes; fac igitur ut dulce emolumentum, quod in Christo jus habeam a te sperandi, obtineam. Plus dicam : refocilla per charitatem vere christianam cor meum pro Onesimo anxium et solicitum.

20. Ita, ναι, confirmantis, non supplicantis, particula: *certe, utique;* confirmat quod modo ait: *teipsum mihi insuper debes.* Ego te fruar, in subjunctivo, non in futuro, ut clare patet ex græco οναιμην. Verbum ονιναμαι, quod alibi non occurrit in N. T., scriptor de industria elegisse videtur, ut elegantem daret paronomasiam cum nomine Ονησιμος; quasi diceret: certe teipsum mihi debes; contingat igitur mihi ut *te* fruar, tamquam *Onesimo meo.* Ονασθαι τινος *frui aliqua re aut persona,* denotat possessionem, et proinde usum, cum adjuncta significatione gaudii seu voluptatis ex possessione vel usu provenientis. Animadverte leporem ac teneritudinem dictionis *te fruar,* pro : a te obtineam id quod jure merito a te expostulo. Adhuc continuatur tenuissima jocatio, quam gallico verborum circuitu exponere juvat: *Avant que vous urgiez les droits que vous avez sur Onésime, et par conséquent sur moi, qui suis son garant, je désire revendiquer le droit que j'ai sur vous. Oh! que je serai heureux de m'emparer de vous! ce sera pour moi une véritable jouissance dans le Seigneur!*

In Domino, lenit quod dixit *te fruar:* id nonnisi christiano modo, tamquam christianus, exoptat.

Refice viscera mea, αναπαυσον (ανα et παυω, *facio requiescere,* germ. *beruhigen*) recrea, refocilla *viscera,* i. e. cor meum (cf. v. 7), quod pro Onesimo anxium est et solicitum. Nolim cum s. Hier. sic explicare : refice Onesimum, qui est viscera mea, quem ut meipsum diligo.

In Domino potius *in Christo* (vera lectio), refer ad *refice,* non ad *viscera mea.* Sensus est : propter Christum ; vel potius *in* notat elementum in quo debet esse constitutus Philemon, quando Pauli petitioni annuit : id faciat ut talis qui per Baptismum Christo est insertus, quatenus in eo vivit, quatenus est christianus, ex affectu vere christiano.

Quanta vis et efficacia in hoc argumento, quod ad finem epistolæ adducit Paulus ! Philemoni, dilecto suo amico et discipulo, exhibet se profundissima cordis anxietate agitatum, adeo ut nullam habeat animi requiem, quamdiu sors Onesimi incerta manet. Quis non moveretur miseratione, cum recogitaret intimam et summam sollicitudinem hominis ætate provecti, vinculis

21 * Confidens in obedientia tua scripsi tibi : sciens quoniam et super id, quod dico, facies.
22 * Simul autem et para mihi hospitium : nam spero per orationes vestras donari me vobis.

[21] Tua confisus obedientia scribo tibi, ac plene persuasus sum id quod expostulo, imo vero plus quam peto, a te factum iri. [22] Et, dum precibus meis annuis, etiam velis mihi hospitium parare ; nam spero fore ut Deus orationibus vestris inductus, me a vinculis liberet, mihique det occasionem vos invisendi.

onusti, suppliciter deprecantis, imo vero amici singularis, seu potius patris amantissimi, Christi Apostoli ? *Quem lapidem ista non emollirent ?* dicemus cum s. Chrysostomo.

21. Obedientia. Quamvis v. 8 dixerit se nolle imperare, sed unice ad supplicationes velle recurrere, attamen hic auctoritatem suam subobscure interponit ; verum maxima utitur cautione, ne Philemonem offendat. Ita scribit ut in laudem ejus insignem cedant verba : Confido plane, ait, me impetraturum id quod rogo, eo vel magis quod jus habeam id tibi præcipiendi, et sciam quod, si præciperem, mihi obedires ; et tanta quidem est fiducia mea, ut certus sim plus etiam quam petam a te præstitum iri. Spero fore ut non tantum illum bene excipias, eique debitum condones, sed et libertatem aliaque beneficia ei concedas.

22. Simul (ac Onesimo id præstas quod exopto) para mihi hospitium. Hoc adjicit, non quod magno cum apparatu excipiendus sit : " Quid enim, " ait s. Chrys., pro eo parandum erat, qui pane et vili pulmento contentus " erat ; " sed pro novo argumento, ut Philemon filiali quodam timore moveatur, prævidens fore ut, si jussa non perficiat, reprehensionem incurrat. Ita Estius ; verum probabilior videtur sententia cl. Bisping, qui non ad terrorem, sed ad incitamentum verba adjecta esse opinatur : Philemoni enim honorificum erat hospitio excipere Paulum ; neque honorificum tantum, sed etiam jucundissimum, adeo ut charitatis et grati animi affectus, potius quam metus inspiretur. Nos cum s. Chrys. utrumque sensum conjungimus.

Spero etc. Igitur, quando hæc scripsit, spem habebat non levem suæ liberationis e carcere (sic etiam Phil. I, 25 et II, 24), et consilium, quod antea inierat Roma in Hispaniam proficiscendi (Rom. XV, 24, 28), jam mutaverat in hunc modum, ut voluerit primum in Asiam-Minorem pergere (et etiam in Macedoniam, quod colligitur ex Phil. II, 24).

Spero per orationes vestras donari me vobis : spero fore ut Deus, precibus vestris annuens, me e vinculis liberet, et occasionem det veniendi ad vos. *Vestras,* in plurali, quia omnes cogitat personas de quibus locutus est

23 * Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu,
24 * Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei.
25 * Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

[23] Salutat te Epaphras, qui mecum propter Christum in carcere detinetur;
[24] Marcus etiam, Aristarchus, Demas, et Lucas, adjutores mei in re evangelica, salutant te.
[25] Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro! Fiat!

Synopsis epistolii hujus.

S. Paulus vult obtinere ut Philemon servum fugitivum, qui Romæ ab Apostolo ad christianam fidem conversus fuerat, et ad dominum Colossas nunc remittitur, bene excipiat; ei culpam condonet, debita ejus deleat, imo vero libertatem aliaque beneficia ipsi largiatur. Quod quidem ut persuadeat, maxima cum solertia adducit omnes rationes, quæ natæ præsertim erant ejus animum commovere. Eas autem ad quatuor præcipua rerum capita revocamus.

1° *Quis petit?*

a/ *Paulus*, v. 1, magnus ille Apostolus, quem adeo venerabatur Philemon; b/ et Paulus quidem *senex* v. 9, adeoque cui durum esset aliquid denegare; c/ non tantum senex, sed *vinctus*, v. 1, 9, 13,

v. 1-3. Spes illa eum non frustrata est (contra s. Thom.), quum probabilius sit epistolam in primis vinculis scriptam fuisse.

Donari. Adventum suum tamquam insignem Dei gratiam exhibet, quia novit se Dei apostolum, gratiarum dispensatorem. In verbo *donari* latet, secundum quosdam interpretes, hæc indicatio : Paulum ea tempestate nondum Colossas ivisse; secus, aiunt, dixisset *reddi*, loco *donari*.

23. Sicut Timotheum initio epistolæ, ita nunc in fine plures alios sibi consociat deprecatores, inter quos eminet sane Epaphras, Colossensium apostolus (de quo sæpe in epist. ad Col., v. gr. I, 7 et IV, 12). Eædem nominantur personæ ac Col. IV, 10-14, nisi quod omittatur unus, Jesus Justus.

homo miser et afflictus, quem oportet consolari; d/ imo *vinctus Jesu Christi,* v. 1, 9, catenis onustus propter sacram illam causam propter quam vellet et ipse Philemon mortem subire; e/ præterea, quod magis est, frater, amicus, collega, socius, qui Philemonem multopere diligit v. 1, sine intermissione pro ipso orat v. 4, gaudet ob ejus virtutes et bona opera v. 5-7, atque optat eo frui v. 20. f/ Et, quod omnium maximum est, supplex rogat ille qui posset rem præcipere v. 8, cui Philemon deberet obedire v. 21, saltem ex debito grati animi v. 19. Tandem g/ cum ipso petunt Timotheus v. 1, Epaphras aliique v. 23 et 24; h/ et sane preces adjungent etiam Appia, uxor Philemonis, Archippus (filius ?), et omnes christiani qui in domum ejus solent convenire, v. 2.

2° *A quo petit ?*

a/ A Philemone petit, amico dilecto v. 1, apud quem mox hospitabitur v. 22; b/ a viro christiano, qui novit se ad bonum præstandum lege Christi obligatum esse; c/ imo a christiano ferventi, fide et charitate pleno, v. 5; d/ qui hujusmodi opera charitatis et beneficentiæ jam sæpe perfecit erga alios christianos, minus commendatos, v. 7; e/ qui Paulo adstringitur duplici præsertim vinculo, subjectionis v. 8, et beneficiorum acceptorum v. 19.

3° *Quid petit ?*

Petit ut bene suscipiatur Onesimus, qui est a/ Pauli minister, et fidelissimus quidem, quem vellet Apostolus secum retinere; imo minister in vinculis, quod generosum ejus ostendit animum v. 13. b/ Idem ille plus quam Pauli famulus est, nimirum, filius ejus spiritualis v. 10; c/ et filius quidem carissimus, utpote in vinculis genitus v. 10, quem Paulus amat ut seipsum, ut cor suum, ut viscera sua v. 12; pro quo ex intimo corde anxius est v. 20. d/ Præterea, Onesimus ille jam totus est immutatus in melius, factus est christianus, adeoque frater Philemonis amantissimus v. 16, cui deinceps longe utilior erit v. 11; cum ipso enim per totam æternitatem

christiana charitate poterit conjungi; qua in re oportet divinæ Providentiæ ordinationem agnoscere : v. 15.

Quid adhuc postulat? Ut debitum Onesimo remittatur : id autem eo facilius fiet, quod Paulus se fidejussorem authentice testetur, v. 18, 19. Sequitur inde, rem, quam petit, non adeo duram esse aut iniquam; neque Philemoni difficilem habendam esse. Sed etiamsi molestior esset, illam perficere deberet, quia bonum opus est in Christo, quo palam demonstrabit fidem suam, v. 6, opusque valde meritorium, utpote plene voluntarium, v. 14.

4° *Quomodo petit?*

a/ Cum humilitate v. 8, 9, b/ charitate eximia, c/ modestia v. 14, d/ magna sermonis amœnitate v. 18-20; e/ fiducia summa v. 21; f/ instantia (*obsecro, obsecro, suscipe, suscipe, te fruar, me refice*); g/ ac tandem incredibili solertia et ingenii acumine: primum captans benevolentiam, per laudem præsertim, deinde se in cor paulatim insinuans, efficaciter ingerens postulationem suam, omnes beneficii impetrandi rationes adducens, scite eas disponens cum pulchra gradatione, vel minimam in verbis offensionem et duritiem fugiens, etc.

Si nunc quatuor illa argumentorum genera conjungamus (quod utiliter fit, ut per synthesim iterum ædificetur quod per analysim fuit in partes resolutum), et animadvertamus 1° quam dignus et carus sit ille qui supplicat, 2° quam bonus et obsequiosus ille a quo postulat, 3° quam æquum et meritorium sit petitionis objectum, ac tandem 4° quam blanda et instans sit deprecationis forma : absque ulla mentis hæsitatione concludemus, in his brevissimis literis haberi perfectissimum generis epistolaris exemplar, necnon Paulini ingenii et acuminis documentum luculentissimum.

EPISTOLA

AD HEBRÆOS.

Bonorum spiritualium *imago* fuit in vetere Testamento, *veritas* autem seu realitas est in novo Testamento, *perfectio* demum erit in cœlesti gloria.

(Sententia fundamentalis epist. ad Hebr.).

INTRODUCTIO.

Quæstiones in hac introductione tractandæ.

Ante omnia inquirere oportet utrum auctor hujus epistolæ, quicumque sit (nam de auctore diu multumque disputatum fuit, et hodiedum perseverat controversia), fuerit divinitus inspiratus; seu utrum epistola divinam habeat auctoritatem, adeoque in canonem librorum sacrorum merito relata fuerit.

Postquam autem, in paragrapho *primo*, certo comperimus epistolam ad s. Scripturam pertinere, ejusque explicationem ad studia nostra exegetica referendam esse, primum investigandum est quis sit auctor ille θεοπνευστος: quod fiet in paragrapho *secundo*.

Deinde in paragrapho *tertio* videbimus quibus personis scripserit auctor; aliis verbis, quinam intelligendi sint *Hebræi* isti ad quos missa fuerit epistola: etenim, quando agitur de elucidandis literis, necesse est ut sciamus quis et ad quos scripserit.

Utile etiam est ut cognoscamus (atque hæc erit materia paragraphi *quarti*) qua lingua usus sit auctor, unde discernamus quis sit textus ejus verus, et primigenius: ad hunc enim textum, si adhuc supersit, in explicando auctoris sensu ubique recurrere debemus.

Temporis et loci adjuncta, in quibus versatur scriptor, stylum ejus sæpe immutant, atque materiæ delectum ad certos limites determinant: ideo in paragrapho *quinto* agendum est de tempore et loco scriptionis.

Hæc omnia, quæ hactenus enumeravimus, *extrinseca* sunt, et animum ad epistolam intelligendam nonnisi a longe præparant: nunc ad ea transimus, quæ epistolæ *intrinseca* sunt, eamque ipsam attingunt, et ad ejus interpretationem directe seu proxime conducunt. Et primum quidem, dicendum est de occasione qua ad scribendum motus est auctor, et de fine quem per opus suum obtinere intendit: eritque paragraphus *sextus*.

In paragrapho autem *septimo*, ostendemus quo modo finem illum prosequatur, seu quid scribat ut id quod sibi proposuit reipsa obtineat; aliis verbis, epistolæ argumentum distincte indicare conabimur.

Ut vero argumentum illud clarius perspiciatur, atque facilius memoriæ mandetur, multum juvabit, opinor ego, illud in sectiones quasdam distribuere, et analysim seu divisionem epistolæ tradere: atque hoc erit objectum paragraphi *octavi*.

Tandem, in paragrapho *nono*, ex dato argumento recte et legitime concludere licebit, quanti momenti, quantæque utilitatis sit epistola: quæ sane consideratio extrinseca id præsertim efficiet, ut majorem diligentiam huic studio impendant omnes.

Tandem in § 10, per modum *appendicis*, externa quædam indicabimus subsidia, quibus ad profundiorem epistolæ ejusque commentarii intelligentiam tuto perveniatur; ideo auctores præsertim recentissimos, qui epistolam ad Hebræos interpretati sunt, breviter enumerabimus.

Sequitur, pro more nostro, tabula synoptica.

§ 1. De divina epistolæ inspiratione.

Dogma catholicum est, a concilio Tridentino, sess. IV, definitum, et nuper in conc. Vatic. (De Revel., can. 4) renovatum, epistolam ad Hebræos, sicut omnes alios Vulgatæ nostræ libros, divinitus esse inspiratam. Dogmata autem a conciliis Œcumenicis legitimis definita, atque anathemate sancita, infallibiliter certa sunt, quum fieri nequeat ut Ecclesia Christi vera, quæ Catholica-Romana est, in rebus fidei et morum, a veritate aberret. Ergo ulteriore demon-

stratione non indiget, stricte loquendo, divina epistolæ auctoritas. Possumus, ut venuste ait s. Hier. contra Luciferian., *omnes propositionum* vel objectionum *rivulos uno Ecclesiæ sole siccare*. Verum, quum a nobis exigatur ut fidei nostræ rationem reddere possimus (cf. 1 Petr. III, 15), nostri muneris est paucis indicare quibus præsertim fundamentis illud Ecclesiæ decretum nitatur, aut quibus argumentis demonstretur.

I. Jam vero, Ecclesiæ definitio primarie nititur argumentis *externis*, quæ ex auctoritate traditionis, et ex testimoniis positivis (1) desumuntur.

Et re quidem vera, in ecclesia græca et orientali, quamvis aliqui, sed pauci, dubitarint utrum ab ipso s. Paulo conscripta esset epistola, omnes tamen, generatim loquendo, admiserunt eam divinitus inspiratam esse, ideoque in canonem Librorum Sacrorum eamdem retulerunt. Id testantur antiquissimi ecclesiarum catalogi seu canones sacri, concilia particularia, codices manuscripti vetustissimi, etiam codex Sinaiticus nuper inventus, versiones quoque priorum Ecclesiæ seculorum, v. gr. versio syriaca Peschito, versiones superioris Ægypti etc., præterea ss. Patres et scriptores ecclesiastici, tandem hæreticorum sectæ diversissimæ, si Arianos excipias, qui epistolam e canone sacro expunxerunt propterea quod ipsorum erroribus nimis aperte et directe repugnaret.

In ecclesia vero latina, per quatuor ferme priora secula, vel dubia mansit divina epistolæ auctoritas, vel plane rejecta fuit : sic v. gr. in canone, quem Muratorius edidit, quique seculo II confectus videtur, non recensetur hæc epistola. Pauci etiam Latinorum, ante P. Lombardum et s. Thomam Aquinatem, in eam commentarios scripserunt; spurii enim sunt, ut infra, § 10, dicemus, commentarii qui s. Anselmo aut aliis antiquioribus (v. gr. Ambrosiastro, auctori 4i sec., teste Bisp.) aliquando fuerunt attributi. Inde tamen everti nequit traditio ecclesiæ græcæ et orientalis ; etenim

---

(1) Testimonia antiquitatis fusius pleniusque reperies apud cl. Drach, eruditiss. Lamy etc.

1° Per illud temporis spatium non omnes Latini epistolam tamquam opus humanum habuerunt; multi enim de ejus divinitate tantummodo *dubitarunt;* imo vero, non desunt qui sacram ejus inspirationem professi sint. Sic s. Clemens Romanus in ep. ad Cor. (ad finem sec. I), non solum integrum fere caput primum epistolæ, sed et alia loca ita affert, ut certum sit divinam epistolæ originem, quamvis auctorem non nominet, ab eo agnitam fuisse. Præterea, teste Eusebio (*Hist. Eccl.* V, 26), s. Irenæus, in opere nunc deperdito, locum e nostra epistola tamquam sacrum allegavit. Idem in libro *Contra hæreses* ad eam interdum alludere videtur, quamvis eam non nominet (cf. citat. apud Drach).

2° Dari potest ratio probabilis, quare in ecclesia latina aliquamdiu admissa non fuerit divina epistolæ auctoritas. Multa innuunt, ut dicemus in paragrapho sequenti, epistolam a s. Clemente Romano in eam formam redactam fuisse quam nunc habet; ipse autem eam statim in Orientem misit, et ideo forsitan omisit eam in canonem sacrum ecclesiæ Romanæ referre: unde postmodum dubium circa ejusdem canonicitatem exortum sit. Dubium autem illud crevit ex eo quod Novatiani et Montanistæ quadam epistolæ particula (nimirum cap. VI, 4-8) abuterentur ad errorem suum, de impossibilitate obtinendi remissionem quorumdam peccatorum, maxime apostaseos a fide, comprobandum et propagandum.

3° Id etiam observatu dignum est, epistolam nostram e canone rejectam fuisse, non propter testimonia quædam positiva, quibus traditio ecclesiæ græcæ et orientalis enervaretur, sed propter rationes internas, v. gr. quia nomen auctoris epistolæ præfixum non erat; vel quia stylus admodum diversus videbatur a scribendi ratione s. Pauli, cui epistolam tribuebant ii qui ejus canonicitatem admittebant; vel quia erroribus quorumdam hæreticorum favere credebatur, etc.

4° Tandem, a tempore concilii Nicæni primi, dubium paulatim evanuit, adeo ut ad finem seculi IV jam communiter etiam a Latinis agnita fuerit; nimirum, postquam a conciliis Hipponensi (a. 393) et Carthaginiensi (a. 397) in canonem sacrum relata fuit. Exempli

gratia, conc. Romanum sub Gelasio Papa versus a. 494 ([1]), ss. Innoc. I, Aug. (De doctr. Christ. 2, 8, 13), Avitus, Isidorus etc. auctoritatem divinam affirmant. S. Hieronymus etiam eam profitetur, quamvis alios non cogat ad id faciendum : *Si quis eam recipit*, ait frequenter. Deinceps vero, per duodecim secula, in universa Ecclesia, ab omnibus admissa fuit, donec seculo XVI aliqui catholici, ante concilium Tridentinum scribentes, v. gr. Cajetanus, et multi e Pseudo-Reformatoribus, quos secuti et prætergressi sunt Rationalistæ recentiores, eam rursum repudiarunt.

II. Cum argumentis illis *externis*, quorum vim perficere oportet per auctoritatem decretoriam Ecclesiæ (hæc enim sola cum certitudine decernere potest utrum scriptum aliquod inter sacros libros admittendum sit, adeoque sola legitime judicat de testimoniis historicis quibus nititur factum divinæ inspirationis), plane concordant rationes *internæ*, quæ ex ipsa epistola, ex ejus doctrinis, sententiis etc., desumuntur. Omnia enim et singula, quæ in epistola ad Hebræos leguntur, cum indole et proprietatibus divinæ inspirationis adeo conveniunt, ut nihil, ne minimum quid, allegari possit quod divinæ origini certo repugnet.

a/ Rationalistæ quidem citant præsertim cap. IX, 1-4, et contendunt plurimos ibi reperiri errores historicos. Huic autem difficultati in annotationibus respondebimus.

b/ Cajetanus vero asseruit, cap. VI, 4, X, 26 et XII, 17 quædam peccata dici irremissibilia : quod pugnat cum doctrina Christi et Ecclesiæ. Solutionem vide in comm. nostro.

Ex dictis concludimus auctorem epistolæ, quicumque sit, divinitus inspiratum fuisse. Nunc autem, probabimus auctorem illum alium non esse quam ipsum s. Paulum, saltem quod ad rerum substantiam pertinet. Atque ex illa demonstratione confirmabitur quod in hoc paragrapho 1 docuimus : hujus enim epistolæ divini-

---

([1]) Plures opinantur catalogum librorum canonicorum, qui *concilio Romano sub Gelasio* adscribitur, non esse authenticum, sed postea adjectum fuisse. Cf. Drach p. 684, nota marg. (ed. 1871).

tatem nemo umquam rejecit, nisi simul negaverit eam a s. Paulo compositam fuisse.

§ 2. De auctore.

Ex eo quod epistola sit divinitus inspirata, non statim sequitur eam Paulo adscribendam esse: fieri posset ut auctor nobis esset ignotus, quemadmodum alii plures habentur libri sacri quorum nescitur auctor. Quæstio autem hæc multum olim, per quatuor priora Ecclesiæ secula, præsertim in ecclesia latina, disputata fuit, et hodiedum manet controversia. Sententiam nostram in septem propositionibus sequentibus breviter exponemus.

Propositio I.

De fide, stricte loquendo, non est s. Paulum esse epistolæ auctorem; adeo ut certo hæreticus habendus non sit qui id negare præsumat.

Etenim 1° definitio concilii Tridentini in canonicitatem epistolæ proprie et directe cadit; dicit quidem divinitus inspiratas esse *quatuordecim s. Pauli epistolas,* atque inter eas enumerat epistolam ad Hebræos; verum ita loquitur occasione decreti de divinitate illarum epistolarum: quemadmodum decernit sacrum esse *Psalterium Davidicum* 150 *Psalmorum,* quin definire velit omnes et singulos Psalmos ab ipso Davide compositos fuisse; quare plerique interpretes catholici contendunt, absque ulla hæreseos suspicione, plures Psalmos Davidi adscribendos non esse. Quod ut melius intelligatur, notamus cum Estio (*Prol. in ep. h.*): *In conciliis multa dici ex occasione, quæ non parem cum iis quæ definiuntur auctoritatem habent.* Et re quidem vera, secundum doctrinam Melch. Cani (*Loc. theol.* V, 5, 4), nonnisi ea stricte ad fidem pertinent, quæ ex professo, seu consulto et ex principali instituto, tamquam divinitus revelata seu ad fidem pertinentia definiuntur. Atqui, in casu nostro Tridentina synodus intendit definire quatuordecim Pauli epistolas canonicas esse; non vero decernere voluit ne unam quidem ex illis alii auctori quam Paulo, sub pœna hæreseos incurrendæ, adscribi posse. Attamen sententia

concilii, iis in rebus quæ cum definitionibus fidei connectuntur, magnam habet auctoritatem : adeo ut temerarium esset epistolam ad Hebræos a Paulo abjudicare : quemadmodum intolerabilis est plane sententia eorum qui asserunt Psalterium non esse Davidicum, i. e. majorem seu potiorem Psalmorum partem Davidi tribuendam non esse.

2° Sententia nostra in hac quæstione solide probatur ab Estio, *Prol. in ep. ad Hebr., q.* 2 ; propugnatur etiam a D. Glaire, *Introd.*, ubi de auctore epist. huj., et a D. Valroger, *Introd.* ibid.

Propositio II.

Certum est, et fidei proximum, quamvis non sit fidei dogma proprie dictum, Apostolum Paulum esse epistolæ auctorem : si non quoad formam quam nunc habet, saltem quoad rerum in ea contentarum substantiam : idque tot et tantis argumentis demonstratur, ut plena persuasio inde oriatur, et temerarium foret illud negare.

Et re quidem vera, epistolam s. Paulo adscribendam esse, probatur

1° Auctoritate testimoniorum ; namque

a/ Illud aperte agnitum fuit in ecclesia Alexandrina sec. II, et a sec. III idem admittunt Patres græci et orientales fere omnes ; iisque concinunt nonnulli antiquissimi codices unciales, et versiones vetustissimæ, in quibus epistola ad Hebr. inter cæteras Pauli epistolas reperitur : sic codices ABCH inter 2 Thess. et 1 Tim. eam ponunt.

b/ Eamdem sententiam tenent nonnulli ex Patribus Latinis ; etenim, quamvis plurimi ex antiquioribus id non admittant, aut de eo dubitent, ut Caius presb. Romanus sub fin. sec. 2, qui recenset solummodo tredecim Pauli epistolas, omissa illa ad Hebræos ; quamvis etiam s. Cypr. de illa sileat ; Tertullianus autem eam Barnabæ tribuat (De pudic. 20), etc. : quidam tamen e recentioribus id affirmant, v. gr. s. Hilarius, Optatus, ss. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus (hi duo ultimi aliquam dubitationem adhuc ostendunt), et fere omnes qui post illos scripserunt.

c/ Quibus addere oportet concilia plurima: Laodicenum, Carthaginiense II [1], Romanum sub Gelasio Papa [2], Florentinum et Tridentinum.

d/ Tandem, id confirmat diutissimus Ecclesiæ usus; etenim a sec. V, semper et ubique lectiones sub nomine Pauli ex hac epistola recitatæ fuerunt in Liturgia. Primi, qui dubia antiqua resuscitarunt, fuerunt Cajetanus et Erasmus, quibus prompto animo acquieverunt Luther., Calvin., Beza, etc.

Testimonium autem, quod aliqui ex 2 Petr. III, 15 desumunt, ubi s. Petrus Judæo-christianis in memoriam revocat quid s. Paulus eis scripserit, nimirum, ut putant, in epistola ad Hebræos, adducere nolim. Nam argumentum, quod ex illo loco eruitur, non plane firmum atque convincens est: quod enim dicit s. Petrus non ad literam reperitur in ep. ad Hebræos, quoad sensum vero etiam in aliis epistolis legitur; deinde Judæo-christiani, quos alloquitur Apostolorum princeps, sunt ex Asia-Minore, sc. e Ponto, Galatia, Cappadocia, etc.; ii vero ad quos s. Paulus scripsit sunt ex Palæstina, ut dicemus infra, § 3.

Sanctum autem Jacobum II, 25 respexisse ad Hebr. XI, 31, conjectura est satis gratuita.

2° Probatur argumentis *internis*, quæ ex epistolæ doctrina et ex genere tractationis ibi adhibitæ, hauriuntur. Accipe sequentia:

a/ Doctrinæ et sententiæ sunt vere Paulinæ, quod testatur Origenes: *Sententiæ*, ait (ap. Euseb.), *sunt Pauli: quis autem scripserit epistolam, Deus scit.* Plane concordant, imo vero multum similitudinis habent, cum iis quæ Apostolus in aliis epistolis docet: et, quod majus est, plurima sunt quæ nonnisi apud s. Paulum inveniuntur. Pauca trademus exempla. Christus *splendor*

---

[1] Notatu dignum est, ut animadvertit Estius (in prol.), in can. 4 illius concilii, post traditum indicem librorum canonicorum, epistolam ad Hebræos seorsum nominari, hoc modo: « Pauli Apostoli epistolæ tredecim; ejusdem ad Hebræos una. » Unde colligi posse videtur, hanc epistolam non cum eadem certitudine ac tredecim alias s. Paulo adscribi.

[2] Aliqui dubitant de authentia catalogi ibi traditi, ut jam monui supra.

gloriæ, et figura substantiæ Dei Patris dicitur tantum Hebr. I, 3, et 2 Cor. IV, 4, Col. I, 15, 16. Deinde, Christum esse mediatorem Deum inter et homines, nostrumque vices-gerentem apud Deum Patrem, habetur Hebr. VII, 25 et Rom. VIII, 34. Eumdem Christum sedere a dextris Patris donec omnes potestates adversas devicerit, traditur Hebr. X, 12, 13, et 1 Cor. XV, 25. Doctrina quoque de mutua necessitudine, quæ inter Testamentum vetus et novum intercedit, juxta quam ad invicem referuntur quemadmodum *caro* ad *spiritum,* vel *umbra* ad *corpus,* occurrit Hebr. VII, 16, VIII, 5, IX, 9 sqq., X, 1, et Rom. II, 29, 2 Cor. III, 6, 7, Gal. III, 3, 24, IV, 3, 9. Atqui variæ illa sententiæ, quæ in exemplum adduximus, nonnisi apud Paulum iu eadem forma reperiuntur. Quamobrem ipsemet Erasmus, etsi epistolam Paulo deneget, fatetur eam *ad spiritum et pectus Paulinum vehementer accedere.*

b/ Quod autem spectat ad *modum tractandi* seu exponendi doctrinas, etiam multum similitudinis cum aliis epistolis Paulinis habet. Ex. gr. typica docendi ratio, quæ tam frequens est in hac epistola (et ideo frequentior quod ad Judæo-christianos typis seu figuris assuetos dirigatur), Paulo omnino familiaris est, et excepto loco 1 Petr. III, 21 in novo Testamento nusquam invenitur.

c/ Favet aliquando etiam ipsamet *scribendi* ratio, quamvis generatim loquendo hæc epistola quoad formam et stylum a cæteris s. Pauli literis admodum diversa sit in multis. Etenim, nonnullæ occurrunt formulæ, phrases, et imagines, quæ Paulo sunt familiares et peculiares : sic dictio Hebr. VIII, 5 *umbra rerum cœlestium,* et X, 1 *umbra futurorum bonorum* semel reperitur alibi in novo Testamento, nimirum Col. II, 17 *umbra futurorum.* — Scribendi ratio, qua utitur auctor epistolæ ad Hebræos, cum typos ex vetere Testamento interpretatur (ut cap. VII, 1-3 de Melchisedech typo Christi, et IX, 24), eadem plane est qua s. Paulus figuras explicare solet, v. gr. 1 Cor. X, 1-6, Rom. V, 14. — Hebr. II, 2 lex Mosaica dicitur data *per angelos,* ut Gal. III, 19. — Hebr. II, 10 de Deo ait : *propter quem omnia, et per quem omnia;* similiter Rom. XI, 36 *ex ipso, et per ipsum, et in ipsum* (secundum græc.) *sunt omnia.*

— Verbum Dei *gladius* vocatur Hebr. IV, 12, et pariter Eph. VI, 17. — Doctrina elementaria dicitur *lac*, profundior autem *solidus cibus*, Hebr. V, 13 sicut 1 Cor. III, 2. — Infirmi in fide vocantur νηπιοι *parvuli*, Hebr. V, 13 et 1 Cor. III, 1; firmiores autem appellantur τελειοι *perfecti*, Hebr. V, 14 et 1 Cor. XIV, 20, etc.

d/ Paulum esse auctorem innuit mentio specialis quæ fit de Timotheo in fine epistolæ (cap. XIII, 24; coll. 1 Thess. III, 2, 6, Philem. 1), quæque talis est ut nonnisi necessitudini, inter Timotheum et Paulum existenti, plene conveniens sit. Cætera etiam, quæ a cap. XIII, 18 usque ad finem leguntur, nostræ favent sententiæ, quum manifesto similia sint iis quæ in aliis epistolis Paulinis occurrunt.

Objectiones contra propositionem II.

Objicitur contra argumenta *externa*. In quatuor prioribus Ecclesiæ seculis, multi scriptores, iique doctissimi, atque ad traditionem noscendam aptissimi, plurimæ quoque ecclesiæ, eæque in servandis traditionibus fidelissimæ, Paulum ut scriptorem epistolæ ad Hebræos non agnoverunt.

Resp. Longe plures censuerunt Paulum esse auctorem, saltem hoc sensu quod substantia doctrinæ ab eo veniat. Deinde, rationes ob quas aliqui dubitarunt de auctore, aut negarunt esse Paulum, minus firmæ sunt quam rationes, quæ a patronis contrariæ sententiæ allegantur.

Objicitur contra argumenta *interna*.

1° Cæteræ epistolæ Paulinæ nomen ejus, cum salutatione et inscriptione ad determinatos quosdam lectores, præfixum habent: in hac autem sola neque nomen additur neque salutatio; sola caret inscriptione; sola est quæ, absque introductione simili iis quæ lectorem in aliis epistolis ad materiam tractandam præparant, statim rem ipsam aggreditur per procemium aliquod quod cum exordio Evangelii s. Joannis similitudinem habet. In hoc autem procemio argumentum universæ epistolæ abrupte proponitur, et deinde incipit argumenti pertractatio, eaque per modum *homiliæ*

continuatur, usquedum in fine nonnulla dicantur quæ generi epistolari propria sint.

2° Stylus et docendi ratio longe distant a cæteris Pauli literis; oratio enim in ep. ad Hebr. admodum gravior, copiosior, et ornatior est, fatentibus omnibus.

3° Auctor se eis annumerat qui doctrinam fidei non ab ipso Christo, sed a discipulis ejus didicerunt, Hebr. II, 3: quod repugnat aliis Pauli epistolis, v. gr. Gal. I, 11 sqq., II, 6, 2 Cor. XI, 5, XII, 1-5, ubi Apostolus aperte affirmat doctrinam suam immediate a Christo sibi traditam fuisse.

4° Verba Ps. II *Ego hodie genui te,* de æterna Filii generatione Hebr. I, 5 explicantur, adeoque aliter quam ab ipso Paulo Act. Ap. XIII, 33, qui ad temporalem Christi a morte resuscitationem ea refert.

Resp. ad primam objectionem. S. Paulus nomen suum non apposuit, vel (*prima ratio*) quia tractatum composuit potius quam epistolam stricte dictam; quod quidem ipsemet significat, quum scriptum suum vocet (Hebr. XIII, 23) λογον της παρακλησεως, *sermonem adhortatorium,* et ibidem dicat se paucis scripsisse, quod sane de epistola proprie dicta non affirmasset. Vel (*altera ratio*) quia nomen ejus Hebræis invisum erat, quum multi ex eis ipsum tamquam præcipuum legis Mosaicæ adversarium haberent. Porro, quod attinet ad procemium, et ad modum scribendi homiliticum, differentia explicatur, vel per diversitatem argumenti et scopi, vel oritur ex eo quod non ipse Paulus formam epistolæ elaboraverit, ut statim dicemus.

Resp. ad secundam objectionem. Scribendi et docendi diversitas explicari potest absque eo quod s. Paulum epistolæ auctorem esse negemus: nimirum dicendo, rerum substantiam ipsi adscribendam esse, formam vero styli et compositionem phraseon ab uno alterove ex discipulis ejus provenire: sive Apostolus hebraice scripserit, et opus alicui dederit ut in græcam linguam libere verteretur, sive materiam et ordinem sententiarum cuidam e discipulis indicaverit, qui deinde ipsum tractatum elaboravit. In utroque enim casu,

manet epistola vere Paulina, quamvis Paulinus non sit stylus et scribendi modus.

Resp. ad tertiam objectionem. Apostolus loquitur *communicative*, ut alibi facit, v. gr. Rom. XIII, 11-14, XII, 6 sqq.; eo vel magis quod etiam ipse multa narrari audiverit ab iis qui cum Jesu vixerant: confirmatio enim doctrinæ christianæ, a testibus oculatis facta, institutionem immediate divinam haudquaquam excludit.

Resp. ad quartam objectionem. Idem sensus est in utroque loco, ut videre licet in commentariis nostris Psalmorum, et Actuum Ap. et epistolæ hujus. Illa enim Psalmi II verba significant: Messiam, a Deo Patre ad salutem hominum mittendum, verum Dei Filium futurum esse.

Propositio III.

Incertum est utrum s. Paulus auctor sit epistolæ quod spectat ad formam ejus externam; aliis verbis, incertum est utrum ipse epistolam, qualis nunc est, vel propria manu exaraverit, vel cuidam amanuensi de verbo ad verbum dictaverit.

Id enim non requiritur ut quis verus epistolæ auctor dici possit. Deinde, jam animadvertimus magnam dari scribendi differentiam inter hanc epistolam et alias s. Pauli literas. Tandem, multi ss. Patres et antiqui scriptores, quamquam Paulum ut auctorem habent, cuidam tamen alii formam compositionis tribuunt.

Propositio IV.

Rationes, quæ adducuntur ad hoc ut probetur s. Paulum non scripsisse epistolam in ea forma, quam nunc præ se fert, quamquam satis magnæ sunt et vere plausibiles, non tamen hanc thesim certo demonstrant.

Etenim: a/ res est satis difficilis argumenta certa pro auctore aut contra eum e solo stylo desumere: id enim plus minusve pendet a sensu uniuscujusque literario, et hunc sensum facile in alterutram partem inflectit præjudicata opinio; unde fit ut in hujusmodi deductionibus viri etiam acutissimi et exercitatissimi sæpissime a vero aberrent. Nam b/ peculiaria rerum temporumque adjuncta,

in quibus versatur scriptor, scopus ejus et materia, atque modus quem sequi vult in tractando argumento, etc., stylum ejus multopere immutare possunt. c/ Quod autem attinet ad sententiam veterum, plures etiam sunt qui simpliciter censent s. Paulum hujus epistolæ, quemadmodum tredecim aliarum epistolarum, auctorem et compositorem esse.

Propositio V.

Argumentis vero utriusque sententiæ mature perpensis, probabilius nobis videtur (cum Estio, Beel., Güntn., Bisp. qui citat Feilmoser et Lutterbeck), *epistolam, uti nunc legitur in græco, formam suæ compositionis* (gall. sa rédaction) *non ab ipso s. Paulo, sed a quodam discipulorum ejus, accepisse.*

Hæc est sententia Origenis, viri doctissimi, qui quæstionem diligenter examinavit : « *Ego vero,* inquit (ap. Eus. Hist. eccl. VI, 25), *ita censeo : sententias quidem ipsas Apostoli esse, dictionem autem et compositionem verborum esse alterius cujusdam, qui dicta Apostoli commemorare, et quasi in commentarios redigere voluerit ea quæ a magistro audiverat.* » Unum tantum monemus : Origenem, ut nobis videtur, Paulo auctori non satis tribuisse : igitur, si Origenis conjecturam sequi velimus, dicemus potius : epistolam nomine et auctoritate s. Pauli exaratam fuisse a quodam discipulorum ejus, qui distincte exposuerit omnia quæ scribenda accepisset; adeo quidem ut *subjectum sive materia totius epistolæ,* ut ait Estius, *et simul etiam ordo rerum* a s. Paulo fuerint subministrata.

In confirmationem hujus opinionis sequentia proponimus argumenta.

1⁰ Elocutio manifesto differt ab aliis epistolis Paulinis : et re quidem vera

a/ Totum dicendi genus magis tranquillum, temperatum et compositum est; sermo fere semper fusus est atque tractus, et cum lenitate quadam æquabili profluens, etsi multa habeat quibus lectores admoneantur et corrigantur : alibi autem observatur sæpe *pathos* Paulinum in oppugnandis adversariis.

b/ Sermo græcus purior et castigatior est, atque adeo ingenium linguæ græcæ plane sapit; dum alibi apud Apostolum frequentiores occurrant hebraismi.

c/ Major etiam reperitur dicendi subtilitas, elegantia, et ornatus orationis; imo vero periodi longæ atque regulares, studiose compositæ, passim occurrunt. Alibi vero s. Paulus præ idearum æstu formam negligit, absque nexu aut transitione phrases phrasibus adjungit; sæpe intermiscet sententias a contextu paululum recedentes et quasi per parenthesim adjectas; quin imo, constructionibus anacoluthicis et irregularibus delectari videtur: ad Hebræos vero regulari verborum serie omnia fluunt, adeo quidem ut ne una quidem anacoluthia habeatur.

d/ Multæ occurrunt formulæ, dictiones vocesque a consuetudine Pauli alienæ, vel sensu aliquatenus diverso adhibitæ: sic *οθεν quapropter*, cujus loco alibi dicitur *δια τουτο, διο, διοτι*; et *εανπερ si alias*, alibi *ειπερ*; pariter *εις το διηνεγκες, semper*, alibi *παντοτε*; deinde *μακροθυμια exspectatio patiens et perseverans*, quod alibi exprimitur per *υπομονη*; huic etiam epistolæ proprium est verbum *τελειουν* cum omnibus suis derivatis, ad significandum opus salutis æternæ etc. Vicissim plures ex iis vocibus et elocutionibus, quæ Paulo admodum familiares sunt, in ep. ad Hebræos vel plane desunt, vel rarissime leguntur.

2° Epistola nostra versionem græcam 70 Interpretum pressius sequitur, etiam in locis in quibus hæc versio ab hebræo deficit, cf. I, 6, 7; II, 6-8; X, 5-7; XII, 5 sqq. Imo vero, argumentatio aliquando instituitur ex ejusmodi versionis Alexandrinæ vocibus, quæ sententiam fundant a textu nostro hebræo parumper alienam, cf. I, 6 sqq.; X, 5 sqq. S. Paulus autem in cæteris epistolis 70 Interpretes sequitur, quotiescumque ii ab hebræo reipsa non differunt; si autem vera sit discrepantia, hebræum respicere solet. Præterea, citationum formulæ ordinariæ *sicut scriptum est, dicit Scriptura* etc., in ep. ad Hebr. non occurrunt, dum contra hic sæpe Deo tribuuntur verba quæ e vetere Testamento allegantur.

3° Argumentationis idoles etiam aliquantum differt ab ea qua in aliis epistolis utitur Apostolus : nam a/ haud raro in ep. ad Hebr. reperitur amplificatio sententiarum oratoria, alibi vero in disputando nervosior est scriptor. Deinde b/ ratiocinationes ex vetere Testamento petitæ in ep. ad Hebr. magis evolvuntur, adeo quidem ut ad normam exegeticæ et homiliticæ expositionis tradantur. Tandem c/ citationes Biblicæ frequentiores sunt.

Ex his omnibus proprietatibus epistolæ ad Hebræos tanta oritur in universum differentia a cæteris epistolis Paulinis, ut hæc statim et sponte animum lectoris percellat.

Propositio VI.

Non autem constat quis fuerit ille Pauli sodalis et discipulus, cui formam ac compositionis rationem adscribere oporteat.

Variæ sunt tum veterum, tum recentiorum, conjecturæ. Tert. nominat s. Barnabam, alii censent fuisse s. Lucam, Protestantes Apollo (ita Luther, et nuper Bleek), vel, Silam, aut virum quemdam Judæo-christianum e schola Alexandrina, nobis incognitum. Verum hæ neotericorum conjecturæ nullam probabilitatem habere videntur, quum nullum eis suffragetur testimonium antiquitatis. Inter conjecturas autem probabiles, ea nobis magis arridet quam tenent Güntner (*Introd.* Pragæ 1863) et Bisping, scribam illum, Pauli adjutorem, fuisse s. Clementem Romanum.

a/ Hæc est enim sententia cui inde ab Origene plures consentiunt (hoc saltem sensu, quod vel Clementem solum nominent, vel saltem inter eum et Lucam ambigui sint) : v. gr. Eusebius, Theodoretus, ss. Joann. Damascenus et Hieronymus (De viris ill., c. 15) etc.

b/ Favent etiam argumenta interna, quæ ex collatione epistolæ nostræ cum scriptis s. Clementis desumuntur. Nam, quo gradu illa epistola in forma sua externa, præsertim in elocutione, ab aliis Pauli literis discedit, eodem cum Clementis epistolis concordat, maxime cum prima ejus ep. ad Corinthios. Præterea, eumdem Cle-

mentem fuisse Pauli adjutorem, et ei in primis vinculis Romæ adstitisse, ex Phil. IV, 3 docemur.

Propositio VII.

Tandem, quod spectat ad modum quo intervenerit s. Pauli discipulus quidam (s. Clemens vel alius), aliquantulum ancipites sumus utrum epistola ab Apostolo hebraice scripta fuerit, et per discipulum (s. Clementem) eleganter et libere in græcum versa, quemadmodum censent Clemens Alex. et s. Hieronymus; *an vero discipulus, v. gr. s. Clemens, nomine et auctoritate s. Pauli epistolam elaboraverit, et in formam quam nunc habent redegerit doctrinas ac sententias ipsi ab Apostolo fuse et distincte expositas, cui deinde tractationem suam prælegerit :* adeo ut pro certo ponamus opus illud discipuli a Paulo fuisse approbatum, atque aliquot verba (puta, cap. XIII, 18-25) ab eo addita fuisse, ac tandem universam epistolam ab eodem subscriptam et signatam fuisse. Hæc est fere sententia Origenis, ut supra (prop. V) diximus ([1]).

Inter utramque autem conjecturam plus minusve incertus hæreo, propterea quod utraque Paulum verum auctorem statuit; utraque etiam cum sufficienti probabilitate explicat difficultates, quæ ex epistolæ forma externa nascuntur; tandem, utraque parem fere auctoritatem ss. Patrum et interpretum habet. Fateor tamen me magis propendere in sententiam ultimam, ideo præsertim quod nusquam in universa epistola vel minima appareant *versionis* indicia aut vestigia.

([1]) Ut rectius pleniusque intelligatur hæc sententia, addere juvat illa Estii verba apud Beel. laudata : " Totam epistolam alieno stylo concinnatam, sed suis sensibus " plenissime respondentem, ipse (s. Paulus) tamquam suam approbavit ac misit; " adeo ut fateamur, non solum Paulum in materia et ordine præscribendo, totaque " epistola, postquam scripta fuit, approbanda, a Spiritu divino motum fuisse, verum " etiam mentem et manum ejus qui composuit, ab eodem Spiritu fuisse gubernatam, " ut non alia nec aliter scriberet quam oporteret; haud secus atque factum est in " aliis qui sacros libros conscripserunt. "

§ 3. Quibus lectoribus scripta sit epistola.

Inscriptio *ad Hebræos*, quamvis ab ipso auctore non proveniat, antiquissima est, utpote quæ in omnibus codd. uncialibus et verss. vetustissimis reperiatur; et recte designat eos ad quos missa fuit epistola [1]. *Hebræi* autem hic dicuntur, in sensu angustiore, Judæi qui Palæstinam tempore Christi et Apostolorum incolebant, et lingua Aramæa vernacula utebantur; qua denominatione ab *Hellenistis* distinguebantur, seu ab iis Judæis, qui extra Palæstinam nati et educati erant, quibusque sermo græcus proprius erat: cf. Act. Ap. VI, 1, IX, 29. Alibi sensu latiore *Hebræi* vocantur, ratione nationis et religionis, omnes Abrahami posteri, seu omnes Judæi; quo sensu *ethnicis* (Ελληνοις) opponuntur, cf. 2 Cor. XI, 22, Phil. III, 5. Judæos autem Palæstinenses illos, quibus inscribitur epistola, fuisse christianos, ex argumento satis liquet.

Breviter nunc indicabimus præcipuas rationes, ob quas censemus Judæo-christianis Palæstinæ, præsertim Hierosolymitanis, destinatam fuisse epistolam.

1° Id tenent Clem. Alex., Euseb., s. Chrys., s. Hier., Theodoret. etc.

2° Nihil dicitur quod ad ethnico-christianos, eorumque lites cum Judæo-christianis spectat: unde concludimus scribi ad ecclesias e solis Judæo-christianis constantes, quales nonnisi in Palæstina erant.

3° Quæ de persecutionibus dicuntur, quas christiani, ad quos sermo fit, perpessi erant, cap. X, 32-34, plane conveniunt Judæis Palæstinensibus, ut colligitur ex Act. Ap. VIII et IX: extra Palæstinam vero, quamquam vexationes non deerant (1 Thess. II, 14; 1 Petr. V, 9), non tantæ fuerunt ærumnæ, ante primam persecutionem generalem (sub Nerone), quantæ in hac epistola describuntur.

4° Lectores epistolæ in magno versantur periculo redeundi ad Judaismum; splendorem cultus Levitici et sacrificia Mosaica in Templo videntur coram oculis habere (VIII, 4; IX, 6; X, 1 etc.);

---

(1) Huic favent verba I, 1 *patribus*, et v. 2 *nobis*.

unum Christi sacrificium considerant tamquam non sufficiens; nonnulli ex ipsis sacros christianorum conventus negligunt (X, 25) etc.: quæ quidem omnia innuunt Judæos in Palæstina, et præsertim Hierosolymis, habitantes.

5° Tandem, quando plurimi ex antiquis Patribus opinati sunt epistolam hebraice primitus fuisse conscriptam, id sane inde factum est quod satis communiter crederetur eamdem missam fuisse ad Judæos Palæstinenses.

Objicitur 1°. Christianis Palæstinæ, apud quos atrocissima extiterat persecutio, in qua ss. Stephanus et Jacobus uterque etc. martyrium subierant, non congruunt verba cap. XII, 4: *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* — Resp. Nonnulli quidem id fecerunt, et eorum exemplum proponit auctor cap. XIII, 7; verum, ii, ad quos scribit, generatim loquendo non tantis tormentis expositi fuerant.

Obj. 2°. Cap. II, 3 legitur de doctrina christiana: *Ab iis qui audierunt* (eam) *in nos confirmata est;* ergo non per Christum, sed per discipulos ejus fidem edocti erant; ergo Palæstinenses non erant. — Resp. Pauci tantum e Judæis immediate per Christum conversi erant, et nihil obstat quominus dicamus etiam illos ab Apostolis in fide confirmatos fuisse: alii per Christum præparati et per Apostolos penitus instructi erant; multi etiam Salvatorem non cognoverant, quum a morte ejus spatium ferme 30 annorum jam effluxisset, novaque exorta esset hominum generatio.

Obj. 3. Probabile est hanc epistolam græce conscriptam fuisse. — Sed dato, non concesso (nam probabilitatem fere æqualem habet sententia illorum qui putant linguam originalem fuisse hebraicam), multi e Judæis Palæstinensibus græce noverunt, ut constat ex Act. Ap. XXI, 40, coll. XXII, 2.

§ 4. Qua lingua primitus composita fuerit.

Supra § 2 ostendimus, epistolam ad Hebræos (secundum sententiam nobis probabiliorem) non ab ipsomet Paulo redactam fuisse ad eam formam quam nunc habet; ambiguum autem esse

utrum forsitan ipse Aramaice scripserit ad Palæstinenses, et aliquis e sodalibus ejus, v. gr. s. Clemens Romanus, epistolam in linguam græcam libere verterit in gratiam Judæorum Hellenistarum; an vero discipulus ille nomine Apostoli eam græce elaboraverit.

Hoc saltem nobis persuasum est, versionem, si ex aliquo exemplari hebræo vel Aramæo-Palæstinensi reipsa facta fuerit, esse valde liberam; et adeo quidem nativam, ut nomen versionis proprie dictæ retinere non mereatur. Etenim nulli fere in ea reperiuntur hebraismi; omnia e contrario ingenium spirant græcum; paronomasiæ plurimæ indicant auctorem sua proferentem, non aliena vertentem, cf. II, 8; V, 8, 14; VII, 3, 19, 22 sqq.; VIII, 7, 8; IX, 10, 28; X, 29, 34, 38 sqq.; XI, 27; XIII, 14. Præterea, auctor sequitur versionem græcam 70 Interpretum, etiam iis in locis in quibus hæc ab hebræo differt, et ad eamdem versionem sæpissime alludit, ita ut codicem hebræum coram oculis habuisse dicendus non sit: cf. III, 2, 17; VI, 12; VII, 1 sqq.; X, 3, 7 sqq.; XI, 5, 8, 12, 13, 21, 23, 28; XII, 12, 13, 15, 29; XIII, 11, 18.

§ 5. Tempus et locus scriptionis.

Certum est epistolam non paulo post fundatam Ecclesiam scriptam esse; nam ex cap. V, 12, X, 32 sqq., XIII, 7 colligitur, lectores jam satis diu ad Christum conversos fuisse. Neque tamen post a. 70 exarata fuit, quum cultus Mosaicus in templo Hierosolymitano adhuc vigeat, cf. cap. VIII, 4, IX, 6-10, XIII, 11-13. Neque etiam post a. 66, quo tumultus Judaici exorti sunt, scripta videtur, quum, in tali casu, auctor probabiliter non omisisset christianos monere, ne tumultuantibus sese adjungerent, sed potius fugam caperent. Ex cap. autem XIII, 24, ubi de Timotheo mentio fit, et cap. XIII, 25, ubi salutem dat auctor ab iis, *qui de Italia sunt*, verisimilis est conjectura eorum qui dicunt Romæ compositam esse, ad finem priorum s. Pauli vinculorum, circa a. 63. Ita fere Bisp., Beel., Reischl, Allioli, Güntner etc.

§ 6. Occasio scribendi et finis scribentis.

Epistolæ occasionem dedit status Judæo-christianorum, in

Palæstina, et præcipue Hierosolymis, degentium. Quidam enim ex ipsis, quum 1° in centro Judaismi viverent, legisque Mosaicæ cultum in Templo cum solemnitate quotidie celebrari viderent; 2° quum præterea scirent a Christo et ab Apostolis Legis præcepta et instituta observata fuisse : paulatim in eam devenerunt falsam persuasionem, Legem esse ad salutem necessariam, adeoque Christum unicum generis humani Salvatorem dici non debere; unde magnum eis exortum sit periculum, ne a fide christiana sensim deficerent, atque ad Judaismum reverterentur. 3° Persecutiones autem, quas sæpe pro fide patiebantur, illud apostasiæ periculum haud leviter augebant.

Quæ quum ita essent, finis auctoris primarius fuit christianos adversus periculum illud apostasiæ a fide et reditus ad Judaismum præmunire, eosque ad perseverantiam in fide mediis in tribulationibus adhortari. Quem quidem finem ut assequatur,

1° Eos edocet magnam religionis christianæ præ Mosaica excellentiam et præstantiam, ostendens hanc nonnisi imaginem esse quamdam confusam (umbræ similem, adeoque vacuam atque inefficacem) eorum omnium quæ in religione Christi perfecta aut instituta sint; proindeque, mox ut hæc fundata et stabilita fuerit, illam fuisse abrogatam.

2° Deiu eisdem lectoribus varia atque severa monita tradit, quibus eos hinc timore pœnarum ab apostasiæ peccato avertat, illinc vero spe remunerationis cœlestis ad perseverantiam in fide et sanctitate excitet, infirmos corroboret, labentes erigat, bonosque magis stimulet etc.

§ 7. Argumentum.

Ex iis, quæ de fine scribentis statim diximus, colligitur duplex esse generatim loquendo epistolæ argumentum : *dogmaticum* seu theoreticum, et *morale* seu practicum.

In argumento *dogmatico*, auctor demonstrat religionem christianam Mosaica præstantiorem esse, imo vero in ea reperiri adimpletionem atque perfectionem eorum omnium quæ in religione Mosaica

nonnisi adumbrata, inchoata, et præfigurata erant; verbo, *veritatem* esse in nova lege, in lege autem vetere *imaginem* imperfectam ejusdem veritatis : unde concludendum sit hanc per illam esse abrogatam, et proinde hac rejecta illi fideliter et constanter adhærendum esse.

Jam vero, Apostolus, ut christianæ religionis excellentiam et auctoritatem demonstret, primo probat mediatorem ejus Christum superiorem esse iis per quos religio Judaica data et nuntiata fuit, nimirum et angelis, quorum ministerio usus est Deus in monte Sinai, et Moyse legis Sinaiticæ promulgatore.

Deinde ostendit sacerdotium novæ legis excellentius et efficacius esse sacerdotio legis veteris.

Hoc autem doctrinæ caput longe lateque exponit, imo vero illud cum omni diligentia et ab omni parte considerat et pertractat, ob duas præsertim rationes : tum quia (*ratio interna*) sacerdotium, a quo pendet sacrificium, centrum est universi cultus divini, et proinde summum religionis culmen; adeo ut, si velimus duas comparare religiones, sufficiat utriusque sacerdotium et sacrificia conferre (quamobrem etiam, ex collatione sacerdotii Christi et Aaronis manifestissime apparebit hoc per illud plene abrogatum esse); tum quia (*ratio externa*) cultus Mosaicus, cujus splendorem in Templo quotidie cernebant Hebræi, eos ad Judaismum vehementer alliciebat et provocabat.

His generatim dictis, breviter indicare oportet quomodo excellentia sacerdotii novi ejusque præ sacerdotio Mosaico præstantia magna ostendatur.

1° Ante omnia utrumque sacerdotium in se ipso, in natura sua propria, auctor considerat. Sacerdotium Christi, ait, est secundum ordinem Melchisedechi, sacerdotium autem Mosaicum est secundum ordinem Aaronis; atqui hic ordo inferior est illo, ergo etc.

2° Deinde *effectum finalem* sacerdotii intuetur. Finis autem sacerdotii est homines cum Deo conjungere et religare : in hac autem conjunctione consistit ipsamet *religio* (re-ligatio) seu salutis œconomia, quæ recte vocatur etiam fœdus Deum inter et homines. Igitur Apostolus declarat, fœdus novum, per Christi sacerdotium

initum et fundatum, excellentius esse fœdere illo antiquo quod per Aaronis sacerdotium constitutum et sancitum fuit.

3° Tandem *effectum* sacerdotii *proximum*, quo effectus finalis obtinetur, scilicet sacrificium, per quod religio perficitur hominesque cum Deo religantur, exponit; simul demonstrans sacrificium Christi, quoad dignitatem, et præsertim quoad vim et efficaciam, Mosaicis omnibus longe prævalere.

Porro, quod attinet ad argumentum epistolæ *morale* seu præneticum, illud continua orationis serie non evolvitur, sed hic illicque per epistolam est dispersum, v. gr. cap. II, 1-4, III, 7—IV, 16, V, 11—VI, 20, et tandem ultimam partem occupat inde a cap. X, 19.

Præsertim id persequitur scriptor in argumento morali, ut Hebræos ad constantiam in fide, mediis in persecutionibus, adhortetur, per spem firmam æternæ remunerationis in cœlis obtinendæ; deinde per Christi sanctorumque sub V. T. virorum exempla. Simul eos ad varias virtutes vitæ christianæ, quæ e fide nascuntur et fidem firmiorem reddunt, admonet et excitat. Et hæc est pars argumenti moralis *positiva*.

Negativa autem pars, quæ cum positiva necessario connectitur, in eo consistit quod Apostolus lectores ab apostasia, seu reditu ad Judaismum, deterreat per timorem terribilissimarum pœnarum, quibus Deus contemptores novæ religionis afficiet, quæque majores erunt quam quæ olim in veteres Israelitas, legis Mosaicæ violatores, divinitus immissæ fuerunt. A peccatis impuritatis, avaritiæ etc., per quæ etiam salus æterna amitteretur, hac opportunitate usus, eosdem simul avertit.

§ 8. Divisio.

Hanc epistolam, quamadmodum ep. ad Rom., ad Gal., ad Eph., et ad Col., satis commode dividere possumus in duas partes: *dogmaticam* cap. I—X, 18, et *moralem* cap. X, 19—XIII fin.: quamvis in parte dogmatica haud semel occurrant monita practica, quæ ex principiis dogmaticis obiter eruantur, et vicissim in parte morali plurima sint quæ ad argumentum dogmaticum spectent.

I Pars: dogmatica. Religio christiana Mosaicæ religioni ante-

cellit, tum 1° ratione personæ per quam utraque data aut promulgata est, tum 2° ratione sacerdotii in quo utraque fundatur. Igitur duplex sectio :

Sectio I. Christus, per quem data et annuntiata est religio christiana, excellentior est iis per quos data aut promulgata est religio Mosaica, cap. I—IV, 13. Quum autem lex vetus in monte Sinai per ministerium angelorum et Moysis data fuerit, ideo in § 1 Christus superior angelis demonstratur cap. I—II, 4; unde in § 2 colligitur Christum, non vero angelos, in mundum nunc (sub lege nova) dominari, cui quidem excellentiæ Christi non obstat humiliatio passionis ejus; nam per hanc ipsam meruit et obtinuit glorificationem suam, cap. II, 5-18. Præterea § 3, Moyse etiam, altero legis veteris mediatore, excellentior est Christus — huic igitur fideliter obediendum est — : cap. III—IV, 13.

Sectio II. Sacerdotium Christi, quod centrum est et culmen totius religionis christianæ, longe prævalet sacerdotio Aaronico, quo religio Mosaica nitebatur : cap. IV, 14—X, 18. Præstantiam autem illam triplici consideratione declarat s. Paulus, dum utrumque *sacerdotium* primum *in se ipso,* in natura sua, intuetur ; deinde utrumque *fœdus,* quod per sacerdotium initum et sancitum fuit, comparat ; ac tertio tandem *sacrificia* in utroque sacerdotio oblata examinat. Quoniam vero prima consideratio satis longa est, eam in tres paragraphos dividimus ; atque adeo in universum paragraphos quinque complectetur sectio secunda, nimirum :

§ 1. Christus est vere sacerdos, et quidem secundum ordinem Melchisedech, ideoque superior sacerdotibus Aaronicis, cap. IV, 14—V, 10.

§ 2. Variæ reprehensiones et adhortationes morales, per modum amplæ digressionis interjectæ, cap. V, 11—VI.

Deinde in § 3, Christum esse sacerdotem talem, quem dixit in § 1, videlicet in ordine suo longe superiorem sacerdotibus Mosaicis, demonstrat ratione exegetica expendendo celeberrimam prophetiam Ps. CIX : *Juravit Dominus.... : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,* cap. VII—VIII, 5.

§ 4. Christus per sacerdotium suum factus est mediator fœderis

novi, quod fœdere antiquo longe præstantius est, cap. VIII, 6-13.

§ 5. Tandem Christi sacrificium superat omnia veteris Testamenti sacrificia, et generatim cultus christianus Mosaicum : cap. IX—X, 18.

II Pars : moralis. Hebræos præsertim adhortatur ad constantiam in fide christiana, quantæcumque sint persecutiones quas sustinere debeant, eisque in exemplum proponit viros sanctos veteris Testamenti et maxime Christum Dominum. Ad finem vero epistolæ quædam addit monita particularia, et nonnulla puncta familiaria, ut solet fieri in genere epistolari : cap. X, 19—XIII fin. Quatuor erunt paragraphi :

§ 1. Adhortatio ad constantiam in fide christiana, cap. X, 17-39.

§ 2. Fides sanctorum, qui sub vetere Testamento vixerunt, in exemplar proponitur, cap. XI.

§ 3. Admonentur Hebræi, ut sanctorum imitantes exempla, in fide permaneant, non obstantibus tribulationibus, ne secus dire puniantur, cap. XII.

§ 4. Tandem monita varia, tum ad virtutes exercendas, tum ad vitia fugienda ; quibus adjunguntur familiaria quædam, cap. XIII.

Vide tabulam synopticam p. 495.

§ 9. Epistolæ utilitas et præstantia.

Præcipua merita, quæ hanc epistolam nobis magnopere commendant, breviter indicabimus.

1° Mutua necessitudo, quæ vetus inter et novum Testamentum existit, nusquam, in universa Scriptura sacra, profundiore modo exponitur quam in epistola ad Hebræos : adeo ut per eam præsertim perveniamus ad veram et intimam cognitionem œconomiæ generalis, quam Deus in constituenda religione sibi proposuit ; ibi enim præclarissimo modo docemur agendi rationem quam Providentia secuta est in dispensandis, successive et per partes, universis revelationis supernaturalis veritatibus ; ibi quoque ad unitatem harmonicam et magnificam reducuntur ea omnia, quæ in singulis tum veteris tum novi Testamenti libris scripta sunt.

2° Nusquam etiam, in divinis Literis, luculentius sublimiusque exponuntur indoles, dotes et prærogativæ sacerdotii Christi, in quo cultus externus nostræ religionis totus quantus fundatur.

3° Præterea, in hac epistola specimen scripturisticæ exegeseos perfectissimum reperitur, illudque constanter imitari deberent ii omnes qui interpretationi et studio sacrorum Librorum, præsertim veteris Testamenti, incumbunt. Videsis cap. VII hujus epistolæ per totum; cf. etiam cap. III, 7—IV, 10.

4° Deinde, eadem epistola refert etiam admirabile quoddam exemplar, ex quo desumi possunt primaria sacri symbolismi principia.

5° Tandem, forma expositionis, et scribendi ratio valde elegans, ingeniosa atque eloquens, ubique resplendet.

§ 10. Interpretes præcipui.

Præter interpretes, quos in Introductione ad omnes epistolas Paulinas § 16 (ante expositionem epistolæ ad Romanos) descripsi, epistolam ad Hebræos speciatim exposuerunt sequentes, notatu digni:

S. Cyrillus Alexandrinus, de quo vide Introd. in epist. ad Rom. § 11.

Pseudo-Anselmus Cantuariensis. Commentarius in epistolam ad Hebræos, qui nomine s. Anselmi aliquando fuit inscriptus, compositus fuit ab *Herveo*, monacho Burgidolensi.

Ribera, S. J., vir doctissimus, commentarium in ep. ad Hebr. scripsit, quem morte præventus nonnisi usque ad cap. V, 5 deducere potuit: illum autem perfecerunt Patres ejusd. Soc. a. 1598.

Klee, de quo diximus in Introd. in ep. ad Rom. § 11.

Mayr, *Comm. üb. den Br. an die Hebr.* Freib. 1861.

Addit insuper Drach sequentes Protest., utpote recentissimos: *Lunemann* (Gott. 1867), *Kurtz* (Mitau 1869), *Fausset* (Glasgow 1870).

TABULA SYNOPTICA

EPISTOLÆ AD HEBRÆOS.

Pars Dogmatica. Religio christiana antecellit religioni Mosaicæ, tum ratione personarum per quas data est, tum ratione sacerdotii in quo fundatur: I-X, 18.

- *Sectio I.* Christus, per quem data est religio christiana, superior est iis per quos data est religio Mosaica: I-IV, 13.
  - § 1. Superior est angelis: I-II, 4.
  - § 2. Ipse, non autem angeli, in mundum novum dominatur, et per passionem quidem obtinuit hanc excellentiam: II, 5-18.
  - § 3. Superior est Moyse: III-IV, 13.
- *Sectio II.* Sacerdotium Christi, quod centrum est totius religionis christianæ, prævalet sacerdotio Aaronico, quo nitebatur religio Mosaica: IV, 14-X, 18.
  - I. Utrumque sacerdotium in seipso seu in natura sua consideratur: IV, 14-VIII, 5.
    - § 1. Christus est vere sacerdos, et quidem secundum ordinem Melchisedech, ideoque superior sacerdotibus Aaronicis: IV, 14-V, 10.
    - § 2. *Digressio:* reprehensiones et adhortationes: V, 11-VI.
    - § 3. Christum sacerdotem præstare sacerdotibus Mosaicis, demonstratur per exegeticum examen verborum: *Juravit Dominus et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos* etc. VII-VIII, 8.
  - II. Utrumque fœdus, quod per sacerdotium stabilitum fuit, comparatur: VIII, 6-13.
    - § 4. Christus per sacerdotium factus est mediator fœderis novi, quod fœderi antiquo præstat.
  - III. Sacrificium utriusque sacerdotii comparatur: IX-X, 18.
    - § 5. Christi sacrificium superat omnia V. T. sacrificia, et generatim cultus christianus Mosaicum.

Pars Moralis. Quum tanta sit fidei et christianæ religionis excellentia, ad Judaismum redeundum non est; sed secundum sanctorum exempla, non obstantibus tribulationibus, in fide christiana constanter permanere oportet: X, 19-XIII.

- § 1. Adhortatio ad constantiam in fide christiana: X, 19-39.
- § 2. Fides sanctorum, qui sub V. T. vixerunt, in exemplar proponitur: XI.
- § 3. Hebræi, sanctorum imitati exempla, in fide permaneant, non obstantibus tribulationibus, ne secus dire puniantur: XII.
- § 4. Monita varia ad virtutes exercendas et vitia fugienda: XIII, 1-17.
- *Epilogus epistolæ:* familiaria quædam, salutationes et apprecatio sancta: XIII, 18-25.

PARS PRIOR : DOGMATICA.

NOVA CHRISTI LEX DIGNIOR AC MELIOR EST VETERE JUDAICA.

I — X, 18.

SECTIO I. CHRISTUS MAJOR EST ANGELIS ET MOYSE.

I — IV, 13.

§ 1. *Christus superior est angelis.*

I — II, 4.

1 * Multifariam, multisque
modis olim Deus loquens patri-
2 bus in Prophetis : * novissime,

[1] Olim quidem Deus Pater per partes successivas, variisque modis, majoribus nostris ministerio Prophetarum se revelavit; [2] verum, in ultima hac mundi

1. In exordio solemni et vere sublimi, v. 1-3, argumentum primarium universæ epistolæ proponitur : novam Christi legem legi veteri prævalere; illudque obiter demonstratur per duplicem antithesim : 1° olim *per partes* et *variis modis* (quorum aliqui certe valde obscuri et imperfecti erant) veritatem revelavit Deus; nunc omnia simul et uno eodemque aptissimo modo manifestavit. 2° Olim *per Prophetas,* nunc *per ipsum Filium Incarnatum.*

Multifariam : πολυμερως, *multipartitim,* i. e. *per partes,* aliam post aliam docens veritatem; igitur *successive, multis vicibus,* adeo ut " per successiones temporum creverit divinæ cognitionis augmentum (s. Greg.). " Per Filium autem omnem simul revelavit veritatem.

Multisque modis, πολυτροπως, puta per somnia, extases, apparitiones, oracula etc. : nunc autem uno eoque perfectissimo modo, per veram rei præsentiam, quum *veritas* ipsa *visibilis* facta sit in Incarnatione Verbi.

Loquens : græce est aoristus, *postquam locutus est.* — In sign. *per,* ut præp. *beth* Hebræorum. Prophetis in sensu latissimo, adeo quidem ut intelligantur quicumque a Deo revelationes acceperint, ut Abraham, Moyses etc. : cf. s. Aug., De civ. Dei 17, 1.

2. Novissime. In textu græco Recepto est adjectivum quod cum sequen-

diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem
3 fecit et sæcula: * qui cum sit splendor gloriæ, et figura sub-

ætate, perfectiore ratione se nobis manifestavit per Filium suum Jesum Christum, quem Dominum universi mundi constituit, per quem etiam omnia creavit. [3] Christus autem, quum tamquam Deus sit refulgentia gloriæ Dei Patris, et imago expressa substantiæ

tibus jungitur: *novissimis diebus istis;* verum melior est lectio Vulgatæ, quæ refert græca επ' εσχατου των ἡμερων τουτων. Sensus est: *in hac ultima revelationis ætate, sub novo Testamento:* opponitur adverbio *olim*, quod tempus veteris Fœderis designat. Per Messiæ adventum divina revelatio in terris complete evoluta est, atque ideo universum illud temporis spatium, quod a Christo usque ad finem seculorum sese extendit, in sacra Scriptura sæpe vocatur *plenitudo temporis, novissima hora* etc. Cf. ann. 1 Cor. X, 11; 2 Tim. III, 1.

Quem constituit heredem (i. e. *Dominum*, cf. Ps. II, 8) universorum. Excellentiam et supremam dignitatem Christi, tum ut hominis, tum ut Dei, docet et comprobat; ut Dei, quando scribit: *per quem fecit et secula, qui splendor est gloriæ* etc.; ut hominis, quando dicit: *quem constituit heredem universorum;* Christus enim, qui tamquam Deus erat universorum creator, postquam factus est homo, mundum regeneravit, iterum creavit, atque ita factus est Dominus mundi novi.

Per quem fecit et secula. *Seculum:* αιων, i. e. *seculorum omnium spatium*, inde *quidquid tempus demetitur*, quidquid in tempore existit, seu *mundus universus.* Et secula: in textu originali και *et* ponitur ante *fecit.* Istud και indicat dari rationem præcedentis *quem constituit heredem* etc.; etenim *quia* per ipsum omnia creata sunt, *ideo* per ipsum regenerata sunt omnia. Quomodo per Verbum, seu secundam ss. Trinitatis personam, omnia creata sint, explicat s. *Thomas, Summ. th.* p. 1, q. 45, a. 6.

3. Hic versiculus, quemadmodum præcedens, Christi divinitatem luculentissime demonstrat. Splendor, απογαυσμα, *refulgentia* (flandrice *weerglans*) vel *deradiatio* (fl. *uitstraling*) gloriæ, sc. paternæ. Deus hic, ut alibi sæpe, sub imagine lucis repræsentatur. *Splendor gloriæ* idem sign. ac *lumen de lumine* (conc. Nic.): coæternitatem Filii cum Patre indirecte denotat. Cf. Sap. VII, 26, ubi de Sapientia æterna, id est de Filio, dicitur: *Candor est lucis æternæ.* Hæc autem comparatio radii e sole emanantis pulcherrima est, et juxta s. Ambr. (l. 1 de fide ad Grat., c. 4) tria involvit: 1° Filium non libere et secundum electionem, sed secundum naturam a Patre gene-

stantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis :

ejus, atque ideo omnipotenti jussu suo omnes conservet creaturas : idem ipse tamquam homo, postquam peccata hominum morte expiasset, summum gloriæ locum in cœlis obtinuit, adeo ut ad dexteram Dei super omnes angelos nunc sedeat, in summo honoris et potestatis gradu constitutus.

ratum esse. 2° Generationem Filii esse immutabilem : sine mutatione enim radius e sole prosilit. 3° Eam esse æternam : radius enim sive splendor soli coævus est. Inde et 4^{m} eruere possumus : Filium a Patre inseparabilem esse sicut radium a sole.

FIGURA, χαρακτηρ (a χαρασσω, *insculpo*), *forma* seu *figura insculpta, expressa imago :* et imago quidem substantialis et vivens, imago absolute perfecta, quæ archetypum suum penitus refert : cf. ann. Col. I, 15, et Phil. II, 6. — SUBSTANTIÆ EJUS, της ὑποστασεως ; hanc autem vocem græcam sensu consueto de *natura* seu *essentia* intelligimus, quia non constat nomen ὑποστασι tempore s. Pauli jam fuisse adhibitum de subsistentia personæ. Quum Pater dicatur naturam suam in Filio expressisse (et perfectissime quidem), sequitur Filium esse Patri consubstantialem.

PORTANSQUE : siquidem participium ων supra vertitur *cum sit*, oportet hic etiam adhibere subjunctivum *portetque. Portare*, i. e. *conservare.* VERBO (*jussu*) VIRTUTIS (*omnipotentiæ*) SUÆ, quo omnia creavit (*Dixit et facta sunt*, Ps. XXXII, 9), omnia etiam conservat : rerum enim conservatio est quasi continua creatio.

PURGATIONEM FACIENS : gr. aoristus, *purgatione facta*, aut *postquam fecisset.* Rursum de Christo ut homine loquitur. Ante *purgationem* additur δι' ἑαυτου *per semetipsum*, in codd. D*et***EKLM, in vers. syr. utraq., apud s. Chrys. etc. ; quæ lectio videtur vera. Christus autem *per semetipsum* peccata expiavit, i. e. per proprium sanguinem, non per victimarum immolationem (cf. cap. IX, 12) : adeo ut in ejus sacrificio offerens et oblatio unum sint : qua in re maxima reperitur differentia novæ legis cum vetere comparatæ. Lectio tamen Vulgatæ, quæ omittit *per semetipsum*, testes habet plures et graves : codd. ABD**, vers. arm. etc.

SEDET AD DEXTRAM etc. Christus per mortem satisfactoriam humanitati suæ summam gloriam promeruit (cf. Luc. XXIV, 26 ; Phil. II, 8, 9). *Ad dexteram regis sedere* sign. primum esse post ipsum, cum ipso regnare etc. Respicit ad Ps. CIX, 1 : cf. *Comm.* nostrum *in Psalmos* (Brugis, 3^{a} ed. 1886).

4 * Tanto melior angelis effe-
ctus, quanto differentius præ
5 illis nomen hereditavit. * Cui
enim dixit aliquando angelo-
rum: Filius meus es tu, ego
hodie genui te? Et rursum:

[4] Hanc autem magnam dignitatem suæ naturæ humanæ assecutus est per unionem hypostaticam cum divinitate: nam tanto superior angelis factus est, quanto eorum nominibus excellentius est nomen *Filii Dei*, quod ut homo sibi acquisivit. [5] Numquam enim cuivis angelorum datum fuit illud nomen, quod ipsi tribuitur in his s. Scripturæ locis: *Filius meus es tu* (ait ipsi Deus Pater), *ego hodie te verum Filium meum esse facio;* et

4. Transit ad primum argumenti sui caput, Christum angelis superiorem esse; unde concludit cap. II, 2 ejus legem fideliter observandam esse, magis quam legem Sinaiticam per angelos promulgatam (cf. Act. Ap. VII, 53; Gal. III, 19).

Melior (pro *præstantior, major*) effectus: dicitur de Christo tamquam homine. Nomen, sc. *Filii Dei*, ut ex v. 5 patet.

Hereditavit, *sibi acquisivit.* Per Incarnationem humana Christi natura hypostatice unita fuit cum divinitate, adeo ut Christus-homo esset Filius Dei: sed plena filiationis jura Christus ut homo solummodo post mortem obtinuit, quando gloriosus in cœlum ascendit.

5. Plura jam testimonia ex vetere Testamento adducit, ut Christum esse Dei Filium, adeoque angelis longe superiorem, comprobet, v. 5-14.

Cui... angelorum etc. Angeli quidem *Filii Dei* dicuntur (Job I, 6; II, 1; XXXXIII, 7 [Gen. VI, 2, 4; Ps. XXVIII, 1]; Ps. LXXXVIII, 7 etc.), sed numquam eorum quivis vocatur *filius Dei* (in singulari), absolute et simpliciter sic dictus, in perfecta nominis significatione, i. e. filius quem Deus genuit. — Filius meus etc., ex Ps. II, 7. Cf. Commentarium nostr. in *librum Psalmorum*, Brugis, 3a ed. 1886.

Hodie genui te. Valde difficile est illud *hodie.* Deus Pater Christum hominem fecit esse Filium suum, quando Verbum misit in terras, et fecit incarnari: verum, ut supra jam monui, ista filiatio nonnisi in glorificatione humanæ naturæ per ascensionem Christi in cœlos ad plenitudinem pervenit. Igitur, *hodie* sensu latissimo sumendum est, de tempore quo humanitas Christi cum divinitate in unam conjuncta est personam, seu quo Christus-homo factus est Flius Dei; quasi diceret Deus Pater ad Christum: Quum, me volente, humana tua natura hypostatice nunc conjungatur divi-

Ego ero illi in patrem, et ipse
6 erit mihi in filium? * Et cum
iterum introducit primogenitum

rursum: *Ego*, inquit, *ero ei Pater, et ipse erit mihi Filius.* 6 Ejusdem etiam excellentiam super angelos docet Deus, quando Primogenitum in mundi pos-

nitati, tu, o homo, Filius meus evadis: nunc (*hodie*) enim gigno te, seu te verum Filium meum esse facio. Ex contextu eruitur, Apostolum hæc Psalmorum verba interpretatum esse sensu profundiore et sublimiore, quam Judæi sub vetere Testamento ea communiter intelligerent: eo enim tempore non adeo distincte revelatum erat ss. Trinitatis mysterium; quamobrem per appellationem *Filii Dei* intelligebant Judæi Messiam, mundi redemptorem, absque eo quod clare perspicerent Messiam illum fore personam divinam a Deo Patre genitam, eique consubstantialem.

Ego ero illi in patrem (hebraismus pro *ero illi pater*), inquit Jehovah (2 Reg. VII, 14) loquens de Salomone, filio Davidis, quando prædicit templum Dei ab eo exstruendum fore. Quum autem Salomon figura esset Christi, filii Davidis per excellentiam, a quo ædificanda esset Ecclesia, templum Dei κατ'ἐξοχήν: ideo sensu figurato, seu typico, de Christo accipienda sunt verba illa: eo vel magis quod nisi hujusmodi sensus sublimior subesset, nequaquam Scriptura tam magnifice ibi loqueretur: Salomoni enim minus quam Christo conveniunt hæc aut similia: *Stabiliam sedem regni ejus usque in sempiternum*, ib. v. 13; et *Ego ero illi in patrem* etc. Præterea, animadvertendum est, sensus hujusmodi mysticos ab Hebræis, ad quos scribebat s. Paulus, passim admissos fuisse.

6. Et, cum iterum introducit etc.: aliqui putant esse verborum transpositionem, pro: *et iterum, cum introducit* etc., *dicit.* Sed magis obvium est *iterum* referre ad *introducit*, adeo ut sensus sit de altero Christi adventu ad judicium extremum. Introducit, vox juridica, *in possessionem inducit.*

Primogenitus, per hebraismum, dicitur filius qui primus gignitur, sive alii post ipsum nascantur, sive non; igitur etiamsi unicus sit, v. gr. Matth. I, 26 (cf. Comm. nostr. in s. Matth. 3ª ed. 1880-1882, 4 vol.). Christus rursum, quemadmodum in duobus testimoniis præcedentibus, ut homo consideratur; et nomen *Filii primogeniti* ei tribuitur, quatenus omnia hereditatis paternæ jura plenissime possidet (ad similitudinem primogenitorum in vetere Testamento, præsertim sub patriarchis), adeoque mundi rex ac Dominus est supremus. Ejus autem imperium nonnisi in fine seculorum, quando perfecte ei subjicientur omnia, in plenitudine sua apparebit.

Dicit, nempe *Deus*, in s. Scriptura, quæ est vere verbum Dei; seu potius *dicit s. Scriptura:* nam illa et adorent eum etc. (e Ps. XCVI, 7) non

in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei.
7 * Et ad angelos quidem dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam

sessionem iterum inducens (in fine seculorum) dicit : *Eum adorabunt omnes angeli.* [7] Præterea, angeli quidem dicuntur Dei *ministri;* nam scriptum est : *Deus facit ut angeli sui sint celeres sicut venti, et ut ministri sui*

sunt verba Jehovæ ad Filium seu Messiam, sed Psalmistæ de Jehova. Quod autem de Jehova cecinit poeta sacer, id ad Christum refert s. Paulus, vel quia Jehovah, qui in vetere Testamento apparet, loquitur, se revelat etc., non alius est quam Filius Dei, qui carne assumpta vocatur Christus (vide quæst. de Theophaniis in append. ad calcem Comm. nostri Act. Apost., 4ª ed.); vel quia, sicut Jehovæ, Deo, sub antiqua lege summus latriæ cultus debitus fuit, ita Christo, Deo-homini, sub novo Fœdere, reddendus est. Veteres etiam Rabbini, et paraphrastæ Chaldaici, loco *Jehovæ* sæpe ponunt *Verbum Jehovæ,* et de eo tamquam de persona loquuntur. Apostolus ut certissimum ponit Christum esse verum Deum.

Angeli Dei : in hebræo *Elohim, dii,* quod LXX Interpretes reddiderunt αγγελοι, sicut plerumque fecerunt.

7. Ad angelos : προς cum acc., *quod ad angelos attinet,* i. e. *de angelis :* cf. Beel., Gramm. græc. N. T. p. 436.

Qui facit etc., e Ps. CIII, 4. Contextus ibidem, et locus parallelus Ps. CXLVIII, 8, clare demonstrant verba illa in Psalmo ita intelligenda esse : *qui facit ut venti sint angeli seu nuntii sui, et ut fulgura* (flammæ ignis, ignes flammantes) *sint ministri sui.* Hic autem sensus ad contextum s. Pauli sic accommodatur : si Deus facit ut venti et fulmina, ceteræque creaturæ, etiam irrationales atque inanimæ, sint ministri sui sicut angeli : sequitur, Christum, creaturarum omnium Dominum, longe superiorem esse angelis, qui non sunt nisi ministri Dei quemadmodum creaturæ quævis irrationales. Attamen, verba illa menti ac fini auctoris magis directe conveniunt, si amplectamur sensum quem LXX Interpretes omnino tenuisse videntur, nimirum : *qui facit ut angeli sui sint spiritus* (celeres ut spiritus, ut venti), *et ministri sui sint flamma ignis* (ardentes et actuosi sicut fulmina). Etenim versio Septuagintaviralis, quum articulum ante αγγελους *angelos* et λειτουργους *ministros* ponat, has voces tamquam regimina et objecta verbi *facit* habet, πνευματα (*spiritus*) autem et πυρος φλογα (*flammam ignis*) absque articulis, tamquam attributa vel prædicata nominum *angelos* et *ministros* exhibet.

8 ignis. * Ad Filium autem : Thronus tuus Deus in sæculum sæculi : virga æquitatis, virga
9 regni tui. * Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus

sint vehementes sicut fulmina; [8] verum Filius manifesto vocatur Deus et rex supremus, nimirum ubi Psalmista ita Christum alloquitur : *Thronus tuus, o Deus, in omnem permanebit æternitatem; cum perfectissima regnabis æquitate ;* [9] *justitiam enim prosequeris, iniquitati autem adversaberis : ideo majore te quam ceteros reges perfundet lætitia ac gloria*

8. Autem notat antithesim ad versum præcedentem; angeli sunt tantum ministri Dei, Christus autem est ipsemet Deus. Ad Filium autem. *Filius* intelligitur incarnatus, seu Christus, Messias. Allegatur Psalmus XLIV, 7, qui est epithalamium connubii spiritualis Christi cum sponsa ejus Ecclesia, sub figura matrimonii Salomonis cum filia Pharaonis. Comparatio autem, seu allegoria, qua per unionem conjugalem describitur Dei necessitudo cum populo ab ipso electo, Israelitico et christiano, necnon cum singulis hominibus justis, in ss. Literis usitatissima est : cf. Ephes. V, 25-27.

Thronus tuus, Deus, etc. : ὁ Θεος in nominativo cum articulo sumitur tamquam vocativus (vide plura exempla illius usus apud *Beelen, Gramm. græc. n. T.* § 29). Plane violenta est explicatio quorumdam interpretum, qui hebræum ita reddunt : *thronus tuus est Dei thronus,* i. e. *est divinus.* Rem plenius explicavi in Comm. meo Psalmorum, ed. 1886. Iterum animadverte Christi divinitatem apertissime doceri.

9. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem : sententia repetitur per antithesim, ut major sit emphasis. Dilexisti, odisti, unxit, sunt præterita prophetica pro futuris : Psalmista rem futuram videt tamquam jam sit transacta; quod quidem maximam eventus futuri denotat certitudinem.

Propterea unxit te Deus : *quia dilexisti justitiam..., ideo* (δια τουτο) *unxit te Deus;* non, ut quidam volunt : *dilexisti justitiam propterea quod unxit te Deus.* Verba *diligere* et *odisse* non solum de affectu, sed etiam de effectu intelligi debent; ideo dico in paraphrasi *justitiam prosequeris* et *iniquitati adversaberis.* — Unxit te... oleo exultationis, metaphora in ss. Paginis sæpe usurpata, quæ significat : *magnam tibi largietur lætitiam, felicitatem, gloriam* etc.

Præ participibus tuis, comparativus more Hebræorum expressus, pro : lætitiam tibi majorem quam participibus tuis impertiet, i. e. quam æqualibus tuis, collegis tuis.

Christus autem ita unctus fuit a primo Incarnationis momento, quoniam

10 tuis. * Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt cœli.
11 * Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimen-
12 tum veterascent: * et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et

Deus, Deus tuus amantissimus. [10] Deinde, de eodem Christo canitur: *Tu, Domine, in principio, quando nulla adhuc existebat creatura, omnes mundi universi partes, cœlum terramque, ex nihilo creasti.* [11] *Et, quando mundus creatus statuto tempore peribit, tu permanebis, adeoque æternus eris. Utique creaturæ mundi universi tamquam vestimentum vetustate deterentur atque dilabentur:* [12] *seu potius, eas quondam involves et mutabis, quemadmodum pallium vetustum volvitur et novo commutatur: tu autem non senesces nec debilitaberis, sed idem semper eris,*

humana ejus natura summam adepta est excellentiam per unionem hypostaticam cum divinitate: verumtamen, nonnisi post mortem et resurrectionem Christi plene evoluta et ad actum deducta fuit illa excellentia, quando ejus humanitas propter merita passionis et mortis glorificata est.

10-12. In his verbis Psalmi CI, 26-28, Jehovah ut creator omnium et æternus describitur: quod autem ibidem de Jehova dicitur, illud Apostolus de Christo intelligit; vide supra annot. ad v. 6.

Et: Tu in principio: *et* inducit novam citationem. In principio, hebr. *ante*, i. e. ante omnia, quando nihil erat præter Deum. Terram... cœli: hac duplici parte rerum universitatem designat. Fundasti, pro *formasti, creasti, esse fecisti;* addidi in paraphrasi *ex nihilo*, quod concluditur ex eo quod Deus cœlum et terram creavit *in principio*, quando nihil erat.

11. Peribunt, non quoad substantiam, sed quoad formam externam, ut innuit sequens comparatio, et ut docetur Rom. VIII, 21. Igitur sensus verbi *peribunt* est *mutabuntur*.

Ut vestimentum veterascent, et (quod mente supplendum est) deterentur, adeo ut ea renovare oporteat.

12. Velut amictum: περιϐολαιον, *pallium*, seu vestis qua corpus totum circumdatur (περι *circa*, et ϐαλλω *jacio*), quæque facile induitur et deponitur. Pulcherrima habetur comparatio in hoc quod mundus universus dicatur splendida quædam Dei vestis; cujus quidem sensus est, gloriam Dei in operibus ejus manifestissime et perfectissime relucere. Eodem sensu Ps. CIII, 1 Jehovam alloquens psaltes: *Confessionem*, ait, *et decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento.*

Mutabis, refert lectionem αλλαξεις, quæ habetur in cod. I, et in itala; verum correctio videtur ex Ps. CI, 28, ubi in hebræo reipsa est *mutare*. In

13 anni tui non deficient. * Ad
quem autem angelorum dixit
aliquando: Sede a dextris meis,
quoadusque ponam inimicos
tuos scabellum pedum tuorum?
14 * Nonne omnes sunt administra-
torii spiritus, in ministerium

neque umquam desines esse. [13] Tandem, ad eumdem Christum talia diriguntur verba qualia ad nullum umquam angelorum dicta sint: *Sede,* ait ei Deus Pater, *a dexteris meis, mecum gloriose regna in cœlis: tibi omnes hostes tuos perfectissime subjiciam.* [14] Angelis autem ista nequaquam conveniunt: etenim, non sunt reges totius mundi, sicut Christus,

hoc autem loco epistolæ textus primitivus probabiliter est ἑλίξεις, *involves,* sc. sicut pallium involvitur, quando non amplius adhiberi potest propter vetustatem; tunc aliud assumitur (ET MUTABUNTUR, vera lectio). Imago illa de involvendis cœlis solet referri ad librum, ut Apoc. VI, 14 *Et cœlum recessit sicut liber involutus,* et Is. XXXIV, 4. Sensus tunc profundior est, nempe cœlum esse librum quemdam admirabilem, digito Dei exaratum, in quo nomen Dei atque divina attributa literis pulcherrimis et splendidissimis scripta sint, quem quidem librum docti æque ac indocti legere possint et debeant: in fine autem mundi, quando cœli peribunt, involvendum esse librum, quoniam nec mortales amplius futuri sint qui legant. — Notum est apud veteres fuisse consuetudinem *volvendi* libros.

13. SEDE A DEXTRIS MEIS. Quod v. 3 jam affirmaverat, id nunc vaticinio manifesto probat, e Ps. CIX, 1. QUOADUSQUE PONAM etc. Adverbium *quoadusque* non excludit tempus termino illo posterius; postquam enim omnes Christi inimici perfecte ei subjecti erunt, nequaquam desinet Christus sedere a dextris Dei Patris. Sensus est: *te regni mei socium constituo, et tibi quondam plene subjiciam omnes hostes tuos.* Eodem modo ahibetur adverbium ἕως, *donec,* apud Matth. I, 25.

Psalmum autem CIX esse Messianicum, probatur ex Matth. XXII, 43; cf. etiam annot. ad Act. Ap. II, 35, et 1 Cor. XV, 25; præsertim vero nostrum Comm. in Psalmos, ed. 1886.

PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM, dictio est metaphorica, ex Orientalium moribus deducta, pro *perfecte subjiciam.* Hæc autem plena subjectio, in fine mundi, quando ultimus hostis, mors ipsa, devictus erit, continget.

14. Antithesis est versus præcedentis: Christus regnat cum Deo, angeli autem sunt Dei ministri, adeoque Christo inferiores; proinde lex vetus, ab angelis promulgata, inferior est lege nova a Christo data.

IN MINISTERIUM MISSI: αποστελλομενα, est part. præs. quod actum continua-

missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

CAPUT II.

1 * Propterea abundantius oportet observare nos ea, quæ audivi-
2 mus ne forte pereffluamus. * Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et om-

sed summi regis ministri, quibus Deus opera sua perficienda committit, præsertim in gratiam eorum qui salutem adepturi sunt.

[1] Quum igitur Christus adeo superior sit angelis, oportet ut Evangelium magis quam legem veterem, ministerio angelorum traditam, observemus; nisi certo perire velimus. [2] Etenim, si lex vetus, quæ per angelos promulgata fuit, talem habuit sanctionem, ut unamquam-

tum designat. Propter eos qui hereditatem capient salutis. Si, ut videtur, intelligantur tantum prædestinati ad gloriam, inde tamen concludi nequit solis prædestinatis deputari angelum custodem; nam aliud est dicere *angeli mittuntur in gratiam salvandorum*, aliud vero: *ad solos salvandos mittuntur*; finis sane angelicæ custodiæ salus æterna hominum est. De *angelis custodibus* cf. Perr., De Deo creat., n. 43 sqq. Videsis Brev. Rom. ad fest. ss. Ang. cust. 2ª Oct., ubi inter alia citatur sermo pulcherrimus s. Bern. in Ps. 90. Omnia officia nostra ibi ad tria illa reducuntur: " Reverentia pro præsentia, devotio pro benevolentia, fiducia pro custodia. "

1. Propterea, concludit ex præcedentibus: si, ut demonstratum est, Christus angelis adeo excellentior est, lex ejus evangelica firmius tenenda est quam lex Mosaica, quæ per angelorum ministerium nuntiata fuit.

Abundantius: mente supplendum est alterum comparationis membrum. Ea quæ audivimus, Evangelium nobis prædicatum. Ne pereffluamus, παραῤῥυῶμεν, *præterfluamus*, i. e. *pereamus* (s. Chrys.), metaphora deducta ab aquis quæ præterfluunt ac dilabuntur (cf. 2 Reg. XIV, 14).

2. Qui per angelos dictus est sermo, puta, *lex Mosaica*. Hæc autem dicitur *per angelos* promulgata, vel quia ministerio angelorum sibi adstantium atque fulgura vibrantium usus est Jehovah, quando in Sinai apparuit ac legem Moysi dedit (secundum sententiam eorum qui docent in theophaniis veteris Testamenti ipsum Deum apparuisse); vel quia non ipse Jehovah, sed angelus quidam creatus, qui Dei personam gerebat, tamquam ejus legatus, legem Sinaiticam promulgavit (in sententia eorum qui negant Deum ipsum visum fuisse). Ad me quod attinet, fateor in hac secunda sententia firmiorem esse vim apostolici ratiocinii, quo antithesis inter angelos et Christum describitur. De cetero, cf. diss. specialem quam de Theophaniis sub V. T. dedimus in append. ad calcem comm. nostri in Act. Ap. 4ª ed. — Factus est firmus, *confirmatus, sancitus est gravissimis pœnis*.

nis prævaricatio, et inobedientia accepit justam mercedis retri-
3 butionem : * quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos
4 confirmata est, * contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

que prævaricationem et contumaciam secuta sit pœna lege statuta: [3] quomodo nos pœnam effugiemus, si Evangelii legem, nobis tam utilem ad salutem, abjiciamus? eo vel magis quod per Christum primum promulgata, deinde nobis per eos qui ipsum Christum audierunt, cum omni certitudine annuntiata fuerit; [4] quodque illorum testimonium adhuc certius redditum fuerit a Deo per multa variaque miracula, et per charismata illa portentosa quæ Spiritus sanctus pro arbitrio suo huic vel illi identidem concedit.

Analysis logica cap. I—II, 4.

Christus, per quem data est lex nova, longe superior est angelis, quorum ministerio lex vetus fuit promulgata : cap. I, 1-14.

— Et omnis etc.: *et* valet *adeo ut.* Mercedis retributionem, per catachresin, pro *pœnæ irrogationem.*

3. Effugiemus, supple: *justam pœnam.* Hanc sententiam plenius exponit infra X, 26-31. Salutem: effectus pro causa, *doctrinam salutis,* Evangelium. Quæ cum etc.: certitudinem hujus doctrinæ salvificæ significat, ut obligationem ejus magis urgeat. In nos : noli inde cum Cajetano concludere, hanc epistolam Paulo adscribendam non esse : potuit enim auctor ita loqui *communicative,* ex modestia se consocians iis ad quos scribit, eo vel magis quod ipse etiam ex ore s. Petri aliorumque Apostolorum certe multa didicerit. In nos confirmata est, prægnans dictio : nobis tradita est, et cum magna quidem firmitudine seu certitudine.

4. Explicat quod dixit *confirmata est.* Contestante Deo, *συνεπιμαρτυρουντος, simul cum ipsis* (*συν*) *testante Deo;* adeo ut duplex fuerit Evangelii testimonium, humanum per Apostolos, et divinum per miracula. — Signis, et portentis, et virtutibus : triplici vocabulo miraculorum multitudinem atque diversitatem designat, ut Act. Ap. II, 22. Spiritus sancti distributionibus, charismatibus seu gratiis miraculosis gratis datis, quas Spiritus sanctus largitur variis varias, secundum suam voluntatem, *prout vult.* Cf. 1 Cor. XII, 11.

Probatur ex eo quod secundum s. Scripturam Christus 1° sit Filius Dei, v. 4, 5; 2° ab angelis adorandus, v. 6; 3° imo verus Deus, creator rerum omnium, æternus et immutabilis, v. 8-12, regno Dei Patris consociatus, v. 13. — Angeli, contra, secundum easdem ss. Literas, non nisi *ministri* Dei sunt, v. 7, 14.

Conclusio practica: si Christus angelos adeo antecellit, oportet ut Hebræi legi ejus adhæreant, potius quam legi Mosaicæ, quæ per angelos promulgata fuit; secus enim graviores incurrent pœnas, quam ii qui legem Moysis violarunt. Cap. II, 1-4.

§ 2. *Christus, non vero angeli, in mundum novum dominatur, et per passionem quidem hanc excellentiam obtinuit.*

CAP. II, 5 — 18.

5 * Non enim angelis subjecit
Deus orbem terræ futurum, de
6 quo loquimur. * Testatus est
autem in quodam loco quis, di-

[5] Legem igitur Christi oportet nunc custodire, potius quam legem veterem ab angelis promulgatam: quod confirmatur ex eo quod Scriptura testetur mundum, ultima hac revelationis ætate, non angelis, sed Christo a Deo subjectum fuisse. [6] In quodam enim loco aliquis auctor sacer, loquens

5. In hac parte, cap. II, 5-18, quæ cum præcedentibus arcte connectitur, exponitur sententia fundamentalis paragraphi primi: Christum, non vero angelos, mediatorem esse ac moderatorem novi Fœderis, adeoque mundi novi per Incarnationem regenerati. ENIM refertur ad v. 2 *si, qui per angelos dictus est sermo*, etc., et ad v. 3 *per Dominum;* quasi diceret: lex nova per Dominum data est, non sicut lex vetus per angelos: etenim mundus novus, a Christo instauratus, non angelis, sed Christo subjectus est. ORBEM TERRÆ FUTURUM DE QUO LOQUIMUR, mundum christianum, regnum Messiæ, seu mundum inde ab adventu Messiæ, universam novi Testamenti ætatem. Hunc autem mundum *futurum* vocat Apostolus, quamquam jam inceptus erat, quoniam in vetere Testamento sese sistit dum ratiocinatur: cf. infra VI, 5 et IX, 9, 11; X, 1.

6. IN QUODAM LOCO QUIS: scribit ad Hebræos veteris Testamenti peritissimos, ideo tam indeterminate tamque frequenter testimonia sacra

cens: Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis
7 quoniam visitas eum? * Minuisti eum paulominus ab angelis: gloria et honore coronasti eum: et constituisti eum super opera

de homine in perfectione creationis considerato, adeoque præsertim de Christo, homine perfectissimo, exclamat: *O quam parvus est homo si cum immensitate cœli comparetur! Quam parum dignus ut tu, Deus, tot et tantis eum exornes beneficiis!* [7] *Eum ad breve tempus angelis inferiorem facis, sed mox gloria et decore eum coronas; imperium in omnes creaturas ei concedis;*

allegat. QUID EST HOMO etc., e Ps. VIII, 5-7. Psalmista canit eximiam Dei benignitatem erga hominem, proinde insignem hominis excellentiam, ejusque super omnes creaturas terrestres auctoritatem et præstantiam. Itaque, loquitur de homine in statu perfectionis, ut erat ante peccatum originale, quando factus est ad imaginem et similitudinem Dei, et præerat *piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ* (Gen. I, 26): atqui talis est κατ' ἐξοχην Christus, homo-Deus, cui omnes obediunt creaturæ, qui est imago Dei absolutissima et substantialis, cujusque perfecta dominatio maxime apparebit in fine seculorum, quando creatura mundi physici a servitute peccati et corruptionis liberata erit (cf. Rom. VIII, 21), atque omnia Christo perfectissime subjicientur. Ergo, Psalmus VIII, 5-7 sensu literali sublimiore de Christo intelligendus est. Cf. comm. nostr. Psalmorum, ed. 1886.

MEMOR ES EJUS, idem ac *visitas eum*, ut ex parallelismo membrorum poetico eruitur; sensus est: beneficia magna ei concedis.

7. PAULOMINUS βραχυ τι videtur Apostolus intellexisse *ad breve tempus* (cf. v. 9), puta, tempore vitæ mortalis; sed in Ps. VIII sensus literalis est: *fecisti eum paulo inferiorem angelis*, adeo ut *paulo minus* referatur, non ad tempus, sed ad dignitatem. Quasi diceret Psalmista: eximia ei largitus es beneficia; etenim eum angelis ferme æqualem fecisti. Igitur s. Paulus non sensu literali hæc verba interpretatur, sed ex iis per ratiocinationem deducit sensum ad finem suum magis convenientem, hoc modo: Christus, ut homo, factus est angelis fere æqualis, ergo erat eis paululum inferior, sed nonnisi per vitam mortalem mansit ista humilis conditio, ergo ad breve tempus eis inferior fuit.

GLORIA ET HONORE CORONASTI EUM: intelligit Christi glorificationem post brevem vitæ mortalis ignobilitatem; in Psalmo autem directe, secundum sensum literalem, significatur hominis excellentia etiam in vita præsenti. ET CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM: hæc omittuntur in codd.

8 manuum tuarum. * Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus
9 omnia subjecta ei. * Eum autem, qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum : ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

[8] *omnes potestati ejus perfecte subjicis.* Ex iis verbis concludimus hunc mundum Christo subditum esse : nam si *omnes creaturas*, ut ait Scriptura, ei subjecit Deus, nihil est quod non sit subjectum ei. Verum quidem est nondum constare ei omnia subjecta esse de facto, [9] sed id quondam futurum esse colligimus ex eo quod prima prophetiæ pars jam eventu confirmata sit : novimus enim eum (Jesum), tempore vitæ mortalis tantisper angelis inferiorem, post resurrectionem gloria et honore in cœlis coronatum fuisse : quam quidem glorificationem per tormenta mortis suæ meritus est. Ex gratuita enim Dei Patris bonitate, factus est homo, angelis inferior, ut pro omnibus hominibus mortem subiret.

BD***KL, apud s. Chrys. etc.; leguntur autem in Sin. ACD*E*M : forte sunt glossema ex Ps. VIII.

8. In eo enim etc. Ex allatis verbis Psalmi VIII, præsertim ex adjectivo *omnia*, concludit Christo subjectum esse mundum novum; igitur probat quod asseruit v. 5; ideo ponit *enim* γαρ.

Nunc autem necdum videmus etc. Objectionem præoccupat hanc : sed experientia quotidiana constat nequaquam omnia Christo nunc esse subjecta; contra, multi homines ei adversantur. Respondet, priorem oraculi partem *gloria et honore coronasti eum* jam confirmatam esse per Christi resurrectionem et gloriosam ascensionem : ex eo autem eventu certiores nos reddi etiam alteram prophetiæ partem *omnia subjecisti sub pedibus ejus* suo tempore perficiendam esse.

9. Propter passionem mortis, necte cum sequentibus *gloria et honore coronatum* (ordo verborum non patitur ut ista referamus ad præcedentia *minoratus est*), adeo ut aperte doceatur Christum sibimet ipsum meruisse gloriam : cf. Phil. II, 9, 10; Luc. XXIV, 26.

Ut, gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem, videtur pendere a verbis *modico quam angeli minoratus est;* et, secundum hanc sententiam, auctor explicat quem in finem Christus per suam Incarnationem paulisper angelis inferior factus fuerit. Humilitas Christi in carne poterat esse Judæis scandalum ; ideo ostendit divinæ sapientiæ congruum fuisse, ut Christus fieret homo passibilis, et mortem subiret. Gratia Dei : *per gratuitam Dei bonitatem* incarnatus est, ut vice omnium mortem pateretur. Pro omnibus :

10 * Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis

[10] Quod quidem neminem offendere debet : decebat enim ut Deus Pater, rerum omnium finis et principium, qui tali modo multos homines filios suos

υπερ παντος pro omni, quod potest sumi in masculino genere *pro omni et unoquoque homine*, quo casu mors Christi vicaria pro salute omnium omnino hominum affirmatur (1 Tim. II, 4 sqq.); vel potest sumi in neutro genere : *pro omni re, pro universi mundi regeneratione.*

GUSTARET MORTEM : *gustare*, ut alibi *videre*, per hebraismum, sign. *experiri, pati.* Præclare Theoph. : " Sicut medicus, ait, cum videt ægrotum fastidire cibos et pharmaca, prior ipse ea sumit, ut ægrum ad eadem sumenda adducat : ita Christus prior gustavit mortem, ut eam gustare non horreat christianus. "

10. Removet scandalum quod esse poterat in eo quod Christus, Dei Filius, factus sit angelis minor, vitamque duxerit mortalem, passibilem, miseram et ignominiosissimam ; eo vel magis, quod Judæi Messiam exspectarent regem potentissimum et gloriosissimum.

DECEBAT. Deus sane perfecta libertate egit in opere Redemptionis : potuisset hominem non liberare, vel alio modo liberare ; sed, ut ait s. Aug. (De Trin. 13, 10, 13), *Sanandæ nostræ miseriæ non fuit alius modus congruentior.*

EUM PROPTER QUEM OMNIA, sc. Deum Patrem, qui rerum omnium est causa finalis ; ET PER QUEM OMNIA, idemque causa effectrix. Dictio *per quem omnia, δι' οὑ τα παντα,* alibi semper in novo Testamento de Filio adhibetur (1 Cor. VIII, 6 etc.) ; de Deo Patre autem plerumque dicitur *ex quo, εξ οὑ* (ib. et Rom. XI, 36).

QUI ADDUXERAT. Græce est part. aor. in accusativo *αγαγοντα*, quod Estius ad *auctorem salutis* refert ; id rejiciunt plures, tum quia vim infert constructioni phraseos (præsertim propter artic. ante *αρχηγον auctorem*), tum quia homines non nisi respectu Dei Patris *filii* vocari solent (sed v. 13 habetur exceptio quædam). Si autem participium illud referimus ad *eum per quem omnia*, magna est difficultas in aoristo, quem Vulgata reddit per *adduxerat :* hic enim non quadrat notio præteriti temporis, nisi intelligamus cum Estio sanctos veteris Testamenti ; verum sensus Estii parum probabilis est, præsertim ob verba quæ sequuntur, sc. *auctorem salutis eorum*, quibus sancti novi Testamenti ante omnes alios significantur. Istam autem difficultatem solvunt s. Thomas, Erasmus et Klee, aoristum explicantes de conatu, aut decreto faciendi id quod verbum exprimit, hoc modo:

eorum per passionem consummare. * Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos

11 mare. * Qui enim sanctificat,

reddebat atque ad gloriam cœlestem ducebat, eorumdem Salvatorem Christum, per passionem mortis, in humana natura toleratæ, ad gloriam pervenire faceret. [11] Nam convenit ut pontifex qui sanctificat, et populus qui sanctificatur, sint ex uno eodemque genere humano; proinde decebat ut Christus esset homo passibilis, sicut ceteri homines. Et re quidem vera, non erubescit eos *fratres* suos appellare, dicens ore

qui adducere decreverat, volebat, aut quid simile; illud admitterem, si exempla quædam certa hujusmodi usus possent afferri : loca ad Eph. II, 5, 6 et Rom. VIII, 30 plane similia non videntur. Itaque mihi magis arridet sententia, quæ dicit aoristum non semper tempus præteritum designare, sed posse indicare aliquid quod simultaneum est cum verbo sequenti : igitur αγαγοντα denotat modum quo fit id quod significatur per aor. infin. τελειωσαι *consummare,* nulla habita ratione temporis, hoc sensu : *decebat ut Deus, qui tali modo multos filios ad salutem vocabat, Christum eorum Salvatorem per passionem ad gloriam pervenire faceret.*

Consummare, *perficere, ad finem suum perducere;* si agatur de hominibus, sensus est *eos salvare, ad cœlum ducere* (infra VII, 11, 19; IX, 9 etc.); si, ut hic, dicatur de Christo, significat: *naturam ejus humanam glorificare in cœlis.*

11. Probat et explicat (*enim,* γαρ) quod dixit, conveniens fuisse ut Christus homines salvaret per passionem et mortem, proindeque eamdem cum eis naturam humanam miseram indueret, atque adeo per breve tempus angelis esset inferior. Congruentia autem illa in hoc consistit, quod conveniens sit ut pontifex qui sanctificat, et populus qui sanctificatur, eamdem habeant naturam et conditionem : quare? quia pontifex ad misericordiam magis commovetur, si ipse malorum haud ignarus fuerit (v. 17, 18; cf. IV, 15; V, 1 sqq.). Præter hanc rationem ab ipso Apostolo traditam, possemus et alias efferre, v. gr. : secundum Dei justitiam decebat ut homo pro peccatis suis puniretur, adeoque pœnas quasdam pateretur; proinde, decebat ut Christus, qui venerat peccata ista auferre, vice hominum pateretur, atque igitur homo esset passibilis ac miser.

Ex uno, vel patre Adamo (*uno* in masculino genere), vel ex una stirpe, una conditione (*uno* in neutro). — Fratres. Si Christus homines vocat *fratres,* patet ipsum esse hominem ejusdem cum ipsis naturæ, ex una eademque stirpe, ejusdem conditionis.

12 vocare, dicens : * Nunciabo nomen tuum fratribus meis : in
13 medio ecclesiæ laudabo te. * Et iterum : Ego ero fidens in eum. Et iterum : Ecce ego, et pueri mei, quos dedit mihi Deus.

prophetæ : [12] *Prædicabo te* (o Deus) *fratribus meis; in medio cœtu eorum laudabo te.* [13] Et alibi se annumerat hominibus afflictis qui ad Deum confugiunt, quando ait : *Ego sperabo in eum* (Deum). Rursum in alio loco homines a se sanctificandos vocat filios suos : *Ecce ego,* inquit, *et filii mei,*

12. Citatur Ps. XXI, 23, qui manifesto propheticus est de Messia, saltem in sensu typico (quatenus Davidis ærumnæ et vexationes figuræ essent passionum Christi), imo hic illicve in sensu literali; nimirum, quando verba in sensu proprio Davidi minus conveniunt, quo casu Psalmista dicendus est a typo ad antitypum transiisse. Cf. comm. nostr. Psalmorum, 3ª ed. 1886.

13. Ego ero fidens, etc., ex Is. VIII, 17, vel ex Ps. XVII, 3. Vis est in fidens : si enim Christus dicitur *fidere* in Deum, fatetur se Dei auxilio egere, adeoque se esse creaturam miseram, quemadmodum homines mortales. Loquitur Isaias vel Psalmista tamquam figura Christi; igitur sensu mystico citantur verba ista, ut etiam hæc : Ecce ego, etc. ex Is. VIII, 18.

Pueri, *filii,* non *servi :* intelligit propheta filios suos carnales; ad Christum autem quod spectat, filii ejus sunt spirituales, per regenerationem fidei suscepti. Verum objicitur, si de filiis carnalibus non intelligatur Isaias, ex eo non probari Christum esse naturæ et conditionis humanæ participem; ex verbis autem *dedit mihi Deus,* solummodo sequi Christum habuisse aliam naturam præter divinam, quemadmodum etiam ex priore testimonio *Ego ero fidens in eum* id tantum erui possit.

Ad hanc difficultatem respondeo : per gratiam sanctificantem, homo unionem quamdam ineffabilem contrahit cum Christo, non solum tamquam Deo, sed etiam tamquam homine; adeo ut, quando quis regeneratur in Christo, peculiarem accipiat participationem cum Christi natura humana; quæ quidem participatio perficitur in susceptione ss. Eucharistiæ; quo sensu etiam dicitur, ex Christi resurrectione et glorificatione concludi posse ad certam justorum resurrectionem gloriosam (cf. annot. in 1 Cor. XV, 12); atque tandem, aperte s. Paulus Eph. V, 30 *Sumus membra,* ait, *corporis Christi, de carne ejus et de ossibus ejus.* Jam vero, si homines justi aliquatenus participes sint naturæ Christi humanæ, vicissim Christus participavit naturam hominum passibilem; aliis verbis : siquidem homines

* Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum : * et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.

quos dedit mihi Deus. [14] Filii isti sane intelliguntur homines mortales et passibiles : ipse igitur, cujus sunt filii, fuit etiam homo mortalis ac passibilis. Et convenienter fuit, ut, mortem sufferens vice omnium, potestatem destrueret vi cujus diabolus mortem omnibus inferebat ; [15] atque ita liberaret eos a diabolo, in cujus nimirum servitute erant per totam vitam, quum mortem semper timere deberent.

justi sunt filii Christi in sensu vero et proprio (quamquam non crudo nimisque carnali), Christus naturam humanam assumpsisse supponitur.

14. Ergo. Quia justi, quos dedit ipsi Deus tamquam filios, sunt homines passibiles et miseri : ideo ipse, tamquam eorum pater, similiter fuit homo miser et passibilis. S. Aug. (in Ps. 118, Serm. 16, 6) : " Non efficeremur " participes divinitatis ejus, nisi ipse mortalitatis nostræ particeps fieret. "

Mortis imperium dicitur habere diabolus, quia auctor est peccati, et proinde mortis quæ est præcipuus peccati effectus. Sap. II, 24: *Invidia diaboli mors introivit in orbem.* Unde Joan. VIII, 44 diabolus dicitur *homicida ab initio.*

Destrueret diabolum : καταργηση, *inanem, impotentem redderet* (αργειν, i. e. αεργον ποιειν), i. e. destrueret imperium ejus, sublata ejus causa, peccato; unde et effectus aufertur, mors.

15. Christus, ait, per mortem suam vicariam, nos a morte physica liberavit : sed quomodo id effecisse dici potest, siquidem mortem non effugimus ? Respondeo : Christus principium seu semen vitæ nobis indidit in nostra regeneratione, quod quidem semen suo tempore germinabit immortalitatem : adeo ut mors physica, quod attinet ad justos, mutata sit in vitæ veræ, perfectæ, gloriosæ initium ; ob hanc scilicet causam : eorum peccata fuerunt per Christi merita deleta ; ideoque mors ipsis non est amplius peccatorum pœna, sed mercedis gloriosæ materia atque occasio. Quamobrem mors ipsis non est metuenda : non enim amplius sunt servituti dæmonis et mortis obnoxii.

S. Hilarion (ap. s. Hier.) moriturus sibi ipse dicebat : *Egredere, anima mea : quid times ? Septuaginta prope annis Christo servivisti, et mori times ?*

16 * Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ
17 apprehendit. * Unde debuit per omnia fratribus similari, ut mi-

[16] Dixi Christum ideo fuisse hominem mortalem et passibilem, quia homines passibiles et mortales venit salvare: nusquam enim in vetere Testamento legitur angelis salutem ejus promitti, sed posteris Abrahæ (adeoque hominibus). [17] Igitur hominibus, tamquam fratribus suis, debuit per omnia similis esse, ut non ignarus malis miseriis homi-

S. Cyprianus, et post ipsum s. Ambrosius, libros valde præclaros conscripserunt *De bono mortis*, in quibus multis argumentis demonstrant, christianis haudquaquam timendam esse mortem. Idem docet s. Hier. in epist. consolatoria ad Heliod. (*Grandes*), et in ep. ad Paulam, super obitu filiæ. Juvat notare, per solam religionem christianam, atque status gratiæ fiduciam, terrores mortis sedari posse: omni igitur carnifice crudeliores sunt viri illi pessimi (vulgo vocantur *les Solidaires*), qui sibi aliisque solatia et auxilia præripiunt, quæ contra mortis formidinem per exeuntium Sacramenta mortalibus affert sancta ac vera nostra religio.

Cl. Drach hunc versum intelligit de Judæis, qui obnoxii erant servituti legis Mosaicæ, et contra quos lex pœnam mortis toties statuebat. Verum prior sententia, quam amplectimur in paraphr., magis obvia est, et tenetur a s. Chrys., Estio, Bisp., Beel. etc.

16. Enim rationem reddit quare Christus participavit carnem et sanguinem (v. 14), seu humanam assumpsit naturam infirmam et passibilem: venit enim salvare homines passibiles, non autem angelos incorporeos.

Nusquam, sc. in vetere Testamento, apprehendit, *legitur apprehendisse*. Auctores sacri sæpe dicunt aliquid fieri, quando in s. Scriptura legitur. *Apprehendere*, sign. *manu prehendere, adjuvare ;* non autem, *naturam assumere*.

Semen Abrahæ, ait, loco *semen Adami*, vel *humanum genus ;* quia respicit ad promissiones Abrahæ factas (Gen. XII, 3 etc.), et quia ad Hebræos Abrahæ posteros scribit.

17. Debuit, *conveniens fuit*, cf. v. 10. Per omnia, *absque peccato* et absque concupiscentia quæ ad peccatum trahit: infra IV, 15. Excipiuntur, ut docet s. Thom. p. 3, q. 14, a. 4, defectus qui repugnant perfectioni scientiæ et gratiæ, sicut ignorantia, proclivitas ad malum et difficultas ad bonum. Excipiuntur etiam, ut pergit ille, defectus qui non consequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parentis, sed

sericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret de-
18 licta populi. * In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.

num succurrere disceret, et fieret pontifex fidelis, talis qui ad Deum supplex accederet, ut remissionem peccatorum et pœnarum condonationem, eis obtineret. [18] Quoniam enim ipse multa passus est, magis idoneus fuit qui miserias aliorum doleret eisque succurreret.

Analysis cap. II, 5-18.

Christum angelis superiorem esse probavit in § 1 ex eo quod ipse sit Deus, in cœlis regnans cum Deo Patre; inde concludendum est ipsum esse mundi dominatorem : hanc autem conclusionem nunc in § 2 e Ps. VIII explicite demonstrat, v. 5-8.

Deinde tacitæ respondet objectioni, quæ contra Christi dignitatem et præstantiam ex humili ejus conditione in terris atque ignominiosa morte desumi poterat. Ostendit igitur decuisse ut Christus per breve tempus angelis inferior esset ; quia, quemadmodum prædictum erat (Ps. XVI et XVII, necnon Is. VIII), debuit esse homo passibilis, ejusdem naturæ ac ceteri homines, ut vice ipsorum mortem subiret, et, malorum non ignarus, miseris succurrere disceret, adeoque aptissimus esset hominum pontifex, v. 9-18.

causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, sicut lepra, et morbus caducus etc.

Ut misericors fieret : miserorum miseretur facile qui et ipse miser fuit. Fidelis pontifex ad Deum : *τα προς τον Θεον*, *in iis quæ sunt ad Deum* (cf. V, 1), quæ apud ipsum agenda sunt pro hominibus, nimirum *repropitiare delicta populi,* i. e. expiare peccata, puta, eorum quibus ipsius merita de facto applicantur, quique *populum Dei* electum constituunt.

18. In eo enim in quo passus est etc., *ex eo quod* seu *quum ipse passus sit,* utpote *tentatus* (deest conjunctio *et* in textu primigenio), *πειρασθεις* (gall. *ayant été éprouvé,* sc. *par les souffrances de sa passion*). *Tentatio* hic intelligitur perpessio doloris, laboris, mortis etc. Eodem sensu dicit s. Jacob. I, 2 : *Omne gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis.* Sententia hujus v. 18 plenius exponitur IV, 15 et V, 2.

§ 3. *Moyse excellentior est Christus : huic igitur fideliter est obediendum.*

III — IV, 13.

1 * Unde fratres sancti, voca-
tionis cœlestis participes, consi-
derate apostolum, et pontificem
2 confessionis nostræ Jesum : * qui
fidelis est ei, qui fecit illum,
sicut et Moyses in omni domo
3 ejus. * Amplioris enim gloriæ

[1] Quum igitur Christus sit pontifex noster fidelis et misericors, adhortor vos, fratres in Christo, qui salutis christianæ participes facti estis, ut pontificem illum et apostolum fidei nostræ attente inspiciatis, eique fideles maneatis. [2] Ipse enim fideliter adimplet munus sibi a Patre concreditum, quemadmodum Moyses, ut testatur Deus, per omnia fidelis fuit in domo ipsi subjecta, i. e. in regimine populi ipsi commissi. [3] Christo autem, potius quam

1. Unde, nectit cum præcedentibus, præsertim cum v. 17 : supra ostendit Christum angelis esse præstantiorem, nunc eum Moyse excellentiorem declarat, quod quidem jam in superioribus implicite continetur : nam a fortiori Moysen superat qui angelis prævalet. Vult ut inde concludant Hebræi, legi Christi, non legi veteri, fideliter adhærendum esse.

Fratres, *christiani*. Sancti, sanctificati per Baptisma, seu participes *facti* vocationis cœlestis, salutis christianæ, quæ venit e cœlo et in cœlum conducit. Christiani solent vocari *sancti :* Act. IX, 13; Rom. I, 7; 1 Cor. I, 2.

Apostolum confessionis nostræ, qui *missus est* (απο et στελλω) a Patre ad prædicandam fidem, quam nos profitemur. Apostolum et pontificem : tamquam *apostolus* opponitur Moysi, Dei legato, hic v. 1-6; et tamquam *pontifex* Aaroni pontifici opponitur (inde a cap. IV, 14).

2. Fidelis est, non ait *fidelis erat*, quia Christus in cœlo munus suum fideliter continuat. — Qui fecit illum, sc. esse apostolum et pontificem; itaque *fecit* valet *constituit, munus commisit*, ut Act. Ap. II, 36.

Moyses in omni domo ejus, refertur ad Num. XII, 7 : *At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* Populus autem Israel sæpe vocatur *domus* seu *familia Dei*, quoniam peculiari modo, per theocratiæ regimen, ab ipso Deo gubernabatur.

3. Enim, rationem reddit quare Jesum debeant attente inspicere (v. 1 *considerate*), ipsum venerari, ipsique fideliter adhærere, potius quam legi

iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit
4 illam. * Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem

Moysi, obedire oportet, quia huic ille tanto præstat quanto fabricator alicujus domus excellentior est ipsa domo quam ædificavit. [1] Christum dico auctorem domus Israel: nam hæc, ut quævis alia domus, suum habet opificem, nimirum Deum, qui omnia creavit per Christum.

Mosaicæ. Ratio est, Christum Moysi superiorem esse; idque probatur: 1° quia Moyses pars quædam erat domus Dei, Christus autem domus conditor et dominus; i. e., remota imagine, quia Christus ipsemet elegit atque constituit populum Israelis cujus Moyses dux erat. 2° Moyses nonnisi Dei servus erat, Christus autem est Dei Filius; igitur æque ac Deus Moysi dominatur.

Amplioris: ante hoc vocabulum supple *tanto*, quia in altero comparationis membro est *quanto*. Amplioris gloriæ dignus, melius *ampliore gloria dignus*, in ablativo: græcizat Vulgata. — Præ Moyse, latine *quam Moyses*.

Domus, in genitivo, loco ablativi, ad morem Græcorum: pendet enim a comparativo *ampliorem*. Christus dignior est ipsa domo, a fortiori dignior singulis domus partibus; igitur excellentior illis omnibus et singulis qui ad domum pertinent, ergo Moyse præstantior.

Animadverte Christum prædicari auctorem veteris Testamenti, proindeque ut certum poni Christum esse consubstantialem Jehovæ, cui alibi sæpe vetus Fœdus adscribitur, v. gr. quando populus Israel toties vocatur *domus Jehovæ*.

4. Versiculus valde difficilis, qui a variis varie explicatur. Probabilior nobis videtur sententia sequens. S. Paulus explicat et probat Christum auctorem esse domus Israelis; quasi diceret: Deus quidem Jehovah ædificavit domum illam, sed (quod ex v. 6 supplendum est) Christus est Filius Dei, et verus Deus, adeo ut de ipso dicere possimus id quod de Jehova affirmatur. Eo vel magis quod, secundum sententiam communiorem antiquorum Judæorum sanctorumque Patrum, Jehovah, qui apparuit sub vetere Testamento et in Sinai legem dedit, sit ipsemet Filius Dei, ὁ Λογος, Verbum, seu secunda ss. Trinitatis persona. In explicatione nostra, quam tenent Bisp., Beel. etc., *Deus* est subjectum (quamvis græce art. non habeat) et prædicatum est *qui omnia creavit* (quamvis cum articulo, cf. Beel., Gramm. gr., p. 103). Aliter censent Theod., Theoph., Estius, A Lap., qui sic intelligunt: Christus, qui omnia creavit, est Deus: sed obstat contextus; hic enim non agitur de Christi divinitate affirmanda: hoc satis et dedita opera factum est supra I, 2, 3 sqq.

5 omnia creavit, Deus est. * Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum,
6 quæ dicenda erant: * Christus vero tamquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.
7 * Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem

[5] Et Moyses quidem in universo domus Israel regimine fidelis fuit, tamquam famulus in domo alterius (constitutus enim erat ut Dei præcepta populo nuntiaret), [6] Christus e contrario, tamquam filius familias domui paternæ præpositus; adeoque Moyse excellentior est. Domus autem hæc Christi sumus nos omnes christiani, Ecclesiæ membra: modo tamen Christo fideliter adhæreamus, et usque ad finem perseveremus in constanti et intrepida confessione fidei nostræ, per quam poterimus læti gloriari in spe nostra gloriæ cœlestis.

[7] Igitur, ad vos ipsos referte quæ dicit Spiritus sanctus: *Hodie,* inquit Deus,

5. Alterum argumentum quo Christus Moysi superior ostenditur. In testimonium etc., explicat qua in re Moysis famulatus consisteret: debuit populo Israelitico testificari quæcumque Deus ipsi revelabat, seu potius ipsi *dicebat,* nam cum ipso *ore ad os* loquebatur, Num. XII, 8.

6. In (*επι, super*) domo sua. Moyses est *in* (*εν*) domo alterius, nempe Dei; ad hanc domum pertinet, quemadmodum famuli ad familiam spectant: Christus vero, tamquam filius patris familias, est domus illius dominus (*επι*). — Quæ domus, refert lectionem *ὁς οικος*; sed prævalet lectio *οὐ οικος, cujus domus.* Ecclesia autem sub imagine domus sæpe describitur, cf. Eph. II, 20-22; III, 17; 1 Petr. II, 4, 5; Apoc. III, 20.

Fiduciam: *την παρρησιαν, liberam et intrepidam fidei professionem.* — Gloriam (*καυχημα, gloriationem, lætitiam*) spei, quam spes seu fiducia illa excitat; cf. Rom. V, 2 *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* — Usque ad finem firmam: hæc verba omittit Tischend. in 7ª ed., cum cod. B, quasi glossema sint e v. 14. Sed immerito sane, quum legantur in ACDEKLM etc.

7. Quapropter necti debet cum *videte* v. 12, hoc modo: quapropter, sicut monet Scriptura, videte ne sitis increduli. — Sicut dicit Spiritus sanctus: auctorem primarium nominat, ut insinuet verba hæc, utpote divina, ad omnia tempora, etiam novi Testamenti, referenda esse. Hodie, si vocem etc. e Ps. XCIV, 8. Videsis Comm. nostr. Psalmorum, 3ª ed., 1886. Quotidie quidem hominibus loquitur Deus, per gratias generales quas semper largitur: certis tamen diebus atque momentis peculiari modo vocem suam

8 ejus audieritis, * nolite obdurare
corda vestra, sicut in exacerba-
tione secundum diem tentatio-
9 nis in deserto, * ubi tentaverunt
me patres vestri: probaverunt,
10 et viderunt opera mea * quadra-
ginta annis. Propter quod in-
fensus fui generationi huic,
et dixi: Semper errant corde.
Ipsi autem non cognoverunt

si vocem meam audieritis, [8] [9] *nolite eam contemnere et in malitia obdurare corda vestra, sicut fecerunt patres vestri, quando olim in deserto ad iram provocaverunt me, et potentiam meam ausi sunt explorare; attamen opera mea viderunt et experti sunt* [10] *per quadraginta annos. Quum autem ita in malo persisterent, et ob pravitatem cordis semper rebelles essent*

attollit, quando stat ad ostium cordis et pulsat. Oportet ut aurem internam ad Dei vocem quotidie intendamus; quamobrem Ecclesia officium divinum ab illo Psalmo XCIV singulis diebus incipit.

8. Nolite obdurare etc.: ergo interiori gratiæ aliquando resistitur, atque a nobis pendet gratiæ cooperari. — In exacerbatione etc. *Exacerbatio* et *tentatio* in hebræo videntur duo nomina propria locorum, *Meribah* et *Massah*, cf. Exod. XVII, 7 in hebr. Verum recte vertuntur in nomina appellativa, siquidem locis istis imposita sunt nomina quorum significatio esset rei ipsi conveniens.

9. Tentaverunt... probaverunt: temere et diffidenter divinam potentiam atque providentiam provocarunt, quando v. gr. exclamaverunt: *Estne Dominus in vobis, an non?* Exod. XVII, 7. Tentaverunt me. *Me:* subita personæ mutatione (quæ sæpe in Psalmis occurrit) Deus loquens sistitur.

Et viderunt etc. *Et* sign. *tamen*; *opera* intelliguntur *mirabilia divinæ potentiæ.* Nolim explicare istud *et* per *ideo*, et *opera* per *pœnas immissas*, hoc sensu: provocaverunt me, atque ideo experti sunt ultionem meam; hæc enim explicatio anticipat sententiam v. 10 *propter quod infensus fui huic generationi*, et inutilem reddit particulam illam *propter quod* v. 10.

10. Quadraginta annis: in hebræo, apud LXX Interpretes, et in Vulgata Psalmorum, id refertur ad *infensus fui;* hic autem nectitur cum *viderunt*, quum tamen infra v. 17 jungatur verbo *infensus fui.* Forsitan Paulus insinuare voluit, christianos tunc temporis jam per quadraginta annos a prædicatione Christi testes fuisse Dei mirabilium, ideoque eis adesse illud *hodie* ad quod refertur specialis illa divinæ gratiæ sollicitatio et invitatio.

Ipsi autem. *Autem* δε, per hebraismum conjunctive sumitur, non adversative. Vias meas, vias quas ipsis præscribo, non cognoverunt, non secuti sunt.

11 vias meas, * sicut juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam.

12 * Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo
13 vivo : * sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.

14 * Participes enim Christi effecti sumus : si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem

mihi, iratus sum in eos; [11] *quamobrem irrevocabiliter statui, eos in felicitatem Terræ Promissæ a me præparatam non ingressuros esse.*

[12] Hæc, inquam, verba ad vos ipsos referte, fratres, et cavete ne patres vestros imitemini. Videte ergo ne cuiquam vestrum cor pravum sit, adeoque nemo Christo credere renuat, nemo discedat a Deo vivo, cujus Filius est Christus, ne forte etiam ejus iram subeat : [13] sed contra, per singulos dies, quamdiu vita præsenti fungimini, quo tempore adest Dei gratia, vos invicem ad fidelitatem adhortamini, ut nemo vestrum ad peccatum alliciatur, atque in malitia obduretur.

[14] Illa autem in bono perseverantia non adeo difficilis nobis est, siquidem, per gratiam sanctificantem, Christi participes facti sumus : sed oportet ut, in fide et gratia permanentes, inchoatam ejus possessionem usque ad vitæ finem firmam retineamus ;

11. Sicut, ὡς pro ὥστε, *ita ut.* — Juravi, cf. Num. XIV, 21 sqq., XXXII, 10 sqq., Deut. I, 34 sqq. — Si introibunt, jurantis formula, pro *non introibunt*, cf. v. 18; in hujusmodi formulis reticetur alterum membrum, v. gr. si introeant, non sim ego Jehovah! — In requiem meam, in tranquillam ac felicem terræ Chanaan possessionem; quæ quidem possessio figura fuit æternæ in cœlis beatitudinis.

12. Parænetica accommodatio loci citati. Cor malum incredulitatis : *cor malum quod incredulum reddit hominem.* Ira Dei in Israelitas præsertim exarsit propter eorum incredulitatem et diffidentiam, quippe quæ fons esset ceterorum peccatorum. Pariter fit in christianis. — Discedendi a Deo, αποστηναι : ultimus incredulitatis terminus est *apostasia* a Deo. — Vivo : *vivum* dicit Deum, ut innuat minas ejus semper valituras esse.

14. Rationem adducit (γαρ) quare ab incredulitate cavere debeant. Participes : 2 Petr. I, 4 *divinæ consortes naturæ.* — Initium substantiæ, της ὑποστασεως, *inchoatam Christi in nobis subsistentiam* seu habitationem, quæ efficitur per fidem et gratiam justificantem : per eam enim Christus est in nobis, nosque ejus participes reddimur, quemadmodum palmes est in vite, et in corpore membrum : Gal. II, 20; Rom. VI, 11; Gal. III, 27; Phil. I, 21 etc.,

15 firmum retineamus. * Dum dicitur : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.

16 * Quidam enim audientes exacerbaverunt : sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per

[15] nimirum, quamdiu perduret illud *hodie*, quod significatur per Psalmistam dicentem : *Hodie si vocem Dei audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum fecerunt patres vestri, quando in deserto Deum ad iram provocaverunt.*

[16] Et re quidem vera, nonnulli ex iis voci Dei rebelles fuerunt ; sed non omnes qui duce Moyse ex Ægypto pro-

et ann. nostr. Perfecta autem Christi possessio obtinebitur in cœlis per visionem unitivam et beatificam.

Necessitas perseverantiæ hic docetur, de qua vide annot. Phil. I, 6; et Comm. nostr. in s. Matth. X, 22. Testimoniis ss. Patrum ibi citatis, adde : " Non quæruntur in christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene " finivit. Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur (s. Hier. " ep. ad Furiam). " — S. Greg. (Hom. 25 in Evang.) : " Virtus boni operis, ait, perseverantia est ; " et ibid. notat Mariam Magdalenam, cum staret ad sepulcrum, obtinuisse ut Christum videret, quia remansit ut quæreret, et in quærendo perseveravit, unde et contigit ut inveniret. Christianos ad perseverantiam adhortatur Apostolus 1 Cor. XVI, 13 et Phil. IV, 1.

15. Hic versiculus cum præcedenti arcte nectendus est ; quamobrem post *retineamus* nonnisi comma poni deberet. Multi tamen recentiores nectunt cum v. seq. ; sic et Tischend., qui in 7ª ed. ponit duplex punctum in fine v. 15.

16. Probat (v. 16-19) incredulitatem causam fuisse, ob quam a quieta Terræ Promissæ possessione exclusi fuerint Israelitæ ; unde concludit (cap. IV, 1) christianos etiam a possessione Christi excludendos esse, si in fide non perseverent ; seu, ut ait, *si initium substantiæ ejus* (Christi) *usque ad finem firmum non retineant.*

Quidam enim etc. : græce est τινες, quod nonnulli interpretes interrogative sumunt, hoc sensu : quinam igitur Deum exacerbaverunt ? Nonne omnes qui ex Ægypto profecti sunt ? Præfero tamen cum Vulgata sumere τινες tamquam pronomen indefinitum (*quidam*), propterea quod melius servatur vis particulæ *enim* γαρ. Deinde ad finem auctoris non pertinet dicere omnes obduratos fuisse. — Illi autem *quidam* intelliguntur omnes, præter Josue et Caleb eosque qui viginti annorum ætatem non attigerant, quando altero post exitum anno recensio facta est. Qui hic dicuntur *quidam*, in epist. 1 ad Cor. X, 5 vocantur *plerique* (gr.) ; Apostolus autem hic ait *quidam*, quia docet alios fuisse fideles. — Audientes : participium ita solvi debet in

17 Moysen. * Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt
18 in deserto? * Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli
19 fuerunt? * Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

CAPUT IV.

1 * Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur ali-
2 quis ex vobis deesse. * Etenim et nobis nunciatum est, quem-

fecti sunt. [17] Ob eamque causam non omnes pœnis affecit Deus : etenim iis solis qui peccaverunt infensus fuit tempore illo quadraginta annorum, quo Israelitæ in deserto manserunt; eosque morte mulctavit, adeo ut eorum cadavera in deserto prostrata jacerent. [18] Igitur, decrevit irrevocabiliter ut ii tantum, qui increduli et contumaces fuerunt, in felicem possessionem terræ ab ipso promissæ non ingrederentur; [19] unde concludere liceat incredulitatem atque malitiam fuisse causam eorum exclusionis.

[1] Solicite igitur cavete ne quis vestrum, fidem rejiciendo, respuat promissionem, quam fecit Deus, introducendi nos in felicitatem patriæ cœlestis, atque ideo ab ea excludatur. [2] Etenim, quemadmodum Israelitis pervicacibus non

tempus finitum : *quamquam audierant*, sc. Dei vocem, ejus promissiones, seu præcepta.

17. Quorum cadavera etc., respicit ad Num. XIV, 28-30.

18. Autem, δε, particula est continuantis.

IV, 1. Relicta, καταλειπομενης, *neglecta, rejecta*, nimirum per incredulitatem. Existimetur deesse, δοκῃ ὑστερηκεναι, *inveniatur tardius venire*, i. e. ne quis tardius veniat, adeoque excludatur : gall. (ap. Drach) *craignons que quelqu'un de vous ne soit jugé exclu.*

2. Nobis nuntiatum est : εσμεν ευηγγελισμενοι, *nobis datus est lætus nuntius* fore ut in requiem ingrediamur.

Non admistus fidei ex iis quæ audierunt, refert lectionem μη συγκεκραμενος τῃ πιστει τοις ακουσθεισι, (*sermo auditus*) *non conjunctus cum fide iis promissis quæ audierunt.* Verum probabilior est lectio ακουσασι : (*sermo*) *non admistus fide iis qui audierunt*, cujus sensus est : utpote qui sermo fide contemperatus non fuerit ab iis (dat. pro abl.) qui eum audierant, vel iis (apud eos, dat. commodi) qui eum audierant. Præterea, loco συγκεκραμενος fere omnes codd. antiqui habent συγκεκερασμενους, hoc sensu : *non profuit eis, quia se non adjunxerunt iis qui crediderant*, puta, Josuæ et Calebo; aliis verbis, qui Josue aliosque imitari, ac fidem et obedientiam Deo exhibere noluerunt. Attamen lectio Vulgatæ, quæ reperitur in vers. syr., a Tischendorfio in 7ª ed. adoptata fuit.

admodum et illis : sed non pro-
fuit illis sermo auditus, non
admistus fidei ex iis, quæ audie-
3 runt. * Ingrediemur enim in
requiem, qui credidimus : quem-
admodum dixit : Sicut juravi
in ira mea : Si introibunt in
requiem meam :

Et quidem operibus ab insti-
4 tutione mundi perfectis. * Dixit
enim in quodam loco de die se-
ptima sic : Et requievit Deus die
septimo ab omnibus operibus
5 suis. * Et in isto rursum : Si
introibunt in requiem meam.
6 * Quoniam ergo superest introire
quosdam in illam, et ii, quibus
prioribus annunciatum est, non
introierunt propter incredulita-

profuit læta promissio ingrediendi in Terram Sanctam, quia credita non fuit ab iis qui eam audierunt : ita etiam nobis non concedetur beatitudo cœlestis quæ promissa est, si fidem Christi non servemus. [3] Etenim nos soli, qui veram fidem profitemur, in beatam requiem nobis promissam ingrediemur; quod innuunt verba Dei : *Ideo juravi* (firmiter statui) *in ira mea, propter eorum peccata, istos in requiem meam non ingressuros esse.*

Et requies quidem illa non intelligitur possessio Terræ Chanaan, sed possessio Dei in cœlis, seu participatio requiei quæ in perpetuum fruitur Deus inde a creatione mundi. [4] De ea enim dicitur in s. Scriptura : *Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis;* [5] et, in loco Psalmorum citato, Deus inquit : *Non introibunt in requiem meam.* [6] Ergo agitur, non de requie in terra Chanaan, sed de requie Dei nobis communicanda. Nam Psalmista loquitur de requie a quibusdam obtinenda, diversa ab ea quam Deus Israelitis antea promiserat, et quam isti non obtinuerant propter incredulitatem suam.

3. Enim, dat rationem quare increduli requiem non obtineant; scribere debuisset : *nam soli fideles introibunt,* verum utitur forma magis grata. Loco ingrediemur, græce est præsens *ingredimur :* sed hoc pro futuro positum est, ut infra X, 37. — Et quidem operibus etc. Explicat quænam requies in loco citato intelligatur.

6. Ostendit requiem, de qua loquitur Psalmista, quando homines ad fidelitatem adhortatur, aliam esse quam terræ Chanaan possessionem olim Israelitis promissam. Ita ratiocinatur : quoniam ex verbis Psalmi erui potest quosdam ingressuros esse in requiem (eos nempe qui cor non obdurant), et quoniam id intelligi nequit de ingressu Israelitarum in Terram Promissam (nam multi ex istis cor obduraverunt per incredulitatem, et deinde verba illa Psalmistæ diu postea, sub Davide, scripta sunt) : sequitur esse requiem quamdam ab habitatione Terræ Promissæ diversam, in quam per fidem oporteat ingredi, et quæ præmium sit eorum qui divinæ

7 tem : * iterum terminat diem
quemdam, Hodie, in David di-
cendo, post tantum temporis,
sicut supra dictum est : Hodie
si vocem ejus audieritis, nolite
8 obdurare corda vestra. * Nam
si eis Jesus requiem præstitis-
set, numquam de alia loqueretur,
9 posthac, die. * Itaque relinquitur
10 sabbatismus populo Dei. * Qui
enim ingressus est in requiem
ejus, etiam ipse requievit ab
operibus suis, sicut a suis
Deus.

11 * Festinemus ergo ingredi in
illam requiem : ut ne in idipsum
quis incidat incredulitatis exem-

[7] Deus enim aliud statuit tempus quo possit obtineri requies, quando, ut supra diximus, per Davidem loquens tamdiu postea : *Hodie*, ait, *si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra, sed fideles estote, et introibitis in requiem meam.* [8] Aliam, inquam, significat requiem quam terræ Chanaan possessionem ; nam, si eam tantummodo indicaret requiem, in quam Josue veteres Israelitas introduxit, non loqueretur tamdiu post Josue (sub Davide) de requie tunc temporis obtinenda. [9] Itaque, remanet adhuc populo Dei requies quædam futura, nimirum participatio requiei, quam ingressus est Deus, die septima seu sabbati ; [10] nam, sicut tunc requievit Deus ab operibus suis, ita qui requiem Dei obtinet, etiam ipse ab operibus suis requiescit.

[11] Diligenter ergo conemur per fidei perseverantiam obtinere requiem illam, ut nemo nostrum, instar Israelitarum in deserto, propter infidelitatem pereat.

adhortationi huic *hodie si vocem meam audieritis* etc. fideliter et perseveranter obtemperent.

8. Jesus, idem nomen ac *Josue*, quod etymologice sign. *Jehovah salus*, *Jehovah salvator*, vel *Jehovæ salus*.

9. Sabbatismus, *sabbati requies*, i. e. qua fruitur Deus a die septimo creationis (hoc sensu quod ab illo tempore novas rerum species non produxerit), et quam homines in terris ad honorem Dei observant : hæc autem nonnisi figura est quietis perfectioris, quam, post peractos vitæ hujus labores, obtinent justi, quæque participatio quædam est divinæ requiei.

10. In requiem ejus, sc. *Dei :* beatitudo enim cœlestis participatio quædam est divinæ beatitudinis. Ab operibus suis, ut ait Apoc. XIV, 14 : *Amodo jam dicit Spiritus ut requiescant a laboribus suis.*

11. Hanc partem concludit per adhortationem. Festinemus, σπουδασωμεν, *diligenter enitamur*. Pulchre s. Chrys., hic in moral. : “ Cursu opus est, ait, “ et vehementi cursu : qui currit, non ad prata adjacentia, non ad amicos,

12 plum. * Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animæ

[12] Nam Scriptura sacra, quæ pœnam contra incredulos minatur, est verbum Dei, adeoque non sermo mortuus et impotens, sed vivus et efficax: terribilior est quovis gladio utrimque acuto. Et, quemadmodum gladius hujusmodi intimas corporis partes facile penetrat ac dissecat, adeo quidem ut membrorum juncturas dividat, et usque ad ossium medullam pertingat: ita etiam sermo Dei minitabundus

" non ad spectatores, sed ad palmam attendit; non consistit; metæ vicinus " non languet, sed cursum intendit: sic quo seniores et cœlo viciniores " sumus, eo magis et concitatius currere debemus." Festinandum nobis est, ait s. Thom., in hac peregrinatione, quia via longa est, vita brevis, vocatio Dei urget, et in mora est periculum. Hisce verbis studium perfectionis quotidie majoris in nobis excitemus: vide quæ notavimus de progressu spirituali Phil. III, 13; 1 Thess. IV, 1; 2 Thess. I, 3.

12. Sermo Dei, ὁ λογος του Θεου: non intelligimus, cum s. Ambr. (De fide, l. 4, c. 7) et s. Thom., *secundam ss. Trinitatis personam* (quæ *Verbum Dei* nominatur, sed a s. Joanne solummodo), quia obstat contextus (præsertim *enim*); sed dictum opinamur de Dei eloquiis, seu minis et promissionibus divinis, quæ in s. Scriptura recitantur. Ita fere s. Chrys., et communiter recentiores, ut Bisp., Beel., post Estium.

Vivus et efficax, actuosus et vim suam exerens, sermo operatorius, vi cujus fit quidquid fieri jubet vel pronuntiat: *dixit et facta sunt.* Efficacitas autem divini verbi, præsertim quatenus minatur atque castigat, pulcherrima et significantissima comparatione jam describitur. Penetrabilior omni gladio ancipti. *Gladius* symbolum est justitiæ coercitivæ et vindicativæ. *Anceps gladius* (διστομος, qui *os* habet *duplex*, qui utrimque mordet, carnes dilaniat, pungit, secat: notus est hebraismus *os gladii* pro *gladii acie*) terribilior est, quum facilius atque profundius penetret.

Usque ad divisionem animæ ac spiritus, non sign. locum ubi anima a spiritu dividitur, sed sensus est: adeo ut dividat animam a spiritu, i. e. intime et perfectissime animum humanum penetret ac pervadat.

S. Paulus tria in homine distinguere solet (cf. 1 Thess. V, 23): 1° σωμα *corpus*, 2° ψυχην *animam*, vitam animalem, vel potius principium vitæ animalis seu sensibilis, *animam vitalem*, quæ corpus vivificat, per sensus agit et

ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cor-
13 dis. * Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.

totum peccatoris animum penetrat ac discruciat, et usque ad intima cordis et mentis penetralia pervadit, adeo ut secretissimas mentis cogitationes et absconditissima cordis desideria discernat et dijudicet. [13] Nihil enim absconditum est Deo illi, cujus sermo in s. Literis invenitur, et de quo hic loquimur; sed omnia, etiam intima et ab oculis remotissima, videt ac perspicit.

afficitur; et 3° πνευμα *spiritum*, seu animum, vitam spiritualem seu principium vitæ spiritualis, rationis et voluntatis (in cantico *Benedicite*, Dan. III, 86, etiam distinguuntur *spiritus* et *animæ* justorum). Inde autem nequaquam concludendum est, tres in homine substantias distinctas ab Apostolo poni, unam materialem, duas alias immateriales, adeo ut ipse duplicem animam in homine admittat. Opinamur enim distinctionem vulgo cognitam et admissam inter *animam vitalem* (quæ brutis etiam inest, quæque designat vitam nostram animalem), et *animam rationalem* (quæ anima est proprie dicta, pro qua redimenda Christus mortuus est), ab auctore sacro usurpatam fuisse quin umquam subtiliore cogitatione exquisierit an ψυχη et πνευμα sint in homine individuo substantiæ distinctæ.

Compagum ac medullarum : per imaginem a corpore desumptam idem significatur ac *animæ et spiritus*. Discretor etc. (κριτικος a κρινειν), qui intime pervadit animum, actus internos omnes discernit, dijudicat, condemnat, punit etc.

13. In conspectu ejus : *ejus* refertur ad *Dei*, v. 12. Ad quem, *de quo*, ut cap. I, 7: quidam dicunt valde otiosam esse hanc additionem; ideo hunc præferunt sensum : quocum nobis res est, cui rationem omnium quæ facimus reddere debemus ; ad normam hebraicæ dictionis 3 Reg. II, 14, 4 Reg. IX, 5. Verum parum obvia est hæc explicatio, neque omnino parallela sunt loca allegata.

Nihil nobis utilius quam semper et ubique oculum Dei omnia cernentis recogitare et quasi intueri. O quam salutaris est hæc inscriptio parietibus nostris appensa : *Deus videt me !*

Analysis cap. III—IV, 13.

Postquam Apostolus ostendit Christum esse 1° superiorem angelis, per quos promulgata est lex vetus, ulterius nunc progrediens, demonstrat 2° eum superiorem esse Moyse, per quem lex vetus Israelitis nuntiata est. Illud quidem ex priore puncto jam sequitur; verumtamen de industria tractare id voluit auctor, ut argumentum suum ab omni parte evolveret.

Christus superior est Moyse, quia dominus est domus illius (populi Israel) quam administravit Moyses. Etenim Christus, ut Filius Dei, dominium Dei Patris participat : atqui, Deus Pater dominus est domus Israelis, sequidem ipsam fabricavit : ergo, etiam Christus dominus illius est. E contrario, Moyses nonnisi ministrator ejusdem domus fuit, ab ipso domino constitutus. Ergo Christo est inferior. Cap. III, 1-6.

Conclusio moralis, sub forma adhortationis. Si Christus Moysi et angelis tantum præstat auctoritate et dignitate, oportet ut ei per fidem adhæreamus; nam si increduli simus, peribimus, sicut olim Israelitæ in deserto propter incredulitatem perierunt; si autem fideles maneamus, introibimus aliquando in requiem cœlestem, quemadmodum olim Israelitæ isti in requiem Terræ Promissæ ingressi fuissent, si Deo fideles mansissent. Cap. III, 7—IV, 11.

Hanc autem adhortationem facit utendo verbis Psalmi XCIV : *Hodie si vocem Dei audieritis* etc., v. 7-11. Parænetice commentatur hunc locum, eumque accommodat eis ad quos scribit, v. 12-IV, 2; ostendens eam esse vim verborum, ut hujusmodi accommodatio revera fieri debeat. Etenim requies, quam Psalmista promittit iis qui vocem Dei fideliter audierint, de requie terrena in possessione Palæstinæ, quæ olim Israelitis in deserto errantibus promissa fuit, intelligi nequit; nam isti fere omnes voci Dei obedire recusarunt, ideoque in requiem Terræ Sanctæ ingressi non sunt; deinde, Psalmista ad istos Israelitas sermonem non fecit, quum diu postea scripserit. Igitur, alia requies excellentior designatur, nimi-

rum in gloria cœlesti, nempe participatio requiei qua Deus in cœlis fruitur. Cap. IV, 3-10. Deinde, ut verba illa sacra lectorum animos magis commoveant, terribilem s. Scripturæ vim, cujus minæ æque ac promissiones semper sunt efficaces, fortiter asseverat, v. 11-13.

SECTIO II. CHRISTI SACERDOTIUM SACERDOTIO AARONIS SEU MOSAICO EXCELLENTIUS EST.

IV, 14—X, 18.

§ 1. *Christus est vere sacerdos.*

IV, 14—V, 10.

14 * Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei : teneamus

[14] Itaque, quum, sicut supra dixi (cap. III, 1), habeamus pontificem qui angelis et Moyse superior sit, et cui oporteat ut maneamus fideles, si velimus in requiem æternam ingredi, nimirum Jesum, Dei Filium, qui per passionem suam in cœlos gloriosus penetravit : perseveremus in fide chri-

14. Sub forma adhortationis transit ad præcipuam epistolæ tractationem, de Christi sacerdotio, quod sacerdotio Aaronico superius demonstrat, ut inde concludat cultum christianorum et legem novam cultu Mosaico et lege veteri excellentiorem esse ; ideoque oportere ut Hebræi in fide Christi fideles maneant, neque umquam ad Judaismum regrediantur.

Ergo, οὖν, concludit ex præcedentibus, ut dixi in paraphrasi. Magnum, omnibus aliis superiorem, utpote qui *cœlos penetravit, et excelsior cœlis factus est* (VII, 26), quique *per amplius et perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non hujus creationis, introivit in Sancta* (IX, 11).

Penetravit cœlos, respicit ad summum pontificem legis Mosaicæ, qui singulis annis in Sanctum-Sanctorum semel penetrabat. *Cœlos* in plurali, vel pro singulari, ut *haschschamaim* Hebræorum ; vel potius cœlum tertium, superius, indicat : quæ quidem cœlorum pars præfigurabatur per Sanctum-Sanctorum, quippe quæ tertia et intimior esset templi seu Tabernaculi pars.

15 confessionem. * Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.
16 * Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ : ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

CAPUT V.

1 * Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona,

stiana quam profitemur. [15] Hoc autem eo facilius nobis erit, quod pontifex ille pronus sit ad commiserationem, siquidem omnes vitæ miserias sicut nos expertus est, adeoque nobis similis factus est in omnibus, solo peccato excepto. [16] Quoniam igitur pontifex impollutus et misericordissimus pro nobis deprecatur, cum fiducia ad Deum Patrem clementissimum accedamus, eumque imploremus ; ut, quotiescumque nobis opus sit, peccatorum remissionem, et gratiæ auxilium obtineamus.

[1] Christum dixi *pontificem*, namque omnes habet notas vero pontifici proprias. Omnis enim pontifex debet ex hominibus sumi, et pro hominibus constitui in re religiosa, ut Deo offerat

15. Enim : ratio perseverandi est, pontificem illum adeo excelsum, simul misericordissimum esse nobis : ipse enim non ignarus malis miseris succurrere didicit (recogita verba Didonis, Virg. Æn. I, 634).

Tentatum per omnia : non tamen singula passus est quæ homines patiuntur ; quidquid enim probrosum sit in se, ut interiores concupiscentias carnales, non expertus est. — Pro similitudine : græce *secundum similitudinem*, sc. nostram, sicut nos. Absque peccato : cf. supra annot. II, 17.

16. Ad thronum gratiæ, sc. Dei Patris, a dextris cujus sedet Christus pontifex noster, intercedens pro nobis. *Thronus* autem ille *gratiæ* in cœlis, in terris figurabatur per *propitiatorium* seu operculum Arcæ Fœderis, super quod Deus, tamquam super solium regium, præsentem se sistebat. — In auxilio, græce *ad auxilium*, sc. obtinendum.

V, 1. Namque : demonstrat Christum revera pontificem esse, v. 1-10. Ex hominibus assumptus, prædicatum est, non qualificatio subjecti ; sensus itaque est : *omnis pontifex ex hominibus assumitur*, non, ut male vertit Erasmus : *omnis pontifex qui ex hominibus assumitur*, quasi sint alii pontifices qui ex hominibus non assumantur.

Dona, oblationes rerum inanimatarum, seu sacrificia incruenta : sacrificia autem intelliguntur cruenta, victimarum immolationes, seu hostiæ proprie

2 et sacrificia pro peccatis : * qui
condolere possit iis, qui ignorant et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate :
3 et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro pecca-
4 tis. * Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo,

dona et sacrificia expiatoria. [2] Etenim, ut pronus sit ad commiserationem erga eos qui misere peccant et propter peccata pœnis affliguntur, conveniens est ut ipse etiam infirmus sit et miseriis humanis obnoxius. [3] Quamobrem omni sacerdoti præscribitur, ut, sicut populi, etiam sui ipsius peccata expiet. [4] Præterea, non potest se ipse ad munus illud honorificum efferre, sed debet speciali modo a Deo vocari, quemadmodum Aaron

dictæ. Pro peccatis, refero ad solam vocem *sacrificia*, quia hæc sola pro peccatis in vetere lege offerebantur, cf. Levit. III et IV.

2. Rationem reddit quare pontifex *ex hominibus assumi* debeat : nempe ut sit humanus et misericors, conveniens est ut ipse sit homo, miseriis obnoxius : cf. supra II, 18. — Ignorant et errant : hebraismus pro *qui peccant quovis modo* (cf. infra IX, 7); supple *et propter peccata pœnis afficiuntur.* — Infirmitate, ea scil. quæ e peccatis provenit, ut e versu seq. patet.

3. Pro semetipso, ut expiet peccata a se commissa, vel (sicut res erat de Christo) in se suscepta. Christus autem infirmitati et miseriis subjectus erat propter peccata hominum quæ in se susceperat : igitur aliquo sensu pro se ipse etiam offerre debuit, ut a propriis suis miseriis liberaretur (Huic sane non repugnat cap. VII, 27, quia ibi quæstio est de peccatis ab ipso pontifice commissis). Et re quidem vera, per sacrificium crucis perfectam obtinuit humanæ suæ naturæ liberationem, seu glorificationem. Respicit Apostolus ad illa veteris Test. loca, quæ præscribunt ut sacerdos pro se ipse sacrificium expiatorium offerat, antequam pro aliis immolet, v. gr. Lev. IV, 3; IX, 7; XVI, 17.

4. Ateram veri sacerdotis notam seu signum proprium assignat. Ut sit mediator Deum inter et homines, debet ab una parte populum attingere (assumi ex hominibus, et pro hominibus constitui), et ab altera usque ad Deum pertingere; quod fieri nequit nisi a Deo elevatus fuerit super alios homines, adeoque peculiariter electus et vocatus a Deo. Aliis verbis, sacerdotium debet esse Sacramentum, quo Deus quem vult sibi consecrat; etenim, quum efficacitas sacerdotii humanas vires superet (homines enim Deo reconciliare nequit homo in quantum est homo), sacerdos indiget divina quadam potestate supernaturali.

Honorem, τιμην, potius *dignitatem* hanc sacerdotii. — Aaron divinitus electus fuit ad pontificium, cf. Exod. XXVIII, 1; XXIX, 4; Levit. VIII, 1; Num. III, 10; XVI-XVIII.

5 tamquam Aaron. * Sic et Chri-
stus non semetipsum clarifica-
vit ut pontifiex fieret: sed qui
locutus est ad eum: Filius
meus es tu, ego hodie genui te.
6 * Quemadmodum et in alio loco
dicit: Tu es sacerdos in æter-
num secundum ordinem Melchi-
7 sedech. * Qui in diebus carnis

vocatus est. [5] Christus autem duas illas sacerdotii notas habet: nam primo, non semet ipse extulit ad pontificiam dignitatem, sed ad eam evectus est a Deo, utpote qui ipsum tamquam verum Filium suum, proprium et naturalem, agnoverit, quando ipsi dixit: *Filius meus es tu, ego te nunc gigno et Filium verum esse facio.* [6] Idem Deus in alio loco eum aperte sacerdotem constituit, cum dixit ei: *Tu es sacerdos in perpetuum, et tuum sacerdotium sacerdotio Melchisedechi simile est.* [7] Secundo, Christus erat homo infirmus et miser, pronus ad commiserationem; nam vita mortali et pas-

5. Jam ad Christum refert binas illas veri sacerdotii notas, a posteriore incipiens. Clarificavit, non explicandum est de Christi glorificatione post mortem, sed, ut docet contextus, sensus est: *dignitatem pontificiam non ipse sibi assumpsit.* Sed qui etc.: sed ad illam dignitatem evexit eum Deus Pater, quando ipsum in mundum misit, ut humanam assumeret naturam; quando igitur, jussu Dei Patris, natus est homo-Deus, seu quando natus est ille ad quem dicere debuit Deus Pater: *Tu es Filius meus, Filius verus quem genui.* Tunc enim, in ipso die Incarnationis, Pater habuit Filium humana natura indutum: eum quidem ut Filium ab æterno genuerat, sed ut Filium incarnatum genuit in tempore, eo nimirum momento quo nasci fecit Messiam talem qui esset Deus-homo. Et, per hoc ipsum quod fecit ut Filius suus nasceretur Messias, Messiam hunc constituit pontificem, mediatorem inter Deum et homines, siquidem homo-Deus erat. Secundum hanc explicationem, quam ceteris probabiliorem opinamur, *hodie* designat diem Incarnationis; et vox *genui* improprie sumitur de actu Dei Patris mittentis Filium suum in mundum. Ad uberiorem explicationem cf. supra cap. I, 5; Act. Ap. XIII, 33, et comment. nostrum in Ps. II, 7 (ed. 1886).

6. Et, nequaquam mihi videtur redundare. Christum a Deo constitutum esse pontificem, implicite probatur ex loco modo citato, illudque etiam (*et*) demonstratur explicite per verba Psalmi CIX. Jam supra (cap. I, 13) eumdem Psalmum ad Christum retulit Apostolus.

Secundum ordinem, idem quod infra (cap. VII, 15) dicitur *secundum similitudinem:* hæc autem similitudo in cap. VII exponitur.

7. Ostendit in Christo reperiri alteram notam vero pontifici propriam,

suæ preces, supplicationesque
ad eum, qui possit illum salvum
facere a morte, cum clamore va-
lido, et lacrymis offerens, exau-
8 ditus est pro sua reverentia. *Et
quidem cum esset Filius Dei,
didicit ex iis, quæ passus est,
9 obedientiam : * et consumma-
tus, factus est omnibus obtem-
perantibus sibi, causa salutis

sibili functus est, pro se ipse, ut e morte liberaretur, ardentes et humiles preces, imo clamores lacrymasque Deo obtulit; et exauditus est propter suam erga Deum reverentiam; [8] et, quamvis esset Dei Filius, virtutem obedientiæ perfecte exercuit, quando gravissima tormenta ex obedientia sustinuit. [9] Per hanc autem passionem ad finem suum gloriosum pervenit, et factus est auctor salutis æternæ iis omni-

quam supra v. 1-3 indicaverat. Supplicationes sunt preces humiles: sed, quum præmittat vocem *preces*, vult emphasim exprimere; ideo dixi in paraphrasi *preces ardentes et humiles;* v. gr. in horto Olivarum, in cruce etc.

Cum clamore valido et lacrymis: singularem precationis vehementiam indicat. In narranda Christi passione Evangelistæ explicitam lacrymarum mentionem non faciunt, sed videntur eas satis innuere, v. gr. quando Matthæus cap. XXVI, 37 dicit: *Cœpit* (*Jesus*) *contristari et mœstus esse...*; et quando ib. Jesus exclamat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ita Bisp. et Beel. Minus probabilis mihi videtur sententia Estii, qui illud refert ad clamorem Jesu in cruce: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* Matth. XXVII, 46; vel Luc. XXIII, 46 *Pater, in manus tuas* etc. Sanctus autem Thomas utramque sententiam conjungit.

Exauditus est, nam *e morte* (εκ του θανατου, non απο..., nota differentiam) liberatus est, nimirum per gloriosam resurrectionem et ascensionem: cf. Act. II, 24 sqq. Pro sua reverentia : απο της ευλαβειας, *propter suam pietatem*, reverentiam, humilemque subjectionem erga Deum Patrem.

8. Didicit... obedientiam: *obedire didicit*, actu et opere, i. e. *expertus est quid sit obedire, obedientiam perfecte exercuit;* id vero didicit ex iis quæ passus est: per ea omnia quæ passus est, didicit quid sit obedire, se subjicere; aliis verbis, plenitudinem illius virtutis exercuit, quando Patris voluntati obsecutus, gravissima passus est tormenta.

Cum esset Filius Dei: hoc addit ut ostendat obedientiam ex humilitate, sicut florem e germine, nasci. Imo vera humilitas non datur, ubi humiliatio, quæ in obedientia reperitur, non suscipitur. S. Bern. (ep. 88): " Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio " ad scientiam. "

9. Duplex obedientiæ effectus: ipse glorificatus est (*consummatus*, cf. cap. II, 10), et auctor factus est salutis et glorificationis aliorum: videlicet

10 æternæ, * appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.

bus, qui credunt in ipsum; [10] atque ita effectu comprobata fuerunt verba sacra quibus olim appellatus est pontifex, et quidem instar Melchisedechi.

Analysis cap. IV, 14 — V, 10.

Hactenus, in 1ª sectione partis dogmaticæ, conatus est Hebræos in christiana religione retinere, atque a reditu ad Judaismum avertere, per hoc quod ostendit Christum, novæ legis mediatorem, præstare iis (Moysi et angelis) per quos lex vetus promulgata fuerit. In 2ª vero partis dogmaticæ sectione, Christi sacerdotium sacerdotio Aaronico veteris legis superius esse demonstrat.

Hanc autem thesim, tamquam præcipuam universæ epistolæ, fuse pertractat: tum 1°, quia sacerdotium est fundamentum quo omnis cultus externus nititur, siquidem sacrificium, quod est munus principale sacerdotii, primarius actus est cultus divini; tum 2°, quia res erat maximi momenti et summæ difficultatis Hebræos a sacrificiis Mosaicis, et generatim a cultu Judaico retrahere; eo vel magis, quod omnia, quæ ad cultum illum spectant, ab ipso Deo ordinata fuissent, eisque in s. Scriptura maxima auctoritas tribueretur.

Ut autem probet Christi sacerdotium sacerdotio Aaronis legali

eorum qui ipsi obediunt, et ita salutem merentur, quemadmodum Christus per obedientiam sibi promeruit gloriam.

Ut melius intelligatur altera illa veri sacerdotis nota, quæ in eo consistit ut sacerdos a/ ipse passus fuerit, et b/ inde didicerit majore affici miseratione et charitate erga alios, mente revolve hæc profundissima verba (ex hymn. temp. Pasch. *Ad regias* etc.): *Almique membra corporis Amor Sacerdos immolat.* Christus, Amor perfectus, se totum dedit (amor est donum sui), immolavit se totum, atque ita obtulit sacrificium absolute perfectum, illud nimirum quo Deus Deo sese offert. Quanto major amor, tanto perfectior sacerdos, quia eo plenior oblatio. Nunc autem, verus amor consistit in immolatione sui pro altero; ideo *majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam* i. e. vitam suam *ponat* seu tradat: ergo mortem pati debet amor sacerdos. Inde videmus quare sacrificium christianorum (unum et unicum) debeat esse vel immolatio Christi, vel renovatio mortis ejus.

excellentius esse, ostendit in § 1 Christum esse vere sacerdotem; deinde (post interjecta, per modum digressionis, monita moralia § 2) in § 3, eum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Argumentatur autem per distinctam exegesim vaticinii *Juravit Dominus... Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;* ex hujus enim loci diligenti examine eruit, sacerdotium Melchisedechi præstantius esse sacerdotio Aaronico, ideoque Christum sacerdotem sacerdotibus veteris legis et auctoritate et dignitate antecellere. Deinde, in § 4, considerat ipsam salutis œconomiam, quam Christus per sacrificium suum constituit, eamque excellentiorem esse salutis œconomia, quæ per sacrificia veteris legis efficiebatur, demonstrat : aliis verbis, ostendit Fœdus novum, cujus Christus per sacerdotium suum factus est mediator, melius esse vetere Testamento, in quo sacerdotes Aaronici mediatores erant. Tandem, in § 5, exponit sacrificium a Christo sacerdote oblatum omnibus sacrificiis sacerdotum Mosaicorum multo efficacius et dignius esse.

Igitur, ut dicta paucis complectamur, Christi sacerdotium sacerdotio veteris legis prævalere declarat triplici consideratione : 1° quia *in se, in natura sua,* præstantius est, utpote secundum ordinem Melchisedechi, qui Aaronis ordine dignior est; 2° quia *novum Fœdus,* quod per Christi sacerdotium nobis applicatur, melius est Fœdere Mosaico; 3° quia *sacrificium* Christi sacerdotis sacrificia legalia longe superat.

Inchoat, ut diximus, tractationem hanc de sacerdotio novæ legis, ostendendo in § 1 Christum esse vere sacerdotem, omnibus illius officii notis insignitum, cap. IV, 14—V, 10. Ita autem in hujus expositione procedit :

Christus est vere sacerdos, quia omnes veri sacerdotis notas seu signa propria habet. Notæ autem illæ binæ præsertim sunt : 1° debet esse homo miseriis obnoxius, adeoque pronus ad commiserationem erga homines miseros, v. 1-3; 2° oportet ut ab ipso Deo ad hanc dignitatem vocatus fuerit, v. 4. Jam vero, utraque nota competit Christo et perfectissime quidem : prior, ut cap. IV, 14, 15 et V, 7, 8 asseritur; posterior vero, ut dicitur cap. V, 5. 6.

§ 2. *Reprehensio, adhortatio, consolatio.*

V, 11 — VI

11 * De quo nobis grandis sermo,
et ininterpretabilis ad dicen-
dum : quoniam imbecilles facti
12 estis ad audiendum. * Etenim
cum deberetis magistri esse
propter tempus : rursum indi-
getis ut vos doceamini quæ sint
elementa exordii sermonum Dei :
et facti estis quibus lacte opus
13 sit, non solido cibo. * Omnis
enim, qui lactis est particeps,
expers est sermonis justitiæ :

[11] De illo autem Christi sacerdotio multa habemus dicenda ; ea vero sunt explicatu difficillima, quia tardi facti estis ad audiendum, et intelligendum. [12] Etenim, quum tamdiu jam in fide christiana vixeritis ut deberetis esse capaces alios docendi, contra indigetis iterum (quemadmodum ante conversionem) ut rudimenta, seu prima et faciliora doctrinæ christianæ elementa doceamini ; atque adeo similes facti estis parvulis, qui lacte nutriri debent, nec solidiorem cibum ferre possunt. [13] Vos, inquam, instructionem altiorem capere non potestis : nam quicumque lacte doctrinæ elementariæ indiget, ipse mysteria fidei sublimiora doceri nequit, quia adhuc par-

11. Antequam profundiorem de Christi sacerdotio doctrinam exponat, quædam hic (V, 11-VI) interjicit verba reprehensionis, admonitionis et consolationis. De quo *pontifice*, vel in neutro *de quo negotio*. Grandis : πολυς, potius *multus*. Ininterpretabilis, δυσερμηνευτος, *difficilis explicatu*.

Quoniam imbecilles etc. Dicit unde proveniat illius doctrinæ difficultas : nimirum, præsertim ex eo oritur quod negligenter attendant Hebræi. Imbecilles ad audiendum, νωθροι ταις ακοαις, *tardi, ignavi, segnes auribus :* qui mysteria novæ legis audire non amant, quia ad Judaismum procliviores sunt.

12. Elementa exordii, *exordialia, prima.* Lacte : s. Literæ doctrinam cum cibo sæpe comparant, cf. 1 Cor. III, 2.

13 et 14. Probat eos adhuc indigere lacte doctrinæ elementariæ; ratio est, eos hactenus in fide parum exercitatos esse, similes infantibus quorum stomachus cibum solidum ferre nondum assuefactus est.

Expers est : debuisset addere *cibi solidi*, sed metaphoram applicat, et ideo scribit *expers est sermonis justitiæ. Justitia* hic non sumitur pro *justificatio per Christum*, nam hæc doctrina inter fidei rudimenta mox recensetur cap. VI, 1 ; sed *sermo justitiæ* videtur esse idem ac *doctrina justorum*, doctrina

14 parvulus enim est. * Perfectorum autem est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

CAPUT VI.

1 * Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis,

vulus est et rudis in hac scientia. [14] Cibus autem solidus traditur iis qui pueritiam egressi sunt, qui per ciborum usum sensus et organa habent exercitata atque robustiora; i. e. doctrina fidei profunda iis tantum exponi potest, qui per longum veritatis studium mentem habent exercitatam ad discernendum verum a falso, et bonum a malo.

[1] Attamen, quum jam satis diu profiteamini fidem, ideoque doctrinæ profundioris capaces esse debeatis, puncta elementaria prætermittam, et ad altiora ascendam: igitur, non rursum fundamenta ponam nostræ religionis, instruendo vos circa pœnitentiam a pec-

solidior et perfectior, quæ iis traditur qui jam sunt justificati, et fidei initiati: vel, *sermo perfectionis* (cf. cap. VI, 1), seu qui *perfectis* (V, 14) proponitur.

14. Pro consuetudine, *δια την ἑξιν*, *propter habitum*. Habitus proprie est agendi facilitas et proclivitas per longum usum acquisita. — Sensus, pertinet ad allegoriam de infantibus quibus lacte opus est, et de adultis qui solidum cibum capiunt. Boni et mali: loco *veri et falsi*, quum sermo fiat de doctrinæ cognitione.

1. Reprehensionem in monitionem jam convertit. Quapropter, *cum deberetis magistri esse propter tempus* (V, 12), quum in christianismo jam diu vixeritis, adeoque absonum et inutile esset lac doctrinæ, i. e. prima fidei elementa vobis rursum tradere, siquidem ea satis superque accepistis: ideo, etc. Intermittentes, *αφεντες*, *omittentes*. Sermonem inchoationis Christi, quo Christus incipit in animis nostris informari, quo Christi fidei initiamur: idem ac *elementa exordii sermonum Dei*, cap. V, 12. Ad perfectiora, *επι την τελειοτητα*, *ad perfectionem*, i. e. sermonem perfectionis, doctrinam profundiorem. Feramur: explico, non de adhortatione ad lectores, sed cum Bisp. et Beel. post Estium, de proposito Apostoli, quod cap. VII reipsa exequitur.

Fundamentum: doctrina elementaria seu initialis est simul fundamentalis: eas comprehendit veritates quibus niti debet omnis fidei cognitio. Metaphora de fidei *ædificio* Paulo solemnis est; cf. præsertim 1 Cor. III, 10 sqq.

Pœnitentiæ, etc. Præcipuas catecheticæ vel inchoativæ instructionis partes jam indicat, atque admirabili ordine enumerat. Et re quidem vera, ut homo adultus fiat christianus, ante omnia requiritur ut pœnitentiam agat

2 et fidei ad Deum, * baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis

catis et fidem in Deum, [2] Baptismi et Confirmationis Sacramenta, mortuorum resurrectionem, et judicium quo

seu *animum mutet* (μετανοια), et a via mala recedat; 2° ut fidem, quæ radix est, initium et fundamentum justificationis, amplectatur; 3° per Baptismum justificetur, et 4° per cetera Sacramenta in justificatione confirmetur; 5° et 6° tandem, ad consummationem perveniat per resurrectionem et judicium.

Sex autem illi articuli facile possunt ad tria capita reduci : 1^m, quæ ad ingressum regni Dei prærequiruntur : *pœnitentia* et *fides;* 2^m, quæ ad ipsum Dei regnum in terris spectant : *Baptismus, Confirmatio* ceteraque Sacramenta; 3^m, quæ ad regni consummationem referuntur : *resurrectio* et *judicium.*

Vel alio modo : 1° de præambulis ad vitam christianam; 2° de ipsa vita christiana; 3° de fine seu consummatione vitæ christianæ.

Vel sic : de hominis 1° vocatione ad christianismum; 2° justificatione et continua sanctificatione; 3° glorificatione.

Divisiones illæ omnes fere conveniunt cum triplici regno *naturæ, gratiæ* et *gloriæ;* pariter cum triplici virtute theologica : *fide, spe* (quæ est virtus propria hominis justificati in his terris) et *charitate* (quæ perfectissima erit in visione beatifica).

Pœnitentia : μετανοια, *animi* vel *cogitationum immutatio,* resipiscentia, seu conversio ab operibus mortuis ad opera viva, i. e. a peccatis (quæ *mortem* animæ inferunt) ad sanctitatem. Hic actus primus est in accessu ad christianismum, et constituit partem negativam præparationis ad justificationem : pars autem positiva est *fides,* quæ radix vera est ex qua justificatio nascitur. S. Joannes Baptista hanc ipsam proposuit doctrinam, quando prædicationem suam inchoavit : *Pœnitemini,* ait, *et credite Evangelio,* Marc. I, 15; pariter s. Petrus : *Pœnitentiam agite,* inquit, *et baptizetur unusquisque vestrum,* Act. Ap. II, 38.

2. Doctrinæ, multi referunt ad *fundamentum* v. 1, adeo ut sensus sit : fundamentum doctrinæ de pœnitentia et fide, de baptismatibus et impositione manuum, etc. Verum obstat genitivum *doctrinæ* nimis remotum esse a substantivo *fundamentum* ut ab eo pendeat. Quamobrem putem genitivum illam regi a vocabulo *baptismatum* cui annectitur; hoc enim suadet constructio obvia, eo vel magis quod aliis quinque nominibus *pœnitentiæ, fidei, impositionis, resurrectionis* et *judicii* aliquid additum sit quo singula magis determinentur. Sensus erit : baptismatum non quorumcumque (puta, lotionum manuum etc., quæ tam sæpe in usu erant Judæis), sed sacrorum, de quibus agitur in doctrina religiosa seu evangelica.

mortuorum, et judicii æterni.
3 * Et hoc faciemus, si quidem
4 permiserit Deus. * Impossibile
est enim eos, qui semel sunt

post mortem sors æterna decernitur. [3] Verum, si Deus permiserit, perfectiora exponam. [4] Inutile foret secus facere : nam moraliter impossibile est, fidei rudimenta iterum persuadere iis qui a fide jam accepta defecerunt. Aliis verbis : fere impossibile est ut ii, qui fidei lumen semel susceperunt,

Hoc jam admisso, quæritur quid per *baptismata* ista religiosa intelligendum sit, et quare in plurali dicantur *baptismata.* Inter varias sententias hæc mihi magis arridet, Apostolum respicere ad trinam immersionem ab antiquissimis temporibus in Sacramento Baptismi adhibitam. Beelen ita explicat : nolo rursum tradere *doctrinam baptismatum,* i. e. doctrinam qua exponitur differentia inter baptisma proselytorum apud Judæos, baptisma pœnitentiæ a Joanne prædicatum, et sacramentum Baptismatis a Christo institutum. Fere concinit Bisping.

Impositionis manuum, sc. sacramentalis et operatoriæ, non nudæ ac tantum deprecatoriæ : id innuit contextus, quia loquitur auctor de doctrinis fidei fundamentalibus, et quia statim præcedit mentio de Baptismo (vide quæ notavimus ad Act. Ap. XIII, 3). Igitur de Sacramento Confirmationis hæc intelligenda esse videntur. De aliis autem Sacramentis, præsertim vero de ss. Eucharistia, nihil dicitur; quia hæc ad fidei rudimenta, quæ parvulis, nondum initiatis, tradi debent, non pertinent. Notum est doctrinam de ss. Eucharistia sub *disciplina arcani* comprehensam fuisse, adeoque catechumenis traditam non fuisse.

Judicii æterni : *æternum* vocatur, quia æterni sunt ejus effectus, tum præmia quum pœnæ.

3. Hoc faciemus : ad perfectiora feremur; non, ut Calmet explicat, fundamenta iterum jaciemus alio tempore, si Deus voluerit; huic obstat sequens *impossibile est enim,* ubi rationem reddit quare fundamenta fidei rursum exponere nolit. Propositum autem suum, quo intendit doctrinam prosequi perfectiorem, in cap. VII executioni dabit.

4. Enim, probat fundamentalem fidei doctrinam non iterum exponendam esse iis, quibus jam tradita fuerat, quique christiani facti erant. Ratio est, impossibile esse (moraliter loquendo) apostatas ad fidem revocare per prædicationem illius doctrinæ; nam eam cognoscunt, et ex prava voluntate abjecerunt : nullo igitur modo eorum animum commovebis, si Christi vitam, passionem et mortem narres ipsis; aut si describas benignitatem et misericordiam Dei Filii e cœlis descendentis, et in crucis patibulo morientis ut

illuminati, gustaverunt etiam	et in Baptismate eximium sanctificationis beneficium obtinuerunt, et in
donum cœleste, et participes	sacra Confirmatione participes facti sunt

peccatores salvet. Isti enim negant, Jesum illum Nazarenum esse Dei Filium, et Salvatorem; contendunt ipsum esse hominem tantum, et perturbatorem quidem, talem qui extremum meritus sit supplicium; approbant igitur Judæos, qui eum contempserunt et morti tradiderunt; imo vero, si occasionem haberent, eos imitarentur. Quamobrem Christum ut Salvatorem non agnoscunt, christianam respuunt religionem, negant Baptismum et Pœnitentiam esse Sacramenta a Deo instituta per quæ peccata remittantur. Cf. annot. infra X, 26.

Ex dictis patet multum aberrasse Novatianos hæreticos, quum ex hoc loco, et ex cap. X, 26, XII, 17, concluderent: omnium peccatorum remissionem obtineri non posse in Ecclesia, atque præsertim veniæ locum non esse iis qui apostasiam a fide commiserint. Eo manifestius falsa deprehenditur istorum interpretatio, quod alibi, cap. III, 13, IV, 16, lapsi ad pœnitentiam invitentur, eisque spes salutis præbeatur; deinde, idem colligitur ex officio expiatorio quod Christo pontifici tribuitur, cap. V, 3, et VIII, 12, IX, 14 etc.

Impossibile est, moraliter loquendo (quamvis non absolute impossibile), ut hominem, qui a fide christiana per apostasiam defecit, ad eam denuo convertamus per nudam atque elementariam fidei expositionem, siquidem omnes et singuli articuli fundamentales recte cogniti sunt ab eo, atque omnes et singuli tamquam totidem errores ab eodem rejiciuntur. Præterea, fere impossibile est, i. e. valde difficile, ut ille, qui maximis Dei gratiis pessime abusus sit, qui insignia Dei beneficia nonnisi ad majorem perversitatem adhibuerit, se ad Deum per gratiæ auxilium rursum convertat: ad hoc enim opus est miraculo gratiæ; constanter enim repellit id quo solo ad pœnitentiam revocari potest, videlicet supernaturale Dei auxilium: igitur, adeo obduratum est cor ejus, ut nullo pietatis sensu nulloque gratiæ motu afficiatur. Quotidiana etiam comprobatur experientia, apostasiam a fide, quando ex interiore mentis cordisque perversione oritur, ad impœnitentiam finalem sæpissime conducere.

Qui semel sunt illuminati, lumine fidei christianæ, i. e. qui christiani facti sunt. Gustaverunt etiam donum cœleste, gratiam sanctificantem, quam in Baptismate acceperunt, quæque peccatorum remissionem et pacem bonæ conscientiæ includit: forsitan etiam generaliore modo intelligitur

5 facti sunt Spiritus sancti, * gu-
staverunt nihilominus bonum
Dei verbum, virtutesque sæculi
6 venturi, * et prolapsi sunt : rur-
sus renovari ad pœnitentiam,
rursum crucifigentes sibimetip-

Spiritus sancti; [5] quique eximiis Dei promissionibus, in fidei doctrina propositis, crediderunt; atque dulcem vim gratiarum Christi experti sunt; [6] qui post hæc omnia in apostasiam prolapsi sunt : fere impossibile est, inquam, ut isti per iteratam expositionem fidei elementariæ ad christianismum rursum convertantur; siquidem Christum, in quem credere deberent, repudiarunt,

participatio Christi, quæ in justificatione per Baptismum obtinetur, et per cetera Sacramenta, præsertim vero per ss. Eucharistiam, augetur et perficitur. — Participes facti sunt Spiritus sancti, maxime in Sacramento Confirmationis, in quo peculiari ratione Spiritus sanctus cordibus fidelium infunditur.

5. Nihilominus. In textu originali habetur simpliciter *και et*, quod melius est. Bonum Dei verbum : divinas promissiones de æterna felicitate, in verbo Dei seu Evangelio enuntiatas.

Virtutesque seculi venturi. *Seculum venturum*, quemadmodum supra cap. II, 5 *orbis futurus*, intelligitur mundus novus a Christo regeneratus, per oppositionem ad *seculum hoc, seculum præsens*, quo tempus veteris Testamenti designatur. *Virtutes* autem mundi illius novi sunt generatim gratiæ omnes christianæ religionis, quæ pignus quoddam, seu potius inchoationem aliquam, divinarum promissionum æternæque felicitatis constituunt; nam, ut docet s. Thomas, *gratia semen est gloriæ.*

6. Prolapsi sunt in apostasiam a fide christiana. Rursus renovari, græce *renovare* (verbum activum) quod refertur ad fidei prædicatores, hoc sensu : impossibile est ut nos, Dei ministri, per iteratam fidei elementariæ catechesin, ad christianam religionem eos denuo convertamus.

Rursum crucifigentes etc. : causam indicat quare impossibile sit istos ad pœnitentiam renovare; quamobrem participium sequenti modo in tempus finitum resolvendum est : *quippe qui crucifigant* etc. Christum, Dei Filium, jure ac merito a Judæis cruci affixum fuisse profitentur, atque adeo virtualiter, in quantum ab ipsis pendet, eumdem rursum crucifigunt.

Sibimetipsis, dativus incommodi : pro istis, et secundum impiam ipsorum opinionem, Christus nihil jam aliud est quam homo scelestus (o quam horrenda blasphemia!), supplicio crucis ignominiosissimo juste affectus : proindeque ipsis jam non est Salvator; et, quum alius non sit per

sis Filium Dei, et ostentui habentes.

7 * Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit bene-
8 dictionem a Deo: * proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima:

eum ut hominem mendacem spernentes; unde crimen Judæorum implicite approbant, et aliquo sensu renovant, adeo ut Filium Dei sibimetipsis iterum crucifigant et ludibrio habeant.

7 8 Istorum autem conversionem et salutem difficillimam esse, ex hac comparatione declaratur: similes sunt agro, qui frequenti pluvia irrigatur, et, loco fructuum agricolæ utilium (quos si ferret magis magisque ab ipso coleretur, et fertilior fieret), nonnisi spinas et tribulos profert: quemadmodum ager iste

quem salvari possint homines, ipsis non est salus (quamdiu, ut per se patet, in hujusmodi sensibus perseverent). — Et ostentui habentes, παραδειγματίζοντας, *publico ludibrio exponentes*; quod cum *crucifigentes* jungendum est, hoc sensu: *ignominiosæ morti*, sc. supplicio crucis, *tradentes*. — Eadem sententia, qua crimen apostasiæ cum scelere Judæorum comparatur, repetitur infra, cap. X, 29.

7. Enim: explicat, per comparationem, impossibile esse ut apostatæ, qui tot tantisque Dei gratiis abusi fuerint, per nudam fidei catechesin convertantur. — Terra. Valde pulchra est hæc comparatio hominis cum agro, quem Deus sibi acquisivit, quem colit, in quem jactat semen verbi sui, quemque et rore et pluvia fecundat gratiarum. Cf. Matth. XIII, 24.

Herbam opportunam, potius *plantam utilem*. A quibus colitur: δι' οὓς, *propter quos* colitur (δια cum accus.); sensus est: *ager qui profert plantas domino suo*, i. e. *agricolæ; utiles*. Remota metaphora significatur homo qui bona opera, Deo placita, facit.

Accipit benedictionem a Deo: comparationem jam applicat. Vult dicere: sicut ager fertilis, qui a domino seu agricola colitur, ab eodem magni æstimatur seu benedicitur, et magis magisque aratur quo meliores abundantioresque fructus proferat: ita etiam homo, quibus Deus multas dat gratias, si bene eis cooperetur multaque efficiat opera bona, magis magisque a Deo benedicitur ac gratiis cumulatur.

8. Spinas et tribulos, sensu metaphorico: vitia, inter quæ maximum sane est crimen apostasiæ. — Reproba est etc. Sicut ager istiusmodi sterilis atque improbus ab agricola aliquamdiu negligitur, et manet arvum relictum, donec tandem post aliquot annos comburantur herbæ inutiles quæ agrum impleverint: ita etiam homo apostata a Deo derelinquitur et

cujus cousummatio in combustionem.

9 * Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, et viciniora saluti, tametsi ita loquimur.

10 * Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis

a domino suo negligitur, et maledicitur, adeo ut tandem in eo ignis accendatur quo herbæ istæ inutiles comburantur: ita etiam apostatæ, propter abusum gratiarum, a Deo deserentur et maledicentur, eorumque sors ultima erit ignis infernorum.

9 Verum, fratres amantissimi, persuasum habeo vos haudquaquam tales esse, adeoque salutem vestram non periclitari; tametsi ita locutus sum ut aliter sentire videar. 10 Non enim Deus, auxilium subtrahendo, permittet ut a fide deficiatis: nam injustus esset, si nullam gratiarum retributionem vobis daret pro bonis charitatis operibus, quæ erga christianos pauperes, cum purissima intentione, fecistis

maledicitur (subtrahit Deus gratias speciales quibus antea eum adjuvabat), et tandem post vitæ aunos male transactos impœnitens moritur, et igni infernorum traditur.

9. Prudenter lenit quod modo dixit, ne eos ad desperationem impellat, ut contra eis perseverantiam in fide suadeat. Confidimus, πεπεισμεθα, *persuasum habemus.* Dilectissimi, qua appellatione tacite significat ex vero charitatis affectu se tam dure locutum fuisse. Viciniora saluti, græce *saluti vicina, proxima, adhærentia:* opponitur verbis *maledicto proxima,* v. 8.

10. Enim, explicat quo fundamento nitatur persuasio illa bona. Deus injustus esset, si gratias non daret abundantiores iis, qui per bona opera gratiæ augmeutum de condigno merentur: jus enim ad eas habent, quod quidem jus oritur saltem ex promissione divina. Obiter nota contra Protestantes, doctrinam catholicam de merito stricte dicto hic demonstrari; cf. conc. Trid. sess. 6, cap. 16.

Ut obliviscatur. Deus dicitur *oblivisci* (per anthropopatciam) quando non adjuvat, nec protegit aut defendit, quando gratias non largitur etc. — Et dilectionis. Ante *dilectionis* textus Receptus addit του κοπου *laboris,* sed hæc vox in Vulgata recte omittitur, quum sit glossema ex 1 Thess. I, 3. — In nomine ipsius, εις cum acc., *ad nomen ipsius, propter ipsum, ad gloriam ejus,* ideoque *cum purissima* mentis *intentione.* — Ministrastis: verbum hoc de operibus beneficentiæ erga pauperes atque ægrotos sæpe adhibetur in novo Testamento.

11 sanctis, et ministratis. * Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei
12 usque in finem : * ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, et patientia here-
13 ditabunt promissiones. * Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per
14 semetipsum, * dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multipli-

et adhuc facitis. [11] Severe autem locutus sum, quia valde exopto vos excitare, ut unusquisque vestrum eamdem ostentet in bono solicitudinem, atque ita, usque in finem perseverans, obtineat salutem quam sperat. [12] Proinde, ut segnes non efficiamini, sed contra illos imitemini sanctos, qui perseveranti fide promissam felicitatem adepti sunt, vel adipiscuntur, [13] [14] [15] v. gr. Abrahamum, qui, in fide et spe constanter permanens, tandem assecutus est id quod immutabiliter ei promisit Deus, quando per semetipsum juravit dicens : *Non sim ego Deus, si beneficiis te non cumulem;*

Animadverte Apostoli solertiam, qui, post severam monitionem, laudem ingeniose eis tribuit.

11. Cupimus : επιθυμουμεν, *vehementer* (επι vim intendit) *cupimus.*

12. Fide et patientia, hendiadis, *patienti* seu *perseveranti fide.* Hereditabunt : græce in præsenti *hereditant,* quod comprehendit tum antiquos patriarchas, ut Abrahamum etc. (v. 13-15), tum christianos omnes. *Hereditare,* pro *in firmam atque perpetuam possessionem obtinere.* Promissiones, abstractum pro concreto : *res promissas,* i. e. benedictionem et beatitudinem perfectam ac perpetuam in cœlis.

13. Namque : probat viros fuisse qui per fidem perseverantem promissiones hereditaverint; *namque* logice refertur ad *adeptus est promissionem* v. 15 : ibi enim habetur sententia principalis : vide paraphrasim.

Juravit. Deus, stricte loquendo, jusjurandum dare nequit; nam testem, quo suam assertionem firmiorem reddat, invocare neminem potest; quamobrem *jurare* per anthropopateiam dicitur, pro *firmiter et immutabiliter statuere.*

14. Nisi, ει μην (quæ vera lectio est, non ημην, *certe,* ut habet textus Receptus), respondet hebræo *im lo,* et formula est jurisjurandi execratorii, quæ ita compleri debet : *si non benedixero tibi, non sim ego Deus !* Sensus est : *certo tibi benedicam, juro me tibi benedicturum esse.* Benedicens benedicam : geminatio ad morem Hebræorum, quæ emphasim notat, et certitudinem vel potius abundantiam significat.

Multiplicabo te. In Gen. XXII, 17, unde desumitur citatio, hebræus et 70 Interpretes habent *semen tuum* loco *te.* Videtur Apostolus posuisse *te,* ut sensum de carnalibus posteris (*semen*) removeret, et innueret spiri-

15 cans multiplicabo te. * Et sic
longanimiter ferens, adeptus est
16 repromissionem. * Homines enim
per majorem sui jurant : et omnis
controversiæ eorum finis, ad con-
firmationem, est juramentum.
17 * In quo abundantius volens
Deus ostendere pollicitationis
heredibus immobilitatem consi-
lii sui, interposuit jusjurandum :
18 * ut per duas res immobiles,

si non dem tibi numerosam posteritatem ! Deus vero *per semetipsum* juravit, quia non habet majorem se per quem juramentum suum testetur. [16] In hoc autem quod *juravit*, mori humano se accommodavit; sicut enim homines, quando aliquid volunt confirmare, jus jurandum dant, majorem illum (Deum) in testem invocando, adeo ut ita omni liti finem faciant : [17] sic etiam Deus, ut iis, quibus pollicitationem dedit, ostenderet mentis ac voluntatis suæ immutabilitatem, jus jurandum interposuit. [18] Quod quidem fecit in hunc finem ut, per duas illas res immutabiles (per promissionem et jura-

tualem Abrahæ sobolem, christianos. Hæc autem Dei promissio Abrahæ facta, in tota plenitudine intelligenda est de salute Messianica per Christum perficienda.

15. Adeptus est : nam Messias venit, et Abraham per Messiam venturum salutem obtinuit. Huic autem non repugnat cap. XI, 13, 39, ubi patriarchæ dicuntur non accepisse repromissionem; nam hoc sensu id asseritur, quod Christum præsentem non conspexerint, sed eum venturum esse crediderint : hæc autem fides, quæ vocatur *sperandarum substantia rerum* (cap. XI, 1), quædam fuit inchoata possessio promissæ salutis : plena autem salus eis contigit solummodo postquam Christus, per mortem suam et ascensionem, cœlum aperuit : etenim justi veteris Testamenti usque ad illud tempus in *Limbo* detinebantur.

16. Enim nectit cum v. 13. Jurant (præs.), *jurare solent.* Per majorem sui : κατα του μειζονος, *per illum qui major est omnibus,* per Deum (*sui* non est in textu originali). Ad confirmationem. Phrasim ita construe : jusjurandum est finis omnis litis, et adhibetur ad confirmationem illlus quod asseritur.

17. In quo : εν ῳ, *propter quod, quamobrem.* Abundantius refer ad *ostendere.* Interposuit jusjurandum : εμεσιτευσεν ὁρκῳ, quod vel intransitive sumi potest : *per jus jurandum medium se præstitit, jurans intervenit,* i. e. *interposuit jus jurandum;* vel transitive : *per juramentum promissionem suam mediam fecit, interposuit promissionem juratam, suam promissionem juramento confirmavit.*

18. Per duas res, promissionem et jus jurandum. Solatium : παρακλησιν, quod sign. *solatium* vel *adhortationem.* Hæc duo vix separari possunt in

quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem,
19 * quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora

mentum), quarum neutri mentiri potest Deus, ad fidelitatem efficaciter animemur nos christiani, qui fidem amplexi sumus cum spe aliquando obtinendi præmium nobis propositum. [19] Spes autem hæc firmissima nos in fide fortes et immotos reddit, quemadmodum anchora, in maris arenam profundissime immissa, navem reddit immotam atque securam. Etenim spes illa in cœlos tam alte penetrat, ut usque ad ipsum Dei solium perveniat; seu (imagine ex cultu Mosaico desumpta) in Sanctum-Sanctorum, ultra secundum Tabernaculi velamen, ingreditur (*vel potius*,

præsenti materia: nam spes illa firmissima consolatur nos mediis in vitæ miseriis, et eo ipso nos ad fidelem perseverantiam adhortatur et animat.

Qui confugimus etc., qui mundum perversum dereliquimus, et ad christianam religionem confugimus. Ad tenendam, potius *obtinendam* spem, i. e. *speratam salutem*. Propositam : coram oculis mentis nostræ expositam, quemadmodum bravium currentibus in stadio ostentatur. Auctor certe respicit ad ludos publicos.

19. Quam sc. *spem* (pronomen ἥν non refertur ad vocem παράκλησιν *solatium*) habemus : agitur jam in hoc versiculo de spe subjectiva, in præcedenti vero sermo erat de spe objectiva.

Anchoram. Comparatio elegantissima : mundus est mare, homines nautæ sunt, cœlum est litus remotum ad quod tenditur, spes eo perveniendi est anchora quæ firmitatem navi atque securitatem in tempestatibus et periculis hujus vitæ præbet. S. Aug. (in Ps. 64, 3) : " Jam, ait, desiderio ibi sumus; jam spem in illam terram, quasi anchoram, præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus... Contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra, fundata in illa civitate Jerusalem, facit nos non abripi in saxa. "

Incedentem etc. : miscetur hic duplex comparatio. Sicut anchora in maris fundum alte infigitur, ut navem a fluctibus agitatam reddat immotam : ita etiam spes nostra penetrat usque ad interiorem partem habitaculi Dei, usque ad intimum cœlum, nobisque magnam dat firmitudinem et securitatem in vitæ hujus miseriis et periculis : " ut inter mundanas verietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia (Ora. domin. 4 post Pascha). " Deinde, quemadmodum summus pontifex veteris legis penetra-

20 velaminis, * ubi præcursor pro nobis introivit Jesus secundum ordinem Melchisedech pontifiex factus in æternum.

nos per spem illuc ingredimur), [20] ubi est Jesus, pontifex supremus novæ legis, et pontifex quidem æternus instar Melchisedechi, qui ante nos, ut viam ostenderet nobis, et eo introivit pro nobis, ut nobis locum præpararet.

Analysis cap. V, 11-VI.

Antequam excellentiam sacerdotii Christi pergat exponere, digressionem moralem seu paræneticam, qua lectores *reprehendit* et *adhortatur*, interjicit satis amplam.

1° *Reprehendit* eos, quia non sunt capaces intelligendi profundam christianæ doctrinæ expositionem, qualis est tractatio quam de Christi sacerdotio ipse instituere vellet, cap. V, 11-14. Non tamen iterum tradet eis elementa fidei, cap. VI, 1-3, quia labor esset inutilis; nam, si ponamus prima fidei principia ab eis rejecta fuisse, moraliter impossibile erit eos ad christianismum iterum convertere per repetitam fidei elementariæ prædicationem, v. 4-6 ; isti enim, qui divinis gratiis tantopere abusi sunt, Dei maledictionem in se attrahunt, v. 7, 8.

2° *Adhortatur* eos ut ab hujusmodi apostasia caveant, et fideles in

bat usque *ad interiora velaminis*, i. e. usque ad Sanctum-Sanctorum, ubi erat Dei solium : ita etiam nos, spe illa ducti, penetramus (mente, corde, exspectatione etc.) usque ad altissimum cœlum, et ad ipsum Dei solium accedimus. — Velaminis, intellige *secundum velamen, interius*, quod Sanctum-Sanctorum a Sancto separabat. Respicit auctor ad veteris legis Tabernaculum, quod cœli typus erat.

20. Præcursor, iterum imago a ludis publicis desumpta. Pro nobis, in gratiam nostram, ad salvandum nos, ad præparandum nobis locum. Introivit Jesus in cœlum per merita mortis suæ, igitur per efficaciam sacrificii cruenti, quod, in ara crucis, Deo Patri obtulit; proinde introivit quatenus erat pontifex κατ' ἐξοχήν (seu, ut vulgo dicitur, pontifex *per excellentiam*). Apta est transitio ad profundiorem de Christi sacerdotio doctrinam, quam Apostolus supra (VI, 1, 3) dare promisit.

fide permaneant : hunc in finem eis in memoriam revocat a/ præteritam eorum beneficientiam, v. 9, 10; et b/ certitudinem cœlestis beatitudinis, ab iis qui perseveraverint, quondam obtinendæ : v. 11-20.

§ 3. *Distincte et fuse explicatur vaticinium : Juravit Dominus... : Tu es sacerdos, etc.*

VII—VIII, 5.

1 * Hic enim Melchisedech, [1] Christum dico sacerdotem Melchise-

1. Redit ad V, 10. In hoc capite VII docet nos, per specimen præclarissimum, qua ratione instituenda sit exegetica explicatio veteris Testamenti; videlicet pulcherrime commentatur illa Psalmi CIX : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Singula fere verba expendit, nempe :

1° *Juravit Dominus,* ergo per jusjurandum ipsius Dei confirmatum est Christi sacerdotium ; non ita res habet de sacerdotibus veteris legis. 2° *Sacerdos,* et in perfecta quidem significatione vocis, mediator Deum inter et homines, Deus-homo, qui totus in eo est ut populi peccata expiet, quum propria non commiserit : contra, sacerdotes Levitici sunt homines, peccatis obnoxii, qui debent pro se ipsi sacrificare antequam populum expient; deinde eorum expiatio non est efficax et consummata, sed legalis tantum et externa, quia lex vetus vere justificare per se ipsa non potest. 3° *Sacerdos in æternum :* ergo numquam moriens, semper vivens ad interpellandum pro nobis, ideoque sacerdos unicus etc.; sacerdotes autem Mosaici sunt temporarii, et sibi invicem succedunt etc. 4° Tandem, *sacerdos secundum ordinem Melchisedech,* adeo ut in ipso adimpletæ sint figuræ omnes quæ in historia Melchisedechi reperiantur : alii autem sacerdotes sunt secundum ordinem Aaronis, qui ordo longe minores habet prærogativas. Ex his concludit, Christi sacerdotium sacerdotio Mosaico multo excellentius esse : unde sequitur, fidei christianæ adhærendum esse, non ad Judaismum revertendum.

Obiter notare liceat, methodum illam s. Pauli in sacra exegesi tradenda, eam esse quam pro viribus constanter sequi, vel a longe, conamur, præsertim in ea explicationum parte quæ *Analysis logica* inscribitur, et in qua mens nobis est, per ratiocinationes exprimere omnes sententias atque doctrinas, quæ in verbis sacris sub involucro quodam continentur.

Hic enim etc. Primum explicat, v. 1-10, verba *secundum ordinem Melchise-*

rex Salem, sacerdos Dei summi,
qui obviavit Abrahæ regresso a
cæde regum, et benedixit ei :
2 * cui et decimas omnium divisit
Abraham : primum quidem qui
interpretatur rex justitiæ : deinde
autem et rex Salem, quod est,
3 rex pacis, * sine patre, sine
matre, sine genealogia, neque

decho similem : hic enim in omnibus, quæ de ipso leguntur in libro Geneseos, typus Christi fuit. Narratur ipsum fuisse regem Salem simulque sacerdotem Altissimi ; ipsum occurrisse Abrahæ, quum hic, cæsis quatuor regibus, victor rediret, eique benedictionem sacerdotalem dedisse, [2] a quo vicissim decimam omnium spoliorum partem accepit. Atqui hæc omnia Christum præfigurabant : primum quidem nomen ipsum *Melchisedech*, cujus sensus est *rex justitiæ;* deinde titulus *rex Salem*, i. e. *rex pacis*; [3] præterea etiam hæc circumstantia, nullam fieri

dech, et ostendit qua in re sacerdos ille regius fuerit typus sacerdotii Christi. HIC ENIM pendet a verbo *manet* v. 3. ENIM explicat quod ait cap. VI, 20 *secundum ordinem* etc. MELCHISEDECH, cujus historiam vide Gen. XIV : nomen etymologice sign. *rex justitiæ*, cf. v. 2. Ergo Christi figura fuit 1° in nomine tum suæ personæ, quum urbis ubi commorabatur : nempe SALEM, idem quod *Jerusalem*, cf. Ps. LXXV, 3 in hebræo : *Salem* autem, seu *schalom* sign. *pacem*.

REX... SACERDOS... Figura 2ª est in munere ejus : utramque potestatem, religiosam et civilem, simul habebat, atque adeo duplici officio, omnium primario, fungebatur.

OBVIAVIT etc. Christi figura fuit 3° in iis quæ Melchisedech fecisse legitur : et a/ quidem nomine Dei *benedixit Abrahæ* tamquam superior (infra v. 7) ; deinde c/ decimas ab eodem accepit, v. 2.

2. DECIMAS DIVISIT, *dedit*, ita agnoscens eum esse sacerdotem veri Dei, sibique superiorem. — INTERPRETATUR : nota verbum sumi tamquam passivum, quum in latinitate seculi Augusti ut verbum deponens adhiberi soleat. REX JUSTITIÆ ET PACIS eminenter fuit Christus : igitur, ut statim dicebam, Melchisedech fuit figura Christi vel in ipso nomine suæ personæ, et urbis suæ regiæ; quod non fortuito contigisse putandum est, nam res et eventus ita sæpe disposuit Deus, ut in ipsis nominibus apta reperiretur significatio.

3. SINE PATRE, SINE MATRE, explicatur per sequens *sine genealogia ;* igitur sign. : cujus pater et mater non nominantur in s. Scriptura, cu-

initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

4 * Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.

mentionem de ejus parentibus, aut genealogia sacerdotali, neque de ortu ejus aut morte, adeo ut tribuatur ei sacerdotium cujus nullus indicetur finis : quæ omnia Christo, Dei Filio, accommodari debent.

4 Nunc autem considerate excellentiam sacerdotis illius Melchisedechi, qui typus fuit Christi : hæc imprimis colligitur ex eo quod ipse ab Abrahamo, magno illo patriarcha, decimas acceperit

jusque nulli recensentur progenitores. Απατωρ et αμητωρ sign. *cujus parentes sunt ignoti, qui humili loco natus est.* Igitur sensus nequaquam est, Melchisedecho non fuisse patrem aut matrem, quasi angelus aut phantasma fuisset. Vult dicere Apostolus : Melchisedech fuit sacerdos peculiaris ordinis ; nam, cum sacerdotes Levitici debeant genealogiam suam adducere ut probent se pertinere ad tribum Levi, et ad familiam quidem Aaronis : Melchisedech, contra, subito exsurgit tamquam sacerdos absque ulla mentione de genealogia ejus. Genealogia hic sign. *majores*, non vero *posteros.* Applicatio est : Christus etiam fuit sacerdos absque ullo genealogiæ jure, quum nec de tribu Levi, nec de familia Aaronis esset ; cf. v. 14.

Neque initium dierum, i. e. *vitæ* (nulla prorsus ratio permittit ut *initium dierum* de sacerdotii initio explicetur), neque finem vitæ habens, rursum *in s. Scriptura.* Liber enim Genesis non refert quando natus et mortuus fuerit ille, sed eum simpliciter exhibet ut viventem : sic Christus sacerdos est vivens, simpliciter vivens, adeoque perpetuo vivens, æternus : etenim, qua Filius Dei, ab æterno est, et qua homo, in æternum erit. Manet sacerdos in æternum, supple, ut in præcedentibus, *secundum s. Scripturam,* quia in Genesi nihil de morte ejus narratur.

Collige ex dictis, Melchisedechum, juxta Apostolum, Christi typum gessisse 4° in iis quæ de ipso reticet Scriptura sacra ; nempe in duobus : a/ eum absque genealogiæ jure factum esse sacerdotem, et b/ absque initio aut fine videri.

4. Cui et decimas : *et* in quibusdam codicibus deest, sed in plerisque legitur : refertur autem ad *decimas*, quasi diceret : cui dona dedit, non obvia quævis, sed *decimas* quidem *de præcipuis.* Decimas de præcipuis, decimam partem omnium spoliorum, eam e præcipuis spoliis eligens. Patriarcha, in fine phraseos, et græce cum articulo, magnam habet emphasim.

5 * Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis: quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ.
6 * Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones, be-
7 nedixit. * Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a

selectas. [5] Sacerdotes quidem Levitic vi legis jus habent ad accipienda decimas ab Israelitis popularibus sui quamquam hi, sicut Levitæ, ejusder Abrahami posteri sunt: [6] at vero long excellentior fuit sacerdos ille Melchis dech, qui, etsi alienigena, decima accepit ab Abrahamo, imo etiam ben dixit tanto illi viro, cui Deus eximia promissiones de Messia fecerat; [7] ade que, quum omnes fateantur minorem superiore benedici, superior fuit ip

5. Ab hoc versiculo usque ad v. 10 demonstrat quod modo dixit v. *quantus sit hic.* — Quidem, concedit aliquid cui v. 6 per *autem* maju opponit. De filiis Levi, ii nimirum qui a Levi per Aaronem originei ducunt: hi enim soli poterant fieri sacerdotes, cf. Exod. XXVIII, 1; Nun XVIII, 1. — Mandatum habent, sc. Num. XVIII, 20-32. Secundum lege junge cum *mandatum habent*, hoc sensu: in lege Mosaica præscribitu ut ii decimas accipiant.

Quamquam et ipsi etc. Dignitatem sacerdotum Aaronicorum effert, ex e quod decimas accipiant ab iis, qui ejusdem Abrahami posteri sunt, qu que sub hac ratione ipsis sunt æquales. Notum est, jus exigendi decima signum esse excellentiæ et auctoritatis; eos vero qui decimas dare tenentu necessario inferiores esse et subjectos.

6. Ita ratiocinatur auctor: sacerdotes quidem Mosaici gaudent ju accipiendi decimas ab hominibus suæ gentis, quamquam hi magnam ha bent dignitatem, utpote ab Abrahamo oriundi: Melchisedech vero alien gena dicimas accipit a viro qui suæ gentis non est; adeoque sacerdotibr Mosaicis eatenus præstat. Deinde, eas accipit a viro longe digniore, a Abrahamo illo, cui Deus insignes veteris Fœderis promissiones fecit, a quo Israelitæ omnes progeniti sunt: ergo hac in re adhuc magis eluc excellentia sacerdotii Melchisedechani.

7. Quod minus est, in neutro ut universitas exprimatur. A melior ὑπο του κρειττονος, *a majore.* Benedicitur: non intelligitur sola faustoru *apprecatio,* qualis ab inferiore sæpe fit, sed efficax quædam benedictio, cujus cœlestis favor aut gratia divina effunditur in personam ipsius q

8 meliore benedicitur. * Et hic
quidem, decimas morientes ho-
mines accipiunt : ibi autem
9 contestatur, quia vivit. * Et (ut
ita dictum sit) per Abraham, et
Levi, qui decimas accepit, deci-
10 matus est : * adhuc enim in lum-

Abrahamo, et omnibus sacerdotibus Mosaicis. [8] Etenim, dum sacerdotes isti, qui decimas accipiunt, sunt homines brevi morientes, quorum igitur jus caducum est : Melchisedech e contrario sacerdotium habet perpetuum (Scriptura enim loquitur de ipso vivente, nulla adjecta mentione de morte ejus). [9] Adeo ut ipsi sacerdotes Levitici, qui potestate gaudent decimas exigendi, in persona Abrahæ, ut ita dicam, Melchisedecho decimas dederint. [10] Nam in Abrahamo progenitore suo erant inclusi, quando patriarcha ille Melchi-

benedictionem accipit. Quamobrem, nullus homo homini benedicere potest (stricte loquendo), nisi in quantum potestatem a Deo acceperit : atque, propter hanc potestatem, ei cui benedicit superior est.

8. Hic, in lege Moysis; i. e. sacerdotes Mosaici. Ibi, in historia Melchisedechi, i. e. sacerdos Melchisedech. Ibi autem contestatur quia vivit : græca clarius vertuntur: *ibi autem is* (accipit decimas) *de quo testatum est quod vivat.* Quia vivit, cf. v. 3 *neque finem vitæ habens.*

Satis difficile est hunc versiculum ratiocinationi Apostoli accommodare; seriem sententiarum sequenti modo ordinare conatus sum : Melchisedech decimas accepit ab Abrahamo (v. 6), ergo ei superior fuit (v. 7); et ex hoc ipso quod ei superior fuerit, sequitur eumdem etiam sacerdotibus Mosaicis digniorem fuisse. Quod sic probatur : ab una parte, Melchisedech qua sacerdos perpetuo vivit, atque adeo fieri potest ut sacerdotes omnes legis Mosaicæ, qui sibi invicem succedunt, ei subjecti sint; ab altera parte, sacerdotes isti Mosaici signum subjectionis Melchisedecho dederunt omnes, quando ei decimas solverunt in persona Abrahæ proavi sui, in quo erant aliquo sensu inclusi, quique eorum personam gerebat.

9. Ut ita dictum sit, *ut ita dicam,* lenit asperitatem hujusce assertionis : quando Abraham dedit decimas Melchisedecho, etiam posteri Abrahami (sacerdotes Levitici) decimas eidem obtulerunt. Accepit : melius, juxta græcum, *accipit,* in præsenti.

10. Enim. Ratio ob quam dici potest, aliquo sensu, sacerdotes Leviticos in persona Abrahæ decimas dedisse Melchisedecho : videlicet, quia erant in virtute seminali seu generativa Abrahæ (*in lumbis* enim est prima seminis

bis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

sedecho obviam ivit: ergo ei sunt inferiores.

origo); aliis verbis, quia Abraham erat ipsorum pater seu progenitor, adeoque certa quadam ratione personam eorum referebat, in tantum ut filii et posteri ejus censendi sint id fecisse quod ipse fecerit.

Tertullianus (De anima 27), ex eo quod Levi dicatur fuisse *in lumbis Abrahæ*, opinatus est animam non directe a Deo creari, sed esse ex traduce, i. e. traduci et propagari ab anima parentis. Verum falso fundamento nitebatur ille, quum animam hominis corpoream esse putaret. S. autem Aug (De orig. animæ, l. 1 et 2; Retract. cap. 45 et 56) dubitavit utrum anima a Deo crearetur, an vero esset ex traduce (eam tamen spiritualem esse constanter docuit). Ratio ob quam dubitavit hæc fuit, haud facile mente concipi quomodo anima filii a parente contrahat peccatum originale, si a parente non oriatur et traducatur. Sed responderi potest, quando anima conjungitur corpori, quod per virtutem seminalem ab Adamo ortum habet, per hoc ipsum nascitur homo qui vere filius Adæ dicendus est, et qua talis est destitutus justitia et sanctitate originali, quam Adam peccando perdidit. Porro, s. Hier., et post ipsum theologi, sententiam istam de traduce animæ merito insectantur et damnant. Nostra autem ætate controversia de *traducianismo* renovata fuit : atque hac occasione manifestior facta est doctrina Ecclesiæ, animam humanam non traduci a parente, sed directe a Deo ex nihilo creari.

Difficultas quædam hic surgit : Christus fuit etiam Abrahæ filius, ergo etiam in persona progenitoris sui decimas dedit Melchisedecho : ergo est etiam ipsi inferior. — Resp. Christus, quum conceptus fuerit de Spiritu sancto, sine concubitu carnali aut virili semine, ab Abrahamo non descendit secundum rationem seminalem; ob eamque causam, stricte loquendo non fuit *in lumbis* Abrahæ.

Præter ea quæ affert Apostolus, ut ostendat Melchisedechum figuram fuisse Christi, illud etiam addendum est, *panem et vinum* ab ipso oblata fuisse in honorem *Altissimi*, quod præsignabat sacrificium Eucharisticum a Christo institutum sub speciebus panis et vini. Audi Trid., sess. 22, De sacr. Miss. c. 1 : " Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum " constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et " vini Deo Patri obtulit. "

Mirum certe est hanc figuram ab Apostolo omissam fuisse; imo Calvinus objectionem contra Missæ sacrificium inde desumit. Resp. Mens auctoris erat eas tantum recensere figuras, ex quibus colligi poterat Christum sacer-

11 * Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sa-

[11] Et non tantum Christo inferiores sunt sacerdotes Mosaici, ut ex allato vaticinio probavimus, sed inde etiam sequitur, eorum sacerdotium per sacerdotium Christi abolendum fore. Etenim, si per sacerdotium Leviticum (dico *per sacerdotium* et non *per Legem* : nam lex et sacerdotium arctissime connexa sunt), ad finem suum, i. e. ad salutem, duci potuisset homo, sacra Scriptura sane locuta non fuisset de alio sacerdote, qui sit

dotem, in Melchisedecho præmonstratum, Aaronicis sacerdotibus superiorem esse. Atqui panis et vini oblatio illud non significabat, quum animalium et holocaustorum sacrificia longe digniora haberentur. Altera forsitan silentii istius causa reperitur in eo quod timeret s. Paulus augustissimum Eucharistiæ mysterium pandere et exponere, in epistola quæ in manus Judæorum incredulorum facile devenire poterat.

Hanc difficultatem, sicut et universam quæstionem de Melchisedecho typo Christi, pertractatam videsis ap. WESTERMAYER in opere : *Das alte Testament und seine Bedeutung*, Schaffhausen 1861, 4 Bände.

11. E verbis *secundum ordinem Melchisedech* conclusit, sacerdotium Christi Levitico sacerdotio dignius esse; nunc ulterius progreditur, et ex iisdem verbis deducit, sacerdotium illud Leviticum sublatum esse, et simul cum eo legem Mosaicam abolitam fuisse.

ERGO, refertur ad vaticinium, cap. VI, 20 allatum, quod hoc capite explicatur. CONSUMMATIO, τελείωσις, *perfectio, deductio ad finem.* Sensus est : si sacerdotium Leviticum posset hominem ad finem suum perducere, si posset ipsum cum Deo reconciliare etc. ; verbo, si hominem justificare et salvare posset etc.

POPULUS ENIM... ACCEPIT, parenthesis. *Enim* reddit rationem quare dixit *per sacerdotium*, potius quam *per Legem ;* nimirum, quia sacerdotium et Lex sunt connexa, quum Lex hominem expiare, Deo reconciliare, adeoque justificare nequeat, nisi per sacrificia, proindeque per sacerdotium. — SUB IPSO (sacerdotio) LEGEM ACCEPIT. *Sub ipso* non sign. quando erat sacerdotium, vel simul cum ipso(gall. *en même temps*), sed sensus est : Lex fundata erat super sacerdotium (gall. *sur quel sacerdoce était fondée la Loi que le peuple reçut*), adeo ut Lex sine sacerdotio non concipiatur : quare (v. 12) de-

cerdotem, et non secundum or-
12 dinem Aaron dici? * Translato
enim sacerdotio, necesse est ut
13 et legis translatio fiat. * In quo
enim hæc dicuntur, de alia tribu
est, de qua nullus altari præsto
14 fuit. * Manifestum est enim
quod ex Juda ortus sit Dominus
noster : in qua tribu nihil de
sacerdotibus Moyses locutus est.
15 * Et amplius adhuc manifestum
est, si secundum similitudinem
Melchisedech exurgat alius sa-

secundum ordinem Melchisedech, non au
tem secundum ordinem Aaronis, adeoqu
diversus a sacerdotibus legis Mosaicæ
[12] eo vel magis quod res magni momen
sit hæc mutatio : nam, quando mutatu
sacerdotium, eo ipso mutatur lex qu
cum eo necessario conjuncta est. [13] Di
Scripturam in citato loco locutam fuis
de sacerdote diverso a sacerdotibus L
viticis : Christus enim, de quo intell
genda sunt verba Ps. CIX, non est
tribu Levi, sed de alia tribu ex qua nu
lus umquam factus est sacerdos : [14] cert
enim constat ipsum ortum esse ex trib
Juda, cui nullum sacerdotii jus lex Mo
sis assignat. [15] Atque hic Scriptur
sensus adhuc clarior apparet, si alius il
sacerdos, e tribu non sacerdotali oriu
dus, dicatur sacerdos instar Melch

structo sacerdotio, necessario cadit lex universa. — Accepit : alia lectio hab plusquam-perfectum *acceperat*, quod innuit Legem non amplius existere.

12. Enim : sic ratiocinatur : si sacerdotium veteris legis hominem salva potuisset, aliud certe institutum non fuisset, namque ex sacerdotii mutatio abolitio universæ legis sequi debebat.

13. Enim, demonstrat revera alium (a sacerdotibus Aaronicis diversu prænuntiatum fuisse sacerdotem, eo in loco ubi Christus dicitur *sacerdos i æternum secundum ordinem Melchisedech*; nam 1° Christus non est ex trib Levi v. 13, 14, et 2° sacerdos est perpetuus cui nemo succedit, v. 15-17.

14. In qua tribu : εις ἡν φυλην, *in quam tribum, circa quam tribum*, nih statuit Moyses quod attinet ad jura sacerdotii ; i. e. cui tribui nullum sace dotii jus contulit legislator.

15. Manifestum est, supple : sacerdotium Mosaicum per aliud sacerdotiu dignius atque excellentius abolitum fuisse ; quod sic ostendit Apostolus novus ille sacerdos, qui in Psalmo CIX prædicitur, est sacerdos perpetuu qui non moritur sicut homines, sed virtute divina præditus semper vivit contra, sacerdotes Mosaici sunt caduci, temporarii, morti subjecti tamquan

16 cerdos, * qui non secundum le-
gem mandati carnalis factus est,
sed secundum virtutem vitæ
17 insolubilis. * Contestatur enim :
Quoniam tu es sacerdos in æter-
num, secundum ordinem Mel-
18 chisedech. * Reprobatio quidem
fit præcedentis mandati, propter
infirmitatem ejus, et inutilita-
19 tem : * nihil enim ad perfectum
adduxit lex : introductio vero

sedechi [16] in æternum, i. e. sacerdos qui non sit subjectus legi carnalis successionis (qui non debeat mori nec habere successorem), sed cui competat vis vitæ perpetuæ. [17] Atqui talis dicitur Christus : nam Psalmista aperte testatur eum esse sacerdotem æternum : *Tu*, ait, *es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Concludimus in Christo novum atque excellentius constitutum esse sacerdotium ; [18] unde etiam sequitur novam legem conditam fuisse. Videlicet lex Mosaica abolita fuit, quia non poterat salvare hominem, adeoque inutilis erat sub hac ratione ; [19] nihil enim in œconomia sulutis ad finem suum perduxit ; quamobrem instituta fuit melior lex, atque excellentior nobis datus est pontifex, per quem (sc. per

homines. Igitur v. 15-17 præsertim explicat voces *in æternum*, quæ in dicto oraculo leguntur.

16. Secundum legem mandati carnalis, *ad normam legis quæ respicit homines carnales, mortales.* Lex Mosaica statuebat ut summi sacerdotes sibi invicem succederent in familia Aaronis : hæc autem præscriptio (*mandatum*) carnalis est, i. e. respicit homines corpore mortali (*carne*) indutos, qui necessario moriuntur, quorum igitur alius alii succedit. — Virtutem vitæ insolubilis, potentiam vi cujus vitam habet interminatam.

18. Quidem, græce μεν γαρ, *etenim :* explicat et probat in nova lege novum atque excellentius institutum fuisse sacerdotium; unde implicite sequitur legem veterem fuisse ablatam : id factum est, quia lex vetus, utpote præparatio ad Christum, impotens et inutilis facta est, mox ut advenit ipse Christus.

19. Ad perfectum adduxit : ετελειωσεν, *perfectum fecit, ad finem* (τελος) *suum nihil perduxit,* nisi, ut aliunde novimus, per Christum : Lex enim ducebat ad Christum, et per Christum ad salutem. — Introductio vero supple *fit* (γινεται) ; sensus est : sed nunc melior spes inducitur, i. e. melior lex per quam, nunc in spe, postea vere re ipsa, ad Deum accedimus ; videlicet in hac vita per gratiam sanctificantem, et per gloriam in altera. —

melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

20 * Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti

21 sunt, * hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos

22 in æternum) : * in tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.

fidem et spem in ipsum) ad Deum appropinquamus et salvi fieri possumus.

[20 21 22] Et novus ille sacerdos Jesus tanto melioris fœderis mediator et sponsor factus est, quanto excellentior est sacerdos in cujus gratiam Deus jus jurandum dedit. Et re quidem vera, dum sacerdotes Levitici sine jure jurando constituti sunt, Christus ad sacerdotium evectus est per Dei jus jurandum, ut testantur verba : *Juravit Dominus, et cum juramento quidem immutabili : Tu es sacerdos in æternum.*

Spei, metonymice pro *spei objecto,* seu lege per quam speramus accedere ad Deum. — Proximamus : respicit cultum legis veteris, secundum quem nemini licebat, nisi soli summo pontifici semel in anno, ingredi aut etiam oculos conjicere in Sanctum-Sanctorum, ubi erat solium Dei.

20. Explicat, v. 20-22, verba : *Juravit Dominus et non pœnitebit eum,* indeque tertium deducit argumentum quo sacerdotii novi excellentiam demonstret (primum dedit v. 1-10; alterum v. 11-19 : vide infra p. 563). Argumenti vis est, jus jurandum non adhiberi, nisi in negotiis quæ majoris momenti sint, atque adeo firma et rata necessario esse debeant. Et in quantum, supple *melior illa spes, per quam proximamus ad Deum, data est cum jurejurando* (*alii quidem..... æternum,* parenthesis est), *in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus.*

21. In æternum : textus græcus Receptus addit *secundum ordinem Melchisedech,* ut codd. ADEKL ; verum omittunt BC cum Vulgata : ista autem verba inutile efformant additamentum.

22. Sponsor : *fidejussor* (gall. *garant*) fœderis Deum inter et hominem contracti : ab una parte, Deus per Christum reddidit id quod hominibus promisit, igitur, Christus sponsor est illius beneficii ; ab altera parte, per Christum ejusque gratiam perficit homo id quod mutuo pacto Deo promisit (sc. Dei cultum sanctum), igitur, Christus etiam sponsor est adimpletionis hujus : unde concludimus Christum, in quantum est mediator inter Deum et hominem, in tantum esse sponsorem contractus quem Deus cum homine iniit. — Testamenti secundum latitudinem vocis hebrææ, *pacti, fœderis, contractus synallagmatici.*

23 * Et alii quidem plures facti
sunt sacerdotes, idcirco quod
morte prohiberentur permanere:
24 * hic autem eo quod maneat in
æternum, sempiternum habet
25 sacerdotium. * Unde et salvare
in perpetuum potest accedentes
per semetipsum ad Deum: sem-
per vivens ad interpellandum
pro nobis.

[23] Deinde, ut supra jam animadverti (v. 15-17), excellentia sacerdotii Christi etiam ex eo elucet quod æternum sit: sacerdotes autem Levitici non habent nisi sacerdotium temporarium; siquidem sibi invicem succedunt, propterea quod eorum quisque moriatur, adeoque sacerdos manere non possit; [24] contra, Christus vivus manet in æternum, et proinde habet sacerdotium sempiternum. [25] Ob eamque causam, quum, ut dixi, sit pontifex semper vivens, et pro nobis apud Deum deprecans, potest perfecte et plene salvare eos omnes qui per ipsum ad Deum accedunt.

23. Et, adjungit aliud argumentum quo præstantia sacerdotii Christi comprobet: idem est quod v. 15-17 jam perstrinxit, nunc autem plenius explicat. Vide analysim infra, p. 563 et seq.

24. Sempiternum: απαραβατος, sensu passivo (ut apud auctores profanos) *quod transiri* seu *immutari nequit;* inde *sempiternum* (Vulg.), *immutabile.* Estius quidem adject. græcum sensu activo explicat: *quod transire in alios non potest, quod successores non habet;* sed a Vulgata non est recedendum.

Objicitur, sacerdotes novæ legis etiam morte prohiberi permanere, atque sibi invicem semper succedere, quemadmodum sacerdotes veteris legis.

Respondetur, sacerdotes catholicos non esse proprie Christi *successores,* sed *ministros* et *vicarios,* adeo ut non sit nisi unicum Christi sacerdotium, quod a variis exercetur seu potius continuatur; quo sensu dicit s. Th.: " Solus Christus est verus sacerdos, alii autem ministri ejus. " Sic etiam non est nisi unicum sacrificium, sc. crucis, quod in sacrosanctæ Missæ sacrificio renovatur seu potius continuatur. Ut autem id profundius intelligatur, cf. *Möhler, La Symbolique,* ubi de Ecclesia scribit, eamque Christi continuationem esse ostendit; videsis etiam expositionem quam ipse tradit doctrinæ de ss. Eucharistia.

25. Unde, concludit ex statim præcedentibus. In perpetuum, *εις το παντελες, omnino, perfecte;* non est prorsus synonymicum cum *εις το διηνεκες, in perpetuum* (VII, 3 et X, 1), sed sensum habet connexum: qui *perfecte* potest salvare, ipse *perpetuo* id facere potest. — Ad interpellandum:

26 * Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a

[26] Etenim conveniens fuit ut haberemus sacerdotem qui sit pius in Deum, absque ulla peccati aut immunditiei macula, a peccatoribus prorsus segrega-

generaliter sign. officium mediatoris, quo Christus gloriosus in cœlis sine intermissione fungitur, quando (juxta s. Th.) humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, et omnia vitæ ac mortis merita, Deo Patri repræsentat, ut nobis salutem obtineat. Hæc autem interpellatio, ut notat Franzel. (De Verbo inc., th. 51), non nisi latiore sensu vocari potest *oratio*, " quia est interpellatio ex merito adæquato et jam consummato, et quia jam ipsi homini Christo data est omnis potestas. " — Pro nobis, græce constanter legitur *ὑπερ αυτων*, *pro illis*.

26. Enim, ad omnem tractationem præcedentem, de excellentia sacerdotii Christi, refertur; adeo ut ratio reddatur quare nobis datus sit novus sacerdos adeo diversus a sacerdotibus Mosaicis, eisque tam superior, nimirum Christus ille immortalis, qui ad dextram Dei Patris semper vivens interpellat pro nobis. Ratio illa est, conveniens fuisse ut Deus daret nobis sacerdotem, qui id omne complecteretur quod in conceptu formali hujus nominis *sacerdos* includitur, quique proinde totus quantus mediator esset Deum inter et hominem ; adeoque cujus singulæ actiones essent oblationes per quas homines cum Deo reconciliarentur; igitur, talis qui nulla haberet peccata propria seu personalia quæ expiare deberet.

Quare autem id conveniens erat? Resp. 1° quia expiatio rigorosa requirebat pontificem, qui Deo summe acceptus esset, qui nullo peccato inquinari posset ; adeoque qui non esset homo tantum, sed Deus simul et homo, cujusque actiones omnes infiniti pretii essent, et efficaciter possent, jure stricto, expiare peccata infinitæ malitiæ etc. 2° Quia opera Dei perfecta esse debent: igitur, quum Deus instituerit sacerdotium, decebat ut illud aliquando ad plenam evolutionem et perfectionem duceret: quod fieri non poterat nisi per Deum-hominem, per virum qui eminenter *sanctus* esset et *innocens* etc.

Sanctus, *ὁσιος*, *pius in Deum :* idem præscribitur sacerdotibus Mosaicis, Lev. XXI, 6. Innocens, *ακακος*, *sine malitia, purus ab omni labe peccati*, quemadmodum sacerdotes Aaronici, secundum Lev. XXII, 9. Impollutus, sine ulla corporali immunditie, ut sacerdotes veteres, Lev. XXI, 17. Qualitas hæc, si intelligatur in summa perfectione, innuit cœlibatum sacerdotibus

peccatoribus, et excelsior cœlis
27 factus: * qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel,

tus, et proinde ad summum cœlum elevatus; [27] igitur qui non debeat, quemadmodum sacerdotes Mosaici, quotidie pro suis delictis sacrificare antequam populi peccata expiet: Christus enim, per unicam oblationem sui ipsius in ara crucis, omnia populi delicta expiavit.

novæ legis convenientissimum esse. — Segregatus a peccatoribus, tria complectitur præcedentia; etiam indicatur, mala consortia a sacerdotibus sedulo vitanda esse. Excelsior cœlis factus, ad summum cœlum evectus, atque per hoc ipsum *segregatus a peccatoribus.* Ad exemplum Christi proto-sacerdotis, conversatio omnis sacerdotum debet esse in cœlis (Phil. III, 20 id ab omnibus fidelibus requiritur, ideoque præsertim a sacerdotibus).

27. Quotidie. Summus quidem pontifex Judæorum *semel* tantum singulis annis legitur obtulisse sacrificium pro suis peccatis; verum, omnia sacrificia, quæ ipse aliique sacerdotes offerebant ad expianda populi peccata, implicite etiam ad proprias ipsorum iniquitates vim suam extendebant, quoniam et ipsi peccatores erant et ad populum Israelis pertinebant. Ideo dicit Apostolus *quotidie* hic et cap. X, 11.

Hoc fecit: *hoc* respicit tantum ultima verba *hostias offerre pro populi delictis;* nam pro suis delictis sacrificare non debuit Christus, siquidem sanctus, innocens etc. erat. Quando autem ipse dicitur *sua* expiasse peccata, istud intelligitur de peccatis hominum *ab ipso susceptis,* ut explicavimus supra ad cap. V, 3. — Semel, supple, *pro semper.*

Protestantes hunc versum 27 contra ss. Missæ sacrificium immerito allegant: etenim aperte profitemur, per unum crucis sacrificium *objective* et perfecte satisfactum fuisse pro omnibus universi generis humani peccatis. Sacrificium autem Missæ nihil aliud est quam illius unici sacrificii, in cruce oblati, perpetua repetitio, seu potius repræsentatio realis et vivida, qua merita illius in nos (*subjective*) transferuntur. Cf. *Conc. Trid.* sess. 22, cap. 1: " Deus et Dominus noster, ait, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ " visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruen- " tum illud, semel in cruce peragendum, *repræsentaretur,* ejusque *memoria* " in finem usque seculi permaneret; atque illius salutaris virtus in remissio- " nem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur " etc. " Vide etiam ib. can. 1 et 5. *Perrone, Theol. Dogm.,* de Euch. tamq. sacrificio, prop. 1, obj. 2ª.

28 seipsum offerendo. * Lex enim
homines constituit sacerdotes
infirmitatem habentes : sermo
autem jurisjurandi, qui post
legem est, Filium in æternum
perfectum.

[28] Sacerdotes autem Mosaici, ut modo dicebam, propria sua peccata semper expiare debent; nam lex Mosaica ad sacerdotium vocat homines peccatis obnoxios. At novus ille sacerdos, qui post legem Moysis conditam divino jure jurando constitutus est, non est homo peccator, verum Filius Dei, qui nullam umquam culpam committit; itaque, non debet prius pro suis delictis sacrificare, atque etiam hac ratione sacerdotibus Aaronicis superior est.

CAPUT VIII.

1 * Capitulum autem super ea,
quæ dicuntur : Talem habemus
pontificem, qui consedit in dex-
tera sedis magnitudinis in cœ-
2 lis, * sanctorum minister, et

[1] Præcipuum autem caput eorum quæ de Christi sacerdotio docemus, hoc est : talem habemus pontificem qui sedet in solio ad dextram Dei Patris in cœlis, [2] ubi fungitur officio suo, videlicet in sanctuario illo tabernaculi veri, cujus

28. Enim, probat sacerdotes Judæos debuisse prius pro suis delictis hostias offerre. — Constituit, in præsenti. — Sermo, vaticinium illud *Tu es sacerdos* etc. Post legem, adeo ut intelligendum sit de sacerdote quodam a sacerdotibus Aaronicis diverso. Filium, pendet a *constituit :* ille enim, ad quem diriguntur verba *Tu es sacerdos* etc., in eodem Psalmo dicitur (juxta 70 interpr.) *ex utero* Dei *ante luciferum genitus.* Nomen *Filium* opponitur voci *homines*, et *in æternum perfectum* opponitur verbis *infirmitatem habentes.*

VIII, 1. Capitulum, sign. *præcipuum rerum caput* (gall. *le point capital*), non autem *summa* (gall. *résumé*), nam *dicuntur* est in præsenti, et deinde quæ sequuntur non continent brevem repetitionem præcedentium, sed addunt considerationem hactenus nondum expositam (nempe 6^{m}, vide p. 563). Præcipua excellentiæ ratio hæc est, Christum munere suo sacerdotali in cœlis fungi, dum sacerdotes Aaronici sint in terris, et secundum legem Mosaicam offerunt sacrificia in Tabernaculo, quod, quantumvis sanctum, nonnisi imperfecta quædam imitatio est Sanctuarii cœlestis.

Consedit etc., refertur ad Ps. CIX, 1 : *Sede a dextris meis;* cf. supra I, 3, 13 et Phil. II, 8, 9. Magnitudinis, idem ac *majestatis* cap. I, 3.

2. Minister : λειτουργος, cujus major vis est. Sensus est : qui officio sacerdotali fungitur in sanctuario vero. Sanctorum, in neutro sign. *sanctuarii*, supple *veri.*

taberuaculi veri, quod fixit Do-
3 minus, et non homo. * Omnis
enim pontifex ad offerendum
munera, et hostias constituitur :
unde necesse est et hunc habere
4 aliquid, quod offerat : * si ergo
esset super terram, nec esset
sacerdos : cum essent qui offer-
rent secundum legem munera.

* Qui exemplari, et umbræ

tabernaculum Mosaicum nonnisi figura est ; quodque ab ipso Deo fabricatum est, non autem ab homine sicut tabernaculum veteris legis. [3] In sanctuario cœlesti, inquam, officio suo fungitur : nam tamquam pontifex debet offerre munera et hostias ; quod in cœlis solummodo efficere potest : [4] etenim, si in terris esset sicut sacerdotes Mosaici, non haberet quod offerret, neque locum ubi sacrificaret ; imo vero, ne nomen quidem sacerdotis sibi vindicare posset, quum hic in terra sint alii sacerdotes, quibus solis secundum legem Mosaicam licet sacrificia offerre.

[5] Isti autem sacerdotes Levitici sacras

Et tabernaculi veri : *veri* non opponitur *falso*, sed *figurativo, adumbrato*, eodem sensu quo *realitas* opponitur *figuræ*. Cf. Joann. VI, 32, ubi Christus se vocat *panem verum*, per antithesim ad *manna*, quod figura erat *panis Eucharistici*. Eodem modo cœlum vocatur *Tabernaculum verum* per oppositionem ad *Tabernaculum Mosaicum*, quod figura erat *Tabernaculi cœlestis*.

3. Enim. Christum officio sacerdotali fungi in cœlis probat, hoc modo : sacerdos non esset, si non sacrificaret ; sacrificare autem non posset, si sanctuarium non haberet ; sed in terris illud non obtineret ; ergo oportet ut habeat in cœlis. — Necesse est hunc habere aliquid quod offerat, adde *et sanctuarium in quo suum perficiat sacrificium*.

4. Nec esset sacerdos (*ιερευς, simplex sacerdos*, non, ut fere ubique in hac epistola, *αρχιερευς, summus pontifex*), puta, secundum legem Mosaicam ; nam, ut supra cap. VII, 13 ostendit, ad sacerdotium legale ipse non pertinebat. Inde nequaquam sequitur ipsum, quando in terris erat, ante mortem suam, vere sacerdotem non fuisse, aut sacrificium stricte dictum non obtulisse : sacerdos enim erat secundum alium ordinem, sc. Melchisedechi ; sed sacerdos non erat secundum ordinem Aaronis, aut virtute legis Mosaicæ. — Cum essent : *οντων, cum sint* in præsenti. Qui offerrent, rursum græce in præsenti *qui offerant*.

5. Explicat quod dixit v. 2 *tabernaculi veri*, ut clarior fiat hæc ejus

deserviunt cœlestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.

perficiunt functiones in sanctuario illo terreno, quod nonnisi imitatio quædam est, et obscura ac incerta delineatio (ei similis quam umbra refert) sanctuarii cœlestis, in quo Christus sacerdotio fungitur. Etenim, cum Moyses in eo esset ut Tabernaculum fabricaret, ei divinitus præscriptum fuit ut imitaretur exemplar quoddam cœleste: *Vide*, inquit ei Deus, *ut omnia facias secundum exemplar quod tibi in monte Sinai monstratum est.*

ratiocinatio: sacerdotium Christi excellentius esse Aaronis sacerdotio, ideo præsertim quod ipse ministerio sacro fungatur in cœlis, sacerdotes autem Mosaici solummodo in Tabernaculo terrestri, quod nonnisi representatio est cœlorum.

Exemplari, *υποδειγματι*, hic *imagini, similitudini* (flandr. *afbeeldsel*); ad finem vero hujus versiculi eadem vox *exemplar* (græce ibi est *τυπος*) sensu antithetico sumitur pro *architypus* (gall. *modèle*).

Umbræ, hic sign. imaginem quam corpus in lumine positum de se projicit, quæ sane imago valde rudis, obscura, vaga et imperfecta est (gall. *silhouette*). Per illud solum vocabulum universa conditio antiquæ legis et cultus Mosaici pulcherrime depingitur, quemadmodum fusius explicavimus supra Col. II. 17. Vide Gal. III, 23-IV, 5, et infra Hebr. X, 1.

Sicut responsum est, *κεχρηματισται*, *sicut oraculo edoctus est Moyses.* Probat ex Exod. XXV, 40 Tabernaculum Mosaicum esse imaginem seu imitationem Tabernaculi cœlestis.

Cum consummaret, *μελλων επιτελειν*, *cum in eo esset ut fabricaret.*

Vide... facito, pro *vide ut facias.* Secundum exemplar etc. Ergo, Tabernaculum est imitatio alicujus exemplaris, quod Moysi in monte Sinai divinitus ostensum est: exemplar autem illud cœleste erat, quum e cœlis veniret; ergo, existit in cœlis aliquod Tabernaculum cum sanctuario suo, quod Moysi ad imitandum fuit propositum.

In monte, utique Sinai: non, ut opinatur cl. Drach, significatur cœlum.

Analysis cap. VII—VIII, 5.

Post moralem illam digressionem, quam in præcedenti paragrapho exposuimus, ad argumentum dogmaticum jam redit, Christique sacerdotium sacerdotio Mosaico antecellere demonstrat ex analytica exegesi eorum quæ in Psalmo CIX de Christo, tamquam sacerdote, prædicta fuerunt, hoc celeberrimo effato v. 4 : *Juravit Dominus... : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech...*; et in v. 1 : *Sede a dextris meis.*

Ex his autem verbis sex præcipuas deducit rationes ob quas præstantius est Christi sacerdotium : 1m Melchisedechum, qui fuit typus Christi, fuisse virum maximæ dignitatis; 2m sacerdotium Christi substitui sacerdotio legali; 3m jurejurando Dei niti; 4m perpetuum esse; 5m perfectum; 6m exerceri in cœlis, in sanctuario longe excellentiore.

Illas rationes nunc fusius exponemus.

1° Melchisedech, ait, fuit figura Christi, v. 1-3, præsertim in his quatuor rerum capitibus : a/ in nomine, b/ in munere, c/ in iis quæ fecisse legitur, et d/ in iis quæ de ipso reticentur (vide ann.). Atqui, rex ille et sacerdos superior fuit Abrahamo, siquidem huic benedixit atque ab eo decimas accepit : ergo, Christus superior est sacerdotibus Aaronicis, qui sane minores sunt Abrahamo, tanto patriarcha, imo vero qui ab illo progeniti sunt, adeoque certo sensu in ipso inclusi erant quando ipse se Melchisedecho inferiorem ostendit, v. 4-10.

2° Deinde Christus dicitur sacerdos *secundum ordinem Melchisedech*, non autem *secundum ordinem Aaronis* : et re quidem vera, Christus neque ex familia Aaronis, imo neque ex tribu Levi ortus est; atqui, sacerdotium Mosaicum, vi legis, ad familiam Aaronis restringitur : ergo, Christi sacerdotium diversum est ab illo quod Lex statuit. Hoc autem e citato vaticinio eo manifestius deducitur, quod Christus dicatur sacerdos *in æternum,* quum e contrario sacerdotium legale necessario sit temporarium, siquidem ministri

ejus sibi mutuo succedunt. Jam vero, si Christi sacerdotium a sacerdotio legali sit diversum, si conditiones a lege Mosaica requisitæ in eo non reperiantur, imo dotes meliores (v. gr. perpetuitas et immutabilitas) in ipso habeantur : concludimus sacerdotium legale per Christi sacerdotium abolitum fuisse (ideoque Legem veterem, quæ illud statuit sacerdotium, per legem novam Christi pariter deletam esse) : ergo Christi sacerdotium sacerdotio Mosaico (et proinde lex nova veteri) præponendum est, v. 11-19.

3° Eadem sacerdotii Christi præstantia innuitur vel ex hoc solo quod divino jurejurando sit confirmatum : *juravit Dominus : Tu es sacerdos*, v. 20-22.

4° Deinde Christus, in cœlis semper vivens et interpellans pro nobis, sacerdos est perpetuus, dum sacerdotes veteris legis, brevi morientes, sibi invicem succedunt, v. 23-25.

5° Præterea, Christus sacerdos est in plena nominis significatione, sacerdos *κατ' εξοχην*, in quo perfectissime reperitur ratio omnis sacerdotii, qui totus quantus versatur in expiandis populi peccatis, adeoque talis qui pro suis peccatis sacrificare non debet, atque ideo sacerdos immaculatus qui nullas habet iniquitates proprias. Contra, sacerdotes Aaronici, quum homines sint peccatores, tenentur prius pro suis quam pro populi delictis hostias offerre : igitur etiam sub hac ratione præstantius est Christi pontificium, v. 26-28.

6° Tandem, Christus sacerdotio suo fungitur in cœlis, ubi sedet ad dextram Dei, adeoque in sanctuario longe excellentiore quam sacerdotes Aaronici, quippe qui ministrent in Tabernaculo terrestri, quod nonnisi imperfecta quædam imitatio est Tabernaculi cœlestis, cap. VIII, 1-5.

§ 4. *Christus sacerdos mediator est fœderis melioris.*

VIII, 6–13.

6 * Nunc autem melius sortitus
est ministerium, quanto et me-
lioris testamenti mediator est,
quod in melioribus repromissio-
7 nibus sancitum est. * Nam si
illud prius culpa vacasset: non
utique secundi locus inqui-
8 reretur. * Vituperans enim eos
dicit: Ecce dies venient, dicit

[6] Jam vero Christus, præterquam quod munere suo fungatur in sanctuario cœlesti, excellentiore quam tabernaculo Mosaico, in quo ministrant sacerdotes Aaronici, habet sacerdotium tanto præstantius sacerdotio veteri, quanto fœdus novum (cujus mediator est) melius est fœdere antiquo, utpote quod promissiones divinas excellentiores contineat. [7] Fœdus autem vetus abolitum fuisse per aliud quod melius est, deducimus ex Scriptura quæ prædicit novum ineundum esse fœdus: nam si prius omnino perfectum fuisset, nequaquam de altero quæstio esset. [8] Attamen, alterum clare fuit nuntiatum apud Jeremiam, ubi Deus, reprehendens Judæos sub vetere lege constitutos, ita loquitur: *Ecce, veniet*

6. Nunc autem, *jam vero* (*nunc* particula ratiocinantis), transit ad aliud argumentum quo excellentiam sacerdotii novi demonstret: illud nempe pertinere ad cultum meliorem, qui cultui Mosaico fuit substitutus. Melius, ante hoc adject. supple *tanto*.

Promissiones veteris fœderis terrenæ erant ac temporariæ, v. gr. requies Terræ Sanctæ; promissiones vero novæ legis æternæ sunt ac cœlestes, v. gr. requies et possessio Dei, seu gloria cœlestis, et quæcumque ad hanc conducunt, nimirum cognitio veri Dei seu vocatio ad fidem (v. 10 et 11), peccatorum remissio (v. 12), justificatio per gratiæ sanctificantis infusionem etc.

7. Nam: Christum esse mediatorem fœderis melioris declarat ex eo quod si fœdus vetus fuisset omnino perfectum (adeo ut alterum melius dari non posset), Deus novum ei non substituisset. Si culpa vacasset: affirmat veteri fœderi fuisse *culpam*, i. e. *defectum*, hoc sensu quod fuerit infirmum, imperfectum, seu quod hominem ad finem suum perducere non potuerit, adeoque quod *defecerit* in via qua homo ad salutem ducitur.

8. Locum Jerem. XXXI, 31-34 citat fere ad verbum juxta versionem Septuaginta Interpretum. Testimonium autem illud scite electum fuit,

Dominus: et consummabo super
domum Israel, et super domum
9 Juda testamentum novum, * non
secundum testamentum, quod
feci patribus eorum, in die qua
apprehendi manum eorum ut
educerem illos de terra Ægypti:
quoniam ipsi non permanserunt
in testamento meo: et ego
neglexi eos, dicit Dominus.
10 * Quia hoc est testamentum,
quod disponam domui Israel
post dies illos, dicit Dominus:
Dando leges meas in mentem
eorum, et in corde eorum su-

quondam tempus, quo novum fœdus cum Israelitis omnibus sim contracturus, [9] *diversum ab illo quod feci cum majoribus eorum, quando peculiari ratione eis auxiliatus eram, et eduxeram eos de terra Ægypti; nam istud non existit amplius: ipsi illud perfregerunt, quum me per idololatriam dereliquerint; et ego vicissim neglexi eos, et promissiones contractus amplius non adimplevi.* [10] *Hoc nempe est fœdus quod cum eis statuto tempore inibo: faciam ut leges meæ sint in mentibus et cordibus eorum quasi conscriptæ, i. e. efficiam ut eas cognoscant atque adimpleant: unde fiet ut*

quum vix reperiatur aliud quod tam clare prædicat fœdus antiquum per novum excellentius fore abrogandum.

Consummabo: loco διαθησομαι *contraham*, quod habent Septuaginta, Apostolus posuit συντελεσω *consummabo*, ut perfectionem novi pacti expressius significaret.

Super domum Israel et super domum Juda: *domus Israel* designat regnum Israelis decem tribubus constans, et *domus Juda* regnum Judæ, ad quod pertinuerunt tribus Juda et pars quædam tribus Benjamin, præter sacerdotes et Levitas. Hæc autem Judæorum scissio in duo regna sub Jeroboam, ut notum est, accidit. Quum prædictum hic sit, Israelitas rebelles (regni Israelis) æque ac fideles (regni Judæ) sub novo fœdere conjungendos fore, recte docet s. Augustinus innui gentilium Judæorumque unionem in christianismo.

9. In die qua etc. *Dies*, sensu latiore pro *tempore*, nam nonnisi 50 dies post egressum ex Ægypto data est Lex. — Quoniam, ratio quare facturus sit pactum novum a priore diversum. — Et ego, *ideo ego*, vel *ego vicissim*. Neglexi eos: ημελησα, *sprevi*, *rejeci*. In hebræo autem apud Jeremiam, et in Vulgata ibidem, legitur: *Ego dominatus sum eorum*; sensus potest eodem reduci, hoc modo: ego ostendi me esse Dominum eorum, per hoc quod eos rejeci, punivi.

10. Quia, i. e. *nempe*, explicat quod dixit *Testamentum novum, non secundum* etc. Domui Israel: hæc denominatio nunc universos complectitur Judæos; ergo differt a dictione v. 8. — Post dies illos, *cum venerit tempus statutum*. Apud Prophetas veteris Testamenti tempus adventus

perscribam eas: et ero eis in
Deum, et ipsi erunt mihi in
11 populum: * et non docebit unus-
quisque proximum suum, et
unusquisque fratrem suum, di-
cens: Cognosce Dominum: quo-

ipsi mihi fideliter servituri sint tamquam Deo suo, et ego vicissim eos tractaturus sim tamquam populum meum prædilectum. [11] *Tunc non necesse erit ut homines se invicem doceant mei cognitionem; nam omnes, quicumque ad fœdus illud pertinebunt, per interiorem Spiritus sancti gratiam cognoscent*

Messiæ solet ita exprimi: *post hæc*, vel *post dies illos, post multos dies, in illa die, in illis diebus* etc.

Superscribam: vates certe recogitat tabulas lapideas quibus lex vetus fuerat inscripta. Præcipua autem novæ legis præstantia in hoc consistit, quod sit interna, menti et cordi infusa, mentem et cor afficiens, adeoque quod gratiam habeat annexam, qua mandata perficiantur; lex autem vetus potius externa erat, qua talis ad præceptorum observantiam hominem non adjuvabat, nullam præstabat gratiam interiorem etc.; proindeque infirma erat ad salutem: quidquid enim effectus salutaris ex ea, vel potius sub ea, homini contingebat, id totum, non Legi qua tali, sed Christo ad quem Lex ducebat, adeoque legi novæ, cujus præparatio erat, adscribendum est.

Ero in deum: *esse in*... cf. I, 5.

11. Proximum: πλησιον, cujus loco legendum est πολιτην *civem*, quod in omnibus codicibus uncialibus reperitur. In hebræo tamen est vox quæ *proximum* significat.

Sensus hujus versiculi valde difficilis est: non enim statim videmus quomodo illud oraculum sub novo Testamento eventu confirmatum fuerit. Opinor ego, sub forma negativa idem dici quod v. 10 per verba *dabo leges meas in mentem eorum*; adeo ut propheta simpliciter voluerit affirmare, in nova lege justis omnibus adesse gratiam Spiritus sancti, quæ intus loquitur et docet: eam autem non annexam fuisse legi veteri qua tali, atque ideo tunc exstitisse solummodo magisterium externum, quo cognitio Dei ejusque legis divulgabatur.

Ex hoc autem loco nequaquam concludendum est cum Anabaptistis, inutile esse externum verbi ministerium, quum unusquisque a Deo intus doceatur. Etenim sensus est, novæ legi annexam esse internam Dei gratiam, ex qua magisterium externum omnem vim suam salvificam obtinet: *Nam*, ut ait s. Aug., *homo non discit* [stricte loquendo] *aliquid ab alio homine: admonere possumus per strepitum vocis nostræ: si non sit intus qui*

niam omnes scient me a minore usque ad majorem eorum :
12 * quia propitius ero iniquitatibus eorum, et peccatorum eorum
13 jam non memorabor. * Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est.

me. [12] *Quæ quidem fausta conditio ex eo proveniet quod benigne condonaturus sim peccata eorum.* [13] His igitur verbis Deus prænuntiat fœdus novum ; quum autem dicat *novum,* prius jam fecit esse *vetus :* quod autem vetus est et senescens, in eo jam est ut moriatur. Ergo, prædictum fuit fœdus novum quod veteri abolito succederet.

doceat, inanis fit strepitus noster (vide s. Aug. in 1 Joan. II, 27) : quod quidem verius adhuc est in ordine supernaturali, quum sine auxilio gratiæ interioris nulla haberi possit cognitio salutaris (ad salutem æternam conducens). Quamobrem, alibi exclamat Apostolus : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed, qui incrementum dat, Deus* (1 Cor. III, 7). Attamen, et plantare et rigare supervacaneum non est, quamvis non sit utile aut efficax per se solum.

Omnes scient me. Sensus est, ut colligitur ex iis quæ statim notavi : omnibus dabo gratias sufficientes quibus possint ad cognitionem mei salutarem, seu ad fidem supernaturalem pervenire ; et omnes justi, qui fœdus meum per Baptismum participabunt, de facto scient me, quum habituri sint Spiritum sanctum, in cordibus infusum, qui docebit eos. Confer locum parallelum apud s. Joann. 1 ep. II, 20 : *Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia.* Et v. 27 : *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed... unctio ejus docet vos de omnibus.* Videsis comm. nostr. in Epist. Cathol. Brugis 1887.

12. Quia : ratio quare lex Dei erit in corde ipsorum, et quare Deus erit ipsorum Deus et ipsi erunt populus ejus : etenim peccatorum remissio hæc omnia necessario præcedit.

Non memorabor. Dicitur Deus *non reminisci* illius quod non amplius existit, seu quod prorsus deletum est : nam quidquid est, Deo notum semper est. Igitur, illud *non reminisci* intelligendum est de remissione peccatorum vera et interna.

13. Conclusionem deducit ex allato testimonio. Pulchre quidem, ut notat cl. *Bisping,* innuitur conditio veteris legis : hæc enim sub Moyse nascitur, et ad maturitatem ætatis sub Davide pervenit ; post tempora Prophetarum senescens, tandem adveniente Christo moritur.

Analysis cap. VIII, 6—13.

Supra (a cap. IV, 14) probavit, Christi sacerdotium in se consideratum excellentius esse sacerdotio legis Mosaicæ : nunc effectum sacerdotii, seu finem in quem constituitur, examinat, et ostendit novum fœdus, quod Christus sacerdos per sacrificium sanguinis sui sanxit et cum hominibus contraxit, melius esse vetere fœdere, quod per sacrificia et sanguinem victimarum sanctum et cum populo Israelitico initum fuit.

Novum autem fœdus, a Christo introductum, melius esse fœdere antiquo, cujus ministri erant sacerdotes Mosaici, demonstrat ex vaticinio aliquo insigni Jeremiæ, quod in toto recitat, in quo Deus clare prædicit fœdus vetus abolendum esse per adventum Messiæ, eique substituendum aliud fœdus, cujus conditiones et promissiones longe sint meliores.

§ 5. *Christi sacrificium omnibus præstat veteris legis sacrificiis, et generatim cultus Dei a Christo institutus melior est cultu divino in lege Mosaica ordinato.*

IX—X, 18.

1 * Habuit quidem et prius justificationes culturæ, et San-

[1] [2] In priore quidem fœdere exstabat etiam cultus Dei per leges ordinatus, sed hac in re lex nova rursum superior est. Nimirum, erat sanctuarium quoddam

1. Quidem opponitur particulæ *autem* v. 11. Prius, supple *fœdus :* in textu Recepto post πρωτη (*prius*) additur σκηνη (*tabernaculum*), verum hæc vox delenda est, quia deest in codd. uncial. omnibus. — Habuit : præteritum innuit legem veterem jam abolitam esse. Justificationes, in sacra Scriptura sæpe sign. *præcepta :* vide passim Ps. CXVIII. Culturæ, λατρειας, circa *cultum divinum.* Sanctum, το ἁγιον, *sanctuarium,* locus in quo principaliter fieri debebat cultus divinus.

Seculare, κοσμικον, *mundanum,* seu, ut v. 11, *hujus creationis, manu factum:*

2 ctum sæculare. * Tabernaculum
enim factum est primum, in quo
erant candelabra, et mensa, et
propositio panum, quæ dicitur
3 Sancta.* Post velamentum autem
secundum, tabernaculum, quod
4 dicitur Sancta sanctorum : * aureum habens thuribulum, et ar-

terrenum, in quo præcipuus cultus fieri debebat. In hoc autem erant partes duæ: antica, quæ vocatur *Sanctum*, in qua erat candelabrum aureum cum septem ramis, et mensa cum duodecim panibus Deo oblatis; [3] deinde, post velamen secundum erat pars interior, quæ dicitur *Sanctum-Sanctorum*, [4] in qua erat thuribulum aureum, et Arca fœderis intus et

opponitur tabernaculo meliori, in quo Christus pontifex novæ legis sacerdotio fungitur, sc. cœlo, v. 11 et 14.

2. Tabernacula distinguit duo, i. e. partes duas in tabernaculo uno. Primum, pars Tabernaculi antica, quæ *Sanctum* vocatur. Candelabra : ἡ λυχνια in singulari, *candelabrum :* non enim nisi unum erat in Tabernaculo Mosaico, cf. Exod. XXV, 31. Pluralis *candelabra*, qui habetur in Vulgata, intelligi debet de pluribus ramis et lucernis, quæ in uno erant candelabro.

Mensa et propositio panum, *mensa panum propositionis*, mensa in qua Domini proponebantur (offerebantur) duodecim panes.

Præter duas illas res sacras, in eadem parte erat *altare thymiamatum :* mirum sane videtur de hoc mentionem non fieri : vide v. 4.

Quæ dicitur : *quæ* refer ad σκηνη (*tabernaculum*), non ad *mensam*. Latine oportuisset vertere *quod*, quia *Tabernaculum* neutrius est generis.

3. *Velamentum primum* ad ingressum prioris partis erat, *velamentum* autem *secundum* ad ingressum partis interioris, adeo ut Sanctum-Sanctorum a Sancto divideret. — Sancta Sanctorum. *Sancta* ἡ ἁγια, refertur ad σκηνη, sed latine scribendum est *Sanctum* in neutro genere, quia refertur ad *tabernaculum*. Nomen *Sanctum-Sanctorum* vim habet superlativi *Sanctissimum*, per hebraismum.

4. Aureum thuribulum : græce θυμιατηριον, etymologice *quod pertinet ad incensationem*. Estius et Beelen intelligunt *altare thymiamatis* vel *incensi;* verum obstat, altare illud non in Sancto-Sanctorum sed in Sancto fuisse. Quare cum Vulgata intelligimus *thuribulum*, quo summus sacerdos die Magnæ Expiationis utebatur, cf. Lev. XVI, 12 : opinamur autem illud in Sanctissimo fuisse depositum; id enim videtur significare verbum *habens*, εχουσα ; vim verbo inferunt ad libidinem, qui illud interpretantur ita : *ad cujus servitium pertinebat* thuribulum aureum.

Fateor tamen magnam esse in nostra sententia difficultatem, nimirum auctorem locutum non esse de altari thymiamatum, quod inter insigniora cultus Judaici instrumenta recensendum erat. Verum quidem est, rationem

cam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti, * superque eam erant Cherubim gloriæ ob-

foris undique auro cooperta, et continens urnam auream cum manna, et virgam Aaronis quæ fronduerat, et tabulas Legis lapideas. [5] Super Arcam autem stabant duo Cherubini, Dei gloriam gestantes, qui alis suis binis Arcæ operculum (quod vocatur propitiatorium)

silentii illius verisimilem dari aut excogitari non posse : inde tamen concludere non licet, cum De Wette rationalista, auctorem epistolæ in errorem lapsum fuisse; nam error hujusmodi, in re quæ tam facile sciri poterat, magis esset mirus quam ipsum silentium; præterea, in tanta temporum distantia, quæ nos a scriptione epistolæ divellit, nemo negabit ignorari posse causam ob quam hoc vel illud omissum fuerit. Deinde, etiam notatu dignum est, in Exod. XXVI de altari thymiamatum mentionem non fieri ullam; pariter Flavium Josephum, ubi bis enumerat res sacras quas Pompeius in Sancto vidit (*Ant.* 14, 4, 4, et *De bello Jud.* 1, 1, 6), non loqui de illo altari aureo : denique, in arcu triumphali Titi illud inter spolia bellica effictum non conspici, neque a Josepho (*De bello Jud.* 6, 5, 5) referri illud a Romanis ablatum fuisse.

ARCAM TESTAMENTI, i. e. *fœderis*. Ita vocatur arca lignea in qua reconditæ fuerunt tabulæ lapideæ legis Sinaiticæ. Lex autem illa, seu *Decalogus*, dicitur *fœdus* seu *pactum* Dei cum Israelitis, quia ab una parte Israelitæ promiserunt legis observantiam, et Deus ab altera parte insignem protectionem atque beatitudinem eis promisit.

IN QUA URNA AUREA HABENS MANNA etc. Sed *ante* Arcam, non *in* ea, erant urna illa et virga Aaronis, ut videtur constare ex Exod. XVI, 32-34; Num. XVII, 10; 3 Reg. VIII, 9; 2 Paral. V, 10. *Estius* sumit *in* pro *juxta*, quæ explicatio non quadrat cum seq. *et tabulæ testamenti* : hæ enim certe *in* Arca erant. *Ribera* vero refert εν ῃ (*in qua*) ad σκηνη (*tabernaculum* v. 3), non ad κιβωτος (*Arca*); sed v. 5 *superque eam* id profecto impedit, quum *eam* nonnisi ad *Arcam* referri possit. Melius *Klee* contendit loca Exod. XVI, 33, 34, et Num. XVII, 10 secundum hebræum ita intelligi posse, ut urna mannæ et virga Aaronis dicantur reponendæ *coram tabulis legis lapideis in ipsamet Arca;* unde concludit, in 3 Reg. VIII, 9, et 2 Par. V, 10, tamquam rem extraordinariam memorari tunc in Arca fuisse tantum tabulas legis. Præterea, notant viri eruditi antiquissimam etiam esse Rabbinorum traditionem in Arca fuisse urnam et virgam.

5. CHERUBIM GLORIÆ, δοξης sine articulo, non sign. *Cherubinos gloriosos*

umbrantia propitiatorium : de quibus non est modo dicendum per singula.
6 * His vero ita compositis : in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes :
7 * in secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine, quem offert pro sua,

obtegebant. Harum vero rerum sacrarum symbolicam significationem singulatim explicare nunc non oportet.

[6] Illis autem rebus ita ordinatis, sacerdotes in priorem Tabernaculi partem passim introeunt ut sacras functiones peragant; [7] in alteram vero nonnisi summus pontifex ingreditur, et semel tantum in anno, et præmissa immolatione vituli quem offert pro suis peccatis, et hirci quem sacrificat pro

(Estius), sed potius: Cherubinos gestatores *Gloriæ*, i. e. divinæ Majestatis, quæ super Cherubinorum alas sæpissime visibiliter se ostendit: ibi enim erat Dei solium, seu locus præsentiæ Dei visibilis apud Israelitas; inde loquebatur ad eos et oracula edebat (Ex. XXV, 22). Quare dicitur Deus *sedere super Cherubim*: 1 Reg. IV, 4 etc.

Propitiatorium: ita vocabatur operculum Arcæ fœderis, quia, ut dixi, solium erat Dei, unde Deus populo Israelitico *propitium* atque benignum se exhibebat; adeo ut centrum ibi esset cultus Judaici, instar tabernaculorum nostrorum in quibus ss. Eucharistia asservatur.

6. Introibant: græce est tempus præsens *introeunt*, ut v. 7 *offert*. Igitur auctor tamquam certum ponit cultum Judaicum suo tempore adhuc exstare (Bisping), vel potius designat id quod in s. Scriptura legitur faciendum. Semper, opponitur *semel* v. 7, et indicat functiones sacerdotales in Sancto sæpe fieri debuisse: sc. quotidie, mane et vespere, adolebantur incensa super altare thymiamatis, et singulis sabbatis apponebantur panes propositionis.

Sacrificiorum officia, non sign. *sacrificia victimarum*, nam hæc in atrio coram Tabernaculo perficiebantur; accuratius in textu originali τας λατρειας, *ministeria sacra*.

7. Semel in anno, nimirum die festo Expiationis Magnæ, de quo lege Lev. XVI. *Semel in anno*, i. e. *unico die* per totum annum, non *unica vice*; nam illo die saltem *bis* ingredi debebat, ut colligitur ex loco Levitici citato.

Ignorantia, in textu originali *ignorantiis* in plurali. Intelliguntur peccata quævis, etiam ea quæ non ex ignorantia commissa fuerant (cf. supra cap. V, 2 *iis qui ignorant et errant*): siquidem Lev. XVI, 21 generaliter expiari dicuntur *omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum*. Obiter nota illam peccatorum expiationem sub vetere Testamento

8 et populi ignorantia: * hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo
9 habente statum. * Quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera, et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis,

populi delictis. [8] Quum igitur ingressus in Sanctuarium adeo sit restrictus, Spiritus sanctus significare vult viam ad sanctuarium verum (ad cœlum) nondum apertam esse, quamdiu existit Tabernaculum Mosaicum, seu quamdiu lex vetus viget. [9] Itaque præscriptiones illæ, quæ ingressum sanctuarii respiciunt, figura sunt status rerum sub vetere lege, sub qua cœlum ingredi nemo potest, quia vere et interius justificari et salvari nequit homo per sacrificia ista cruenta aut incruenta. Hæc enim omnia, quemadmodum et variæ præscriptiones circa

fuisse solummodo externam et legalem: vera enim et interna sanctificatio nonnisi per Christum obtinetur.

8. Explicat significationem mysticam seu typicam, quæ in hac legis veteris præscriptione latebat, quod soli sacerdotes in Sanctum et solus summus sacerdos semel in anno in Sanctum-Sanctorum ingredi possent.

Sanctorum, i. e. sanctuarii, seu utriusque partis Tabernaculi. Sanctuarium autem Mosaicum erat figura cœli: sub vetere lege nondum aperta erat via ad cœlum; namque, ab una parte, cœlum clausum mansit donec Christus illuc ascendit; et ab altera parte, gratia, quæ semen est gloriæ, seu via ad cœlum, non poterat obtineri vi et efficacia sacrificiorum antiquorum.

Habente statum; sed eodem momento quo vetus lex abolita fuit, per mortem Christi, *velum scissum fuit*, et totum quidem *a summo usque deorsum* (cf. Matth. XXVII, 51: videsis comm. nostr.), quo symbolice significabatur *propalatam esse Sanctorum* (i. e. Sanctuarii) *viam*.

9. Quæ, ἥτις, per attractionem vocis παραβολη, ponitur loco ὅ τι *quod*, et refertur ad totam sententiam antecedentem. Parabola hic, ut notat s. Chrys., idem est ac τυπος, *figura*, *imago*. — Temporis instantis, græce *in tempus præsens*, εις καιρον ενεστηκοτα, i. e. tempus veteris Testamenti, quod *præsens* vocat Apostolus, quia sistit se sub vetere lege: pariter cap. II, 5 tempus novæ legis nominat orbem terræ *futurum*. — Juxta quam, sc. *parabolam* (καθ' ἣν cum codd. ABD*), vel *juxta quod* sc. *tempus* (καθ' ὅν, in D***EKL): sensus eodem recidit.

Solummodo etc. Lectio probabilior sic habet: (*quæ munera et hostiæ*) *solummodo, una cum cibis, et potibus, et variis lotionibus*, (*sunt*) *justitiæ* seu potius *mandata* (δικαιωματα) *carnis, usque ad tempus correctionis* (seu

10 et in potibus, * et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

11 * Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius taber-

cibum et potum [10] et lotiones, nonnisi justitiam carnalem (externam tantum et legalem) efficiunt, et injuncta solummodo sunt usquedum per novam legem omnia corrigantur et perficiantur.

[11] Id autem per Christum factum est: ipse enim longe antecellit sacerdotibus veteris Tabernaculi: nam apparuit tamquam pontifex per quem obtinentur bona futura (meliora, bona novæ legis); et ingressus est in tabernaculum majus et perfectius, quod manu

instaurationis) *imposita*. Juxta hanc lectionem *solummodo* afficit *mandata*.

In cibis, επι cum dat., *una cum cibis*, i. e. una cum Mosaicis præscriptionibus de cibis mundis et immundis. Et potibus, v. gr. sacerdotibus Tabernaculum ingressuris vetitum erat vinum bibere, Lev. X, 9; Nazaræis autem prohibitus erat omnis potus inebriativus (Num. VI, 3), atque potus e vase immundo omnibus Israelitis (Lev. XI, 31, 33).

10. Baptismatibus, potius *lotionibus:* intellige ablutiones quas passim injungebat Lex, tum sacerdotibus ante functiones sacras, tum etiam omnibus Israelitis quotiescumque immunditiam contraxerant. Nequaquam intelligendæ sunt lotiones illæ quas Pharisæi sua auctoritate præscribebant, Matth. XV, 2, XXIII, 25, et Marc. VII, 2 sqq.

Et justitiis carnis. Ut dixi v. 9 melior lectio omittit *et*, et loco ablativi *justitiis* habet nominativum *justitiæ*, δικαιωματα, potius *mandata* (cf. v. 1). Mandata autem omnia legis Mosaicæ, circa cultum divinum, et circa cibos etc., solummodo *carnalia* sunt, quia nonnisi munditiam corporalem, externam, legalem efficere valent. Nota antithesim inter *carnem* hoc versu et *conscientiam* v. 9.

11. Autem, respondet *quidem* v. 1; adeo ut Apostolus veteris legis imperfectioni et infirmitati, de qua v. 1-10 scripsit, opponat bona excellentiora novæ legis. Assistens: παραγενομενος, *cum factus esset* (gall. *étant devenu*). Futurorum bonorum, bonorum novi fœderis, quæ vocat *futura*, quia, ut monui v. 9, sistit se in tempore veteris Testamenti.

Per amplius (*μειζονα excellentius*) et perfectius Tabernaculum: s. Chrys. et Græci omnes, pariter Primasius et Haimo, et s. Thom. 2°, etiam s. Aug. in glossa cit., Estius, Drach etc., intelligunt corpus Christi, propter sequentes rationes. 1° Quia v. seq. verba *per proprium sanguinem* videntur explicare quod hic dicitur *per tabernaculum non manufactum;* 2° alibi

naculum non manufactum, id
12 est, non hujus creationis: * neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.
13 * Si enim sanguis hirco-

hominum fabricatum non est, neque terrestre est, sed divinum et cœleste (ingressus est in cœlum); et penetravit usque ad intimam hujus cœlestis tabernaculi partem, usque ad Dei solium (quam partem præfigurabat Sanctum-Sanctorum); [12] non, ut sacerdotes Aaronici, post immolationem vituli et tauri, sed vi et efficacia suimetipsius sanguinis, seu per immolationem sui in cruce: atque ita semel pro semper opus nostræ Redemptionis æternæ perfecit. [13] Nec mira nobis videri debet hæc sanguinis Christi efficacitas: etenim, si sanguis hirci et

s. Paulus corpus mortale vocat *tabernaculum:* 2 Cor. V, 4 *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati;* similiter s. Petrus 2 ep. I, 13, 14; cf. Joan. II, 19 *Solvite templum hoc.* Sed huic sententiæ obstat, corpus Christi comparari cum *velamine* cap. X, 20, non autem cum priore parte Tabernaculi; deinde hoc posito, v. 12 haberi inanem repetitionem; tandem, locum per quem transiit summus sacerdos, ut in Sanctum-Sanctorum intraret, minus apte conferri cum corpore mortali per quod transiit Christus ut in summum cœlum perveniret.

Ideo probabilior nobis videtur explicatio, quam primo loco affert s. Thomas, quam tenet Glossa tam ordin. quam interlin., et pseudo-Ambr., pseudo-Anselm., quamque adoptant Bisping et Beel.: nomine *Tabernaculi* (partis ejus anticæ) hic intelligendum esse cœlum, puta, *cœlum inferius* (aereum et stellatum), per quod transivit Christus ut in *Sanctum-Sanctorum,* i. e. in *cœlum superius,* usque ad Dei solium penetraret. Eodem modo supra (cap. IV, 14) Jesus dicitur *cœlos* (in plur.) *penetrasse,* et cap. VII, 26 *excelsior cœlis factus* esse, et Ephes. IV, 10 *super omnes cœlos ascendisse.* Notum porro est triplex in s. Scriptura distingui cœlum: aereum, stellatum et empyreum.

Non manufactum, i. e. *non ab homine, sed a Deo factum,* cap. VIII, 2. — Non hujus creationis, antithesis ad *seculare* v. 1.

12. Aut vitulorum: loco *aut* debet esse *et,* nam habetur καὶ in textu originali; deinde vitulum *et* hircum immolare oportebat. In plurali autem dicit *hircorum* et *vitulorum,* quia sacrificium unius hirci et unius vituli quotannis fiebat.

13. Enim: sacrificio Christi cruento tantam fuisse efficaciam, ut Redemptionem mundi æternam perfecerit, demonstratur per argumentum *a minori*

rum, et taurorum, et cinis vitulæ
aspersus inquinatos santificat ad
14 emundationem carnis : * quanto
magis sanguis Christi, qui per
Spiritum sanctum semetipsum
obtulit immaculatum Deo, emun-
dabit conscientiam nostram ab
operibus mortuis, ad serviendum
Deo viventi ?
15 * Et ideo novi testamenti

vituli, a summo pontifice in Sanctum-Sanctorum illatus, si cinis vaccæ, in eos qui cadaver tetigerunt aspersus, munditiem externam seu legalem conferre valet : [14] a fortiori sanguis Christi, qui, movente Spiritu divino, semet ipse in cruce Deo obtulit, tamquam victimam immaculatam, internam animæ munditiem per remissionem peccatorum nobis conferet, nobisque gratiam dabit Deo serviendi in sanctitate.

[15] Quoniam autem Christus per proprium sanguinem nos sanctificat et redimit, Testamenti seu fœderis novi media-

ad majus, quod deducitur ex comparatione sacrificii Christi cum sacrificiis Mosaicis. Eo enim major est vis et efficientia sacrificii, quo major est dignitas victimæ : ergo, si sacrificia vetera munditiem legalem conferebant, Christi sanguis excellentiorem munditiem procurabit, adeoque internam animæ sanctificationem operabitur.

Aspersus, ῥαντίζουσα (active) *aspergens inquinatos :* cinis aqua miscebatur, antequam aspergeretur in eos qui per cadaveris contactum immundi facti fuerant, ut legitur Num. XIX, 9.

14. Per Spiritum sanctum, seu potius, secundum lectionem probabiliorem, *per Spiritum æternum*. Filius Dei per Spiritum sanctum homo factus est, et universum Redemptionis opus perfecit.

Emundabit conscientiam : quum hæc opponantur *emundationi carnis*, v. præc., contra Protestantes demonstrant in hominis justificatione conferri veram et internam, non imputativam tantum, peccatorum remissionem. — Ab operibus mortuis, i. e. peccatis, non, ab operibus quæ in statu peccati mortalis fiunt. Deo viventi : Deus dicitur *vivens* ex antithesi ad *operibus mortuis :* Christus mundat nos a peccatis, et vitam dat animæ nostræ, qua ad Deum vivum accedimus.

15. Quum mors Christi Judæis scandalum esset, rursum, ut supra jam fecerat cap. II, 10, necessitatem hujus mortis ostendit, videl. ex duplici consideratione : 1° lex nova, quemadmodum et vetus, vocatur *testamentum*, ideo præsertim quod per eam obtineatur hereditas divinitus promissa (nempe Terra Sancta per legem veterem, gloria cœlestis per legem novam) : atqui bona testamentaria acquiri nequeunt, nisi mortuus sit testator : ergo, oportuit ut moreretur Christus, qui bona ista nobis legavit. Deinde 2°, lex

mediator est, ut morte interce-
dente, in redemptionem earum
prævaricationum, quæ erant sub
priori testamento, repromissio-
nem accipiant qui vocati sunt
16 æternæ hereditatis. * Ubi enim
testamentum est, mors necesse

tor est (i. e. ipso mediante Deus novum fœdus cum hominibus iniit) : nam per mortem ejus expiatricem, qua peccata sub vetere fœdere commissa redimuntur, christiani (qui ad fidem gratuito vocantur) hereditatem gloriæ cœlestis, in novo Testamento promissam, accipiunt. [16] Per mortem, inquam, ejus; nam vel ex solo conceptu *testamenti* (quo nomine vocatur contractus Dei cum hominibus) eruitur, Christum debuisse mori. Ubi enim testamentum est apertum, necessario supponitur te-

vetus suam efficaciam nonnisi per sanguinem victimarum obtinuit; per ipsum enim olim a Moyse dedicatum fuit Tabernaculum, et a summo sacerdote fiebat quotannis magna populi expiatio : atqui, lex vetus typus seu figura erat legis novæ : ergo, per sanguinem dedicari debuit Tabernaculum novum, i. e. aperiendum erat cœlum ; et per sanguinem in Sanctum-Sanctorum, i. e. in summum cœlum, ingredi debuit Christus.

Ideo, non respicit sequentia *ut morte* etc., sed refertur ad superiora, v. 11-14, ut videre est in paraphrasi. Testamenti, hic et v. 18 sumitur pro *fœdus*, per hebraismum; in versibus autem 16 et 17 sensus proprius adhibetur : similitudo enim statuitur inter fœdus Dei cum hominibus et testamentum aliquod ab homine confectum, ut statim explicavi.

Prævaricationum quæ erant sub priore Testamento, quarum remissio tunc temporis obtineri non poterat (institutiones enim Mosaicæ vi sua propria remissionem internam non conferebant, quum salus non daretur nisi per merita Christi venturi), quæque prius deleri debebant antequam novum fœdus Dei cum hominibus contrahi posset. Sensus itaque hujus loci non est, sola peccata sub vetere lege commissa per Christum expiata fuisse.

Repromissionem æternæ hereditatis, i. e. *hereditatem æternam in nova lege promissam,* sc. cœlestem gloriam, cap. VI, 9-11. — Vocati sunt : Estius non recte (ut sæpe in hac materia) intelligit *prædestinatos ad vitam æternam :* agitur enim de vocatione ad fidem.

16. Enim, probat quod modo dixit *morte intercedente;* adeoque demonstrat Christum mori debuisse. Id autem facit argumentando ex significatione *testamenti* proprie dicti, cui quidem ratiocinationi occasionem dedit vox *hereditas,* v. 15. Nota Paulum in verbis ludere, quum supra *testamentum* sensu Hebræorum pro *fœdere* usurpaverit, nunc autem sensu proprio

17 est intercedat testatoris. * Te-
stamentum enim in mortuis con-
firmatum est : alioquin nondum
valet, dum vivit qui testatus
18 est. * Unde nec primum quidem
sine sanguine dedicatum est.
19 * Lecto enim omni mandato legis
a Moyse universo populo : acci-
piens sanguinem vitulorum, et
hircorum cum aqua et lana coc-
cinea, et hyssopo : ipsum quoque
librum, et omnem populum asper-

statorem mortuum esse ; [17] nam solummodo post mortem ejus fit firmum et ratum, siquidem semper mutari potest quamdiu vivit testator. [18] Et hoc adeo verum est, ut ne prius quidem testamentum (lex vetus), quod novi figura erat, sine animalium sanguine (qui sanguinem seu mortem Christi repræsentabat), sanctum et ratihabitum fuerit. [19] Postquam enim Moyses universo populo singula legis divinæ mandata prælegerat, quæ quasi totidem erant articuli fœderis initi, sanguinem vitulorum et hircorum sumpsit, ei admiscuit aquam, et cum fasciculo hyssopi lana coccinea colligato, librum legis univer-

adhibeat. Hic autem verborum lusus præclaram altissimamque involvit doctrinam ; dein vere Paulinus est, ut colligimus ex Rom. III, 27, VIII, 2, ubi *lex*, et ex Rom. XIII, 12, ubi *dies* pari modo duplici significatione sumuntur.

Testatoris. Christus est *testator*, quatenus Filius Dei est, et Deus verus, atque proinde de suis bonis hereditatem cœlestem, gratiasque ad illam præparantes largitur. Simul etiam est testamenti *mediator* (v. 15), qua Deus-incarnatus, seu Deus-homo, quia per ipsius mediationem, seu per mortem ejus vicariam, homines obtinent hereditatem, sc. peccatorum remissionem, gratiam sanctificantem et gloriam cœlestem.

17. In mortuis : επι cum dat., *super mortuos*, supple *solummodo ;* hoc sensu : testamentum firmum et efficax solummodo est quando mortuus est testator.

18. Unde, ita nectit : quia Christus, tamquam testator per quem bona legis novæ obtinentur, mori debuit : ideo bona veteris legis, quæ figura erant legis novæ, acquiri non poterant, nisi per aliquid figurativum mortis Christi : nimirum per animalium immolationem, qua Christi mors repræsentabatur. Dedicatum est : græce est verbum εγκαινιζειν, quod proprie sign. *renovare* aliquid, inde *novum* quid *constituere* seu *dedicare, sancire, confirmare.*

19. Cf. Exod. XXIV, 3-8, ubi hæc narrantur. Vitulorum etc. In Exodo mentio fit tantum de holocaustis et vitulis : reliqua autem addidit auctor, vel ex traditione, vel ex analogia aliorum sacrificiorum quæ cum præsenti

20 sit, * dicens : Hic sanguis
testamenti, quod mandavit ad
21 vos Deus. * Etiam tabernaculum,
et omnia vasa ministerii san-
22 guine similiter aspersit. * Et
omnia pene in sanguine secun-
dum legem mundantur : et sine
sanguinis effusione non fit re-

sumque populum aspersit, [20] dicens : *Hic est sanguis quo sancitur testamentum seu fœdus, quod vobiscum pepigit Deus.* [21] Similiter tabernaculum omniaque suppellectilia sacra sanguine aspersit. [22] Imo vero, secundum legem Mosaicam fere omnis purificatio per sanguinis aspersionem efficitur, et sine sanguinis effusione nulla obtinetur legalis pecca-

quamdam habebant similitudinem. Sic *hircorum* meminit, quia respicit ad sacrificium *expiatorium* summi sacerdotis; *aqua* vero, *lana coccinea* et *hyssopus* pertinent ad sacrificia *purificatoria*, Num. XIX, 6, 18, Lev. XIV, 5 sqq.

20. Quod mandavit ad vos, i. e. juxta hebræum fontem, *quod pepigit vobiscum.* Sanguis autem ille victimarum figura fuit sanguinis Christi, quo dedicatum est novum Testamentum : ideo Christus instituens Sacramentum ss. Eucharistiæ, quod est sacrificium incruentum novæ legis, figurativum sacrificii cruenti in cruce oblati, eadem usurpavit verba, ut legitur Matth. XXVI, 28, Marc. XIV, 24. Nunc autem, quum verborum Moysis sensus non esset : *hoc significat* seu *repræsentat sanguinem testamenti*, pariter dici nequit, cum Sacramentariis hæreticis, in ss. Altaris Sacramento nonnisi signum esse seu repræsentationem nudam sanguinis Christi. Cf. *Perrone*, *Præl. theol.*, de Euch. N° 34.

21. Vasa, per hebraismum, pro *instrumenta* seu *supellectilia sacra* quævis. In Exod. XXIV nihil hujusmodi legitur, nec tunc temporis ædificatum jam erat Tabernaculum. Probabiliter respicit auctor ad Exod. XL, 9 sqq., Lev. VIII, 10 sqq., ubi Tabernaculi dedicatio narratur : verum quidem est hanc per olei, non per sanguinis unctionem factam dici ; sed sanguinem etiam adhibitum fuisse, vel concludit ex eo quod Exod. XXIV, 6 legatur altare fuisse sanguine aspersum, vel ex antiqua Rabbinorum traditione cognovit : cf. *Joseph. Antiq.* III, 8.

22. Pene, nam *aqua* etiam ad mundationem adhibebatur : Exod. XIX, 10, 14, Lev. XVI, 26-28 etc.

Sine sanguinis effusione non fit remissio, sc. peccatorum. Hic est canon primarius cultus expiatorii apud Judæos : fundamentum autem ejus traditur Lev. XVII, 11, sc. *anima carnis in sanguine est...* Ideo *sanguis* pro *animæ* piaculo offertur ; nam occisio victimæ symbolum est, quo testamur, nos ipsos Deo immolandos esse pro peccatis nostris, verum aliam victimam vice

23 missio. * Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari : ipsa autem cœlestia

torum remissio. [23] Igitur, per sanguinem animalium mundari debent omnia quæ ad vetus testamentum seu veterem cultum pertinent : verum, hæc nonnisi figuræ sunt novi Testamenti, seu cultus excellentioris, cujus pontifex noster cœlestis (Christus) minister est : ergo, oportuit ut hoc testamentum novum

nostra mactari posse, adeo ut Deus placetur per victimam substitutam. Victima autem, quæ secundum Dei voluntatem nobis substituta fuit, nulla alia est quam Christus Dominus, qui ipsemet subiit mortem quam nos meruimus; animalia autem sub vetere lege immolata figura erant victimæ illius perfectæ. Conceptus enim sacrificii stricte dicti, si agatur de re animata, involvit sanguinis effusionem, seu vitæ destructionem, qua Deum vitæ auctorem profitemur.

Quamobrem, per sacrificium testificamur, Deum esse supremum rerum omnium Dominum, eumque summa cum reverentia et perfecta cum submissione adorandum (*sacrificium latreuticum*); præterea, nos ab ipso accepisse vitam et omnia, unde maximæ gratiarum actiones ipsi sint reddendæ (*sacrificium eucharisticum*); deinde, ipsi satisfaciendum esse pro peccatis nostris (*sacrificium expiatorium*); ac tandem, nova beneficia ab ipso sine intermissione accipienda esse (*sacrificium impetratorium*). Præter illam significationem *symbolicam*, in hostiis veteris legis erat 2° *sacramentalis* vis, quatenus *opere operato* legalem seu externam munditiem efficiebant, et 3° *typica* efficacia, quatenus mortem Christi præfigurabant, et vi meritorum ejus internam animæ sanctificationem conferebant, nimirum *opere operantis*, per fidem in Christum seu Messiam venturum.

23. In præcedentibus ostendit legem veterem per sanguinem animalium dedicatam fuisse; nunc autem concludit : legem novam, cujus lex vetus fuit figura quædam imperfecta, per sanguinem excellentiorem, sc. ipsius Christi, dedicari debuisse.

Ipsa autem cœlestia etc. Per *cœlestia* intelligitur *cœleste Tabernaculum, in quo Christus officio suo sacerdotali fungitur*, v. 24 (cf. VIII, 5); verum, quum Tabernaculum Mosaicum per synecdochen sumi possit pro universo cultu Judaico veteris Testamenti, ideo etiam tabernaculum a Christo dedicatum significat generatim novum Testamentum, ejusque instituta atque bona omnia.

Mundari, sign. *dedicari, consecrari, sanciri*, cf. v. 18; hoc autem verbum suppleri debet in altero phraseos membro. — Melioribus hostiis : pluralis

melioribus hostiis quam istis.
24 * Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro
25 nobis : * neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine

per sanguinem excellentioris hostiæ sanciretur.

[24] Nam longe excellentior est cultus in novo Testamento præscriptus : siquidem Jesus, pontifex novi illius cultus, seu mediator novi fœderis, non, ut pontifex legis veteris, in sanctuarium terrenum humanis manibus fabricatum, quod nonnisi figura fuit sanctuarii veri, introivit : sed in ipsum cœlum, usque ad solium Dei, ubi Deum pro nobis semper deprecatur. [25] Neque in sanctuarium cœleste pluries ingredi debet, ut semet ipse pluries offerat, quemadmodum supremus pontifex legis Mosaicæ singulis annis in Sanctum-Sanctorum intrat cum

pro singulari adhibetur ; *genus* rerum, de quibus sermo est, potius quam *numerum* attendit scriptor, et ideo loquitur *generatim :* cf. Beelen, Gramm. græc. n. Test. § 27, 2.

24. Enim, elucidat *cœlestia* v. 23, et simul probat *melioribus* v. 23, hoc modo : melior debuit esse hostia, qua dedicatum fuit novum Tabernaculum, seu sanctuarium cultus a Christo instituti, quia hoc longe excellentius est (quemadmodum generatim cultus novi Testamenti præstantior est cultu Mosaico) : excellentius autem est Tabernaculum Christi, quia est ipsummet cœlum etc.

Exemplaria verorum : sanctuarium manufactum est tantum *exemplar*, αντιτυπον, potius *imago imperfecta*, *imitatio* (flandr. *een enkel afbeeldsel*) veri sanctuarii.

Ut appareat, verbum magis emphaticum quam *interpellet* cap. VII, 25. Vultui Dei : tacita antithesis ad summum sacerdotem legis Mosaicæ, qui coram Jehova apparebat, sed vultum ejus non intuebatur, quum nubes quædam miraculosa Arcæ propitiatorium Deique sedem circumdaret (nemo enim potest in hac vita Deum facie ad faciem contemplari, Exod. XXXIII, 18-23).

25. Altera ratio ob quam hostia, qua novum dedicatum est Testamentum, excellentior fuerit : hæc *semel* tantum offerri debuit, dum contra victimæ Mosaicæ *sæpius* immolandæ essent. Hæc veritas jam tertio exponitur : cf. VII, 27 et IX, 12. Neque, supple *introit sæpe in verum Sanctissimum*, i. e. in cœlum. Sancta, hic design. *Sanctissimum*, seu *Sanctum-Sanctorum*. In sanguine alieno opponitur pronomini *semetipsum*. Sensus est : summus

26 alieno: * alioquin oportebat eum
frequenter pati ab origine mun-
di : nunc autem semel in con-
summatione sæculorum, ad de-
stitutionem peccati per hostiam
27 suam apparuit. * Et quemadmo-

sanguine alieno, sc. victimarum. [26] Etenim, si sacrificium sui ipsius ad expianda hominum peccata identidem repetere debuit, quum tot secula ab Adami lapsu transierint, non concipitur quomodo pluries jam mortem passus non fuerit : verum semel tantum in mundum veniens, nimirum in hac ultima mundi ætate, se ipse Deo obtulit tamquam victimam peccatorum expiatricem. [27] Et quatenus

Judæorum sacerdos, quum mactaret animalia, sacrificium suum pluries repetere poterat; Christus autem, summus pontifex novæ legis, quum immolaret *seipsum*, nec debuit nec potuit suum iterare sacrificium; etenim, (v. 26) si pluries id facere debuisset, si unica oblatione omnia omnium temporum peccata expiare non potuisset, non sane tamdiu exspectasset ut se immolaret, siquidem ab initio mundi erant peccata quæ expiari debebant. Præterea (v. 27), impossibile fuit ut, homo cum esset, pluries moreretur.

26. Alioquin, rationem adducit quare Christus se ipse non pluries obtulerit. Ab origine mundi, a lapsu primi parentis ; i. e. statim ac peccato inquinatus fuit homo, Christus debuisset mori, ut istud peccatum expiaret; hoc nempe posito, unicam mortem non suffecisse ad expianda omnia peccata, præterita, præsentia et futura. Nota Apostolum semper ratiocinari in hypothesi Deum per mortem Filii sui voluisse peccata delere.

Nunc autem, ratiocinationem inducit (ut cap. VIII, 6), non vero definit tempus ; hoc enim fit per verba in consummatione seculorum. *Consummatio* autem *seculorum* est " status præsens, post quem non est alius status salutis (s. Th.) "; igitur est ultima mundi religiosi ætas, post quam *consummabuntur* seu desinent *secula :* hæc ætas complectitur omne temporis spatium, quantumcumque sit, quo duraturum sit novum Testamentum; adeoque a priore Christi adventu usque ad alterum sese extendit. *Ultima* vere est, quia eidem non succedet alia, nam post eam tempus non erit amplius; christianismus enim est ultima et perfectissima religionis forma, quam Deus hominibus tradere decrevit mortalibus. Cf. cap. I, 2, ubi et alia loca indicantur. — Apparuit, non, *in cruce,* sed *in mundo.*

27. Altera ratio quare *semel* tantum Christus se ipse Deo Patri obtulerit : non nisi semel moriuntur homines : atqui Christus erat homo (Verbum nempe *incarnatum*) : ergo etc.

Quemadmodum : *καθ' ὅσον,* potius *quatenus,* quæ vox non solum similitudinem

dum statutum est hominibus
semel mori, post hoc autem judi-
28 cium : * sic et Christus semel
oblatus est ad multorum exhau-
rienda peccata : secundo sine
peccato apparebit exspectanti-
bus se, in salutem.
X, 1 * Umbram enim habens

homines semel tantum moriuntur, neque post mortem in terras regrediuntur, nisi ad Dei judicium, quo eis sors perpetua decernitur : [28] eatenus Christus, ut homo, semel tantum mortem oppetiit, qua pro peccatis totius mundi abunde satisfecit ; et ipse similiter post mortem ad vitam mortalem non redit; etiam pro ipso manet dumtaxat judicium, cujus exercendi causa redibit in terram: sed tunc apparebit ad salvandos fideles suos discipulos, non vero ad hoc ut rursum pro peccatis moriatur.

[1] Christus igitur sacrificium suum

exprimit, sed simul continet rationem alterius membri *sic et Christus* etc. v. 28. — Judicium supple *erit*, vel *statutum est. Judicium* intelligendum videtur, non particulare statim post uniuscujusque hominis mortem, sed universale in fine mundi : quod innuit antithesis v. 28 *secundo apparebit*, et dictio *post hoc*, quæ omnino generalis est, adeo ut nihil sequi debeat.

28. Oblatus est : græce, *cum semel se obtulisset.*

Multorum. Christus pro *omnibus* mortuus est, quod spectat ad ejus intentionem seu voluntatem seriam et veram; deinde mors ejus sufficientis meriti erat, ut de facto posset omnia delere peccata : verum, cum libera hominis cooperatio requiratur ut cuivis applicentur merita mortis Christi, per hanc non omnium hominum delentur peccata, sed *multorum* tantum, i. e. eorum quibus mors Christi per Baptismum re ipsa applicatur, quique divinæ gratiæ obsecuti in statu gratiæ decedunt. Cf. 1 Timoth. II, 4. Eodem modo (Matth. XXVI, 28) dicit Christus sanguinem suum *pro multis* effundendum esse.

Exhaurienda, gr. ανενεγκειν, *portanda, auferenda, delenda.* Christus ipse *tulit* peccata nostra *vice nostra*, eaque *abstulit*, Is. LIII, 12.

Sine peccato : quando denuo redibit in mundum, peccatis hominum non erit onustus, neque iterum veniet ad expianda illorum peccata. In salutem, refer ad *apparebit.*

X, 1. Hæc cum fine capitis præcedentis arcte connectuntur. Redit ad id, quod pluries jam enuntiavit, per sacrificia Mosaica internam sanctificationem obtineri non posse : idque probat 1° ex eo quod ista sacrificia toties repeterentur, et 2° ex Ps. XXXIX. — Enim refer ad v. 25 *pontifex intrat in Sancta*

lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes
2 perfectos facere: * alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mun-

pluries repetere non debet, quemadmodum sacerdotes Mosaici; nam repetitio ista ex imperfectione sacrificiorum veterum provenit. Ista enim, quum nonnisi inanem quamdam figuram bonorum, quæ re ipsa per novam legem obtinentur, contineant, numquam possunt perfecte mundare eos pro quibus offeruntur. Ideo singulis annis eædem semper victimæ immolantur; [2] nam, si semel pro semper omnia expiarent peccata, non amplius offerri deberent, siquidem cultores non essent amplius peccato inquinati.

per singulos annos: hoc facere debet quia sacrificia ejus sunt imperfecta, infirma etc. — UMBRAM, cf. VIII, 5. FUTURORUM, cf. supra IX, 11.

IMAGINEM, opponitur *umbræ*, adeoque idem est ac *corpus* Col. II, 17; ergo sumitur *imago*, non, pro sola effigie alicujus rei, sed pro ipsa re exhibita: ita s. Chrys. Igitur, in vetere Testamento datur figura umbræ similis, in novo autem ipsa res oculis proponitur, adeoque res ipsa conspicitur. Verum, ut animadvertit cl. Bisping, substantiam rei in terra non videmus, sed tantum formam ejus externam: intima enim rei essentia ad alteram vitam reservatur: ibi contemplabimur Christum-Deum facie ad faciem, divinamque ejus naturam *intuitive* videbimus; ibi plenitudinem obtinebimus bonorum illorum supernaturalium, quorum semen quoddam seu inchoata participatio est gratia novi Testamenti.

ACCEDENTES, sc. ad Deum cum sacrificiis: i. e. cultores Dei. PERFECTOS FACERE, τελειῶσαι, cf. cap. II, 10.

2. Ante CESSASSENT, codd. ACDEKL addunt οὐ: tunc ponendum est signum interrogationis in fine versiculi, sequenti modo: *Alioquin nonne cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati?* Sensus cum Vulgata concordat.

Sacramentarii ex hoc loco concludunt, sacrificium crucis, quum semel pro semper omnia expiaverit peccata, repeti non debere, adeoque abolendum esse sacrificium Missæ. — Resp. Per sacrificium Missæ non repetitur sacrificium crucis, quum utrumque in rei veritate sit unum ac idem; namque ad oblationem Christi in ara crucis totum quantum refertur sacrificium Altaris (*sacrificium relativum*), et eamdem repræsentat (*sacrificium commemorativum*).

3 dati : * sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos
4 annos fit. * Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.
5 * Ideo ingrediens mundum dicit : Hostiam, et oblationem

[3] Nunc autem singulis annis explicite pro peccatis offertur hostia; quod signum est peccata non esse ablata. [4] Et merito quidem id affirmo, nam impossibile est ut in sanguine vitulino et hircino insit vis illa supernaturalis qua peccata auferantur.

[5] [6] Hanc veterum sacrificiorum infirmitatem significat Scriptura sacra, quando Christo in mundum venienti sequentia tribuit verba, quibus Deum Patrem alloquitur : " *Sacrificia Mo-*

Igitur paritas non habetur cum sacrificiis Mosaicis, quæ singula absoluta erant, et in se ipsa completa. Cf. cap. VII, 27.

3. Sed, fortiter adversativum. In ipsis, sc. *hostiis* v. 1. Commemoratio peccatorum fit, cf. Lev. XVI, 21 : summus sacerdos, die Magnæ Expiationis, manibus hirco impositis, universa populi peccata confitebatur.

4. Enim : ratio quare sacrificia Mosaica hominem perfectum facere, eumque ad finem ejus ducere non poterant. *Sanguis animalium* pro homine, ratione et voluntate prædito, satisfacere nequit : tum a/ quia animalia non se immolant voluntarie; tum b/ quia eorum vita vitam humanam non æquiparat, tum denique c/ quia nullam naturæ participationem cum homine habent, adeoque istorum sacrificium homini plane externum est, externamque expiationem dumtaxat efficit (cl. Bisping).

Nota tamen has rationes esse convenientiæ, non absolutæ necessitatis : nam, stricte loquendo, potuisset Deus, si voluisset, hominem redimere alio quovis modo, sed id fecit per Filium incarnatum; et convenienter quidem, quum deceret ut plenam perfectamque postularet satisfactionem pro peccato, atque aliter infinitæ malitiæ peccati satisfactum non fuisset secundum jus summum justitiæ commutativæ. Cf. cap. II, 10.

5 et 6. Ideo. Sacrificia Judaica inefficacia esse ex ipsa eorum natura modo ostenderat, nunc per vaticinium Ps. XXXIX, 7-9 illud demonstrat. Videsis explicationem Psalmorum quam edidimus sub titulo : *Commentarius in Librum Psalmorum*, 3 vol. Brugis, 3ª ed. 1886.

Hostiam etc. Sensus literalis de Davide hic est : " Ut gratum me tibi, Deus, exhibeam, me ipse totum potius quam sacrificia externa offeram tibi : etenim, sacrificia Mosaica cujuscumque generis minus tibi placent, quam interna mei ipsius oblatio, per perfectam obedientiam legumque tuarum

noluisti : corpus autem aptasti
6 mihi : * holocautomata pro pec-

« *saica cujuscumque generis, victimæ*
« *et rerum inanimatarum oblationes,*

plenam observantiam. » Quum autem David figuram Christi gereret, in sensu mystico hæc verba ita de Christo intelligenda sunt : « Tibi, Deus Pater, me ipse offero, non vero sacrificia Mosaica, quæ, quum minus tibi placeant, tollo atque abrogo, ut mei ipsius oblationem eis substituam; hæc autem oblatio in eo consistit quod voluntatem tuam plenissime observem, et perficiam quæcumque in Lege (in Scriptura sacra) de me scripta et prædicta sunt, nimirum fore ut veniam in mundum ad expianda hominum peccata per mortem crucis. »

HOSTIAM, OBLATIONEM, HOLOCAUTOMATA, *et* (nota istud *et* ante *pro peccato* legi, tum in hebræo, quum in Vulgata Psalmorum) PRO PECCATO, quatuor sunt sacrificiorum species in lege Mosaica : victimarum immolatio (flandr. *slachtoffer*, Schegg in expl. Psalm. vertit per *Friedopfer*), oblatio rerum inanimatarum (fl. *spijsoffer*), holocausta seu sacrificia in quibus victimæ integre comburebantur (fl. *brandoffer*), et sacrificia expiatoria (fl. *zoenoffer*). Offerentes participabant sacrificia duo priora, non vero duo posteriora : ideo bina et bina enumerantur.

NOLUISTI : simpliciter negat aliquid quod alteri postponere intendit, hoc sensu : sacrificia ista *non adeo* vis, desideras, postulas (vide versum sequentem parallelum, ut habetur in hebræo et in Vulg. Psalmorum : ibi verba *non postulasti* explicant verbum *noluisti* hujus versus), *quam* mei ipsius oblationem, in servitium tuum traditionem, seu perfectam obedientiam voluntati tuæ. Eodem modo dicitur 1 Reg. XV, 22 : *Non vult* (i. e. *minus vult*, ut patet ex sequentibus) *Dominus holocausta et victimas, melior* (nota comparativum) *est enim obedientia quam victimæ.* Pariter Jerem. VII, 22 : *Non præcepi* (ait Deus) *eis* (Israelitis) *de verbo holocautomatum et victimarum : sed hoc verbum præcepi eis : Audite vocem meam* etc., i. e. non *tam* præcepi sacrificia *quam* obedientiam.

CORPUS AUTEM APTASTI MIHI. In hebræo, quemadmodum in Vulgata Psalmorum, habetur *aures* loco *corpus*, hoc modo : *aures autem perfecisti* aut *perfodisti mihi.* Sensus est : voluisti ut perfecte tibi obedirem; hic vero sensus duplici modo explicatur : 1° *perfecisti*, vel *perforasti, aperuisti aures*, ut bene audirem vocem tuam, eique perfecte obedirem; vel 2° *aures mihi perforasti*, ut servus tuus perpetuus essem, ut semper tibi servirem, tibi obedirem; adeo ut sit allusio ad Exod. XXI, 6, et Deut. XV, 17, ubi Moyses jubet aurem servi, qui septimo anno exire nolebat, perforare

7 cato non tibi placuerunt. * Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

" *holocausta et sacrificia expiatoria tibi* " *perfecte non placuerunt : ideo me in* " *mundum misisti ut me tibi immolarem.* " [7] *Ecce paratus sum id facere, tuumque* " *exequi imperium, et omnia quæ in* " *Scriptura sacra de me prædicta sunt* " *adimplere.* "

in signum perpetuæ et voluntariæ servitutis. S. Paulus autem, vel de industria mutavit *aures* in *corpus*, ut locum illum ad finem suum magis accommodaret; vel secutus est versionem 70 Interpretum in cujus codice legit σωμα loco ωτια. Et re quidem vera, in plerisque exemplaribus versionis Septuaginta-viralis legitur σωμα; verumtamen facile potuit hæc lectio per glossema ex Hebr. X, 5 in textum 70 Interpretum irrepsisse. De cætero, verba Apostoli, ad rem quod attinet, non multum differunt ab hebræo : etenim Deus Pater Christo aptavit corpus, i. e. voluit ut Christus corpus assumeret et homo fieret, in hunc ipsum finem ut Christus voluntatem Dei in mundo redimendo perficeret; per hoc nimirum quod, corpore indutus, sacrificium sui ipsius in ara crucis pro peccatis hominum offerret.

7. Tunc dixi : Ecce venio. *Tunc*, non tempus, sed conclusionem indicat; valet *ideo*, et respondet particulæ *autem* in his v. 5 *corpus autem.* Verba *tunc dixi : Ecce venio* ad v. 6 pertinere deberent, quia adest parallelismus cum v. 5. Sacrificia, inquit, quævis non adeo tibi placent, quam ego placebo si dicam : Ecce venio, paratus sum jussa tua exequi ; aliis verbis, magis tibi acceptus ero, si perfecte obediam, quam si sacrificia quævis offeram. Cum ista ad Christum referimus, sensus erit : *Ecce eo in mundum, corpus assumo, homo fio, ut, loco sacrificiorum Mosaicorum, me ipse totum offeram tibi, atque ita voluntatem tuam perficiam.*

In capite libri, *in volumine libri* (s. Hier. ex hebr.), seu simpliciter *in libro. Caput* vocatur summitas baculi circa quem membranæ olim *volvebantur;* per synecdochen, qua pars pro toto ponitur, sign. *volumen;* eo sensu adhibetur κεφαλις *caput* apud 70 in Ezech. II, 9; III, 1. *Liber* autem antonomastice dicitur *Scriptura sacra*, liber per excellentiam, *Biblia* (βιβλος *liber*).

Scriptum est de me ut faciam etc., mihi præscriptum est ut faciam etc. David cogitat præcepta legis seu voluntatis divinæ testimonia in Pentateucho scripta. De Christo autem in sensu mystico ita explicari possunt verba illa: *Ecce* in terram *venio ut tuam faciam voluntatem, quemadmodum* in Scriptura sacra id *de me scriptum* seu *prædictum est.* Secundum hanc interpretationem, voces *ut faciam*, του ποιησαι, ad *venio* referimus; et *scriptum*

8 * Superius dicens : Quia hostias, et oblationes, et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum
9 legem offeruntur, * tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum,
10 ut sequens statuat. * In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.
11 * Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans,

[8] In hoc igitur loco Christus dicit primum, hostias, et oblationes, et holocausta piacularia legis Mosaicæ Deo plene accepta non fuisse; [9] deinde addit se hominem fieri ut, per sui ipsius immolationem, divinam perficiat voluntatem : quibus verbis significat, sacrificia legalia per novum sacrificium, quod in cruce sit oblaturus, abroganda esse; [10] proindeque Dei voluntatem fuisse ut, per unicam immolationem corporis Christi, sanctificationem, quam sacrificia Mosaica efficere non poterant, obtineremus.

[11] Et sic, dum sacerdos legis veteris quotidie stat ministrans ad altare,

explicamus de vaticiniis Messianicis : quod fieri potest quin a sensu typico recedamus; nam quod ibi *scriptum* seu prædictum legitur, id Christo vere *præscriptum* erat.

8. Auctor locum adductum jam ipse commentatur. SUPERIUS, in priore parte citationis. QUÆ SECUNDUM LEGEM OFFERUNTUR, verba sunt Apostoli, quibus declarat intelligenda esse sacrificia cultus Mosaici.

9. TUNC DIXI : vera lectio habet *dixit* in 3ª pers. Merito censet Estius *dixi* hic irrepsisse ex v. 7. — TUNC, particula temporis; sign. *deinde*, seu *in altero membro loci citati*.

10. IN QUA VOLUNTATE, sc. *Patris, secundum quam voluntatem* etc. SEMEL refer ad *oblationem*, non ad *sanctificati sumus*, ut eruitur ex v. 11 *quotidie* et *sæpe*.

11. Explicat illud *semel* v. 10, ideoque *et* initio hujus v. 11 sign. *nimirum;* redit itaque ad sententiam, supra IX, 25 sqq. expositam, sacrificia Mosaica efficacia non esse, quod vel ex frequenti eorum repetitione concludi potest.

SACERDOS : datur duplex lectio ejusdem fere auctoritatis, adeo ut non constet utrum auctor scripserit *ιερευς*, quod collective sumendum est de omnibus sacerdotibus, etiam incluso summo sacerdote; an vero dixerit *αρχιερευς, summus sacerdos,* quo casu hic sumi debet tamquam caput universi ordinis sacerdotalis, siquidem additur *quotidie ministrans.* — PRÆSTO EST, potius *stat, εστηκε,* quod opponitur *sedet* v. 12: *stare* ministrantis est, *sedere* autem imperantis. QUOTIDIE, antithesis ad *in sempiternum* v. 12; EASDEM vero ad *unam* v. 12.

et easdem sæpe offerens hostias,
quæ numquam possunt auferre
12 peccata : * hic autem unam pro
peccatis offerens hostiam, in
sempiternum sedet in dextera
13 Dei, * de cetero expectans donec
ponantur inimici ejus scabellum
14 pedum ejus. * Una enim obla-
tione, consummavit in sempiter-
15 num sanctificatos. * Contestatur
autem nos et Spiritus sanctus.
16 Postquam enim dixit : * Hoc
autem testamentum, quod testa-
bor ad illos post dies illos, dicit
Dominus, Dando leges meas in
cordibus eorum, et in mentibus
17 eorum superscribam eas : * et
peccatorum, et iniquitatum eo-
rum jam non recordabor amplius.
18 * Ubi autem horum remissio :

easdemque sæpe offert hostias, quin per eas peccata auferre possit : [12] Christus contra, unica oblata hostia piaculari, in perpetuum sedet ad dextram Dei ; [13] atque nihil jam ei superest, quam ut suo tempore videat omnes inimicos plenissime subjectos. [14] Unica enim illius hostiæ oblatione opus suum sacerdotale consummavit, quum semel pro semper omnia expiaverit peccata, et justitiam perfectam hominibus attulerit. [15] Illud etiam testatur nobis Spiritus sanctus, qui, postquam dixit : [16] *Hoc autem est fœdus novum, quod tempore adventus Messiæ cum hominibus pangam,* addit : *Faciam ut leges meæ in mentibus et cordibus eorum sint quasi scriptæ* (i. e. efficiam ut eas cognoscant et observent), [17] *et peccata eorum quævis condonabo.* [18] Quum autem peccata dicantur remittenda per Christum, non oportet ut, post ejus mortem, qua remissio plena effi-

12. Offerens, græce part. aor. *postquam obtulisset.*

13. De cætero exspectans etc., inde non reversurus ut pro peccatis iterum se immolet. Donec etc., respicit ad Ps. CIX *Dixit Dominus* etc.

14. Enim, rationem reddit quare *in sempiternum* sedeat ad dextram Dei (v. 12), nihilque amplius ei supersit quam plenissimus mortis suæ effectus, sc. perfecta inimicorum omnium subjectio. Sanctificatos, græce est part. præs. *eos qui sanctificantur*, adeoque perpetuam rei continuationem significat.

15. Ex vaticinio Jeremiæ XXXI, 31-34, supra jam allato cap. VIII, 8-12, confirmat, per unicam Christi oblationem consummari eos qui sanctificantur.

16. Dicit Dominus : hæc sumimus tamquam verba Apostoli, quibus alteram vaticinii partem inducit, quamvis eadem verba apud Jeremiam legantur : quæ enim post *dicit Dominus* sequuntur, jam pertinent ad præparandam sententiam versiculi 17, in quo id allegatur quod ad finem scribentis proprie spectat.

18. Conclusio ex v. 17, et finis prioris epistolæ partis, sc. dogmaticæ, in qua novum Testamentum vetere dignius atque melius esse demonstratur.

jam non est oblatio pro peccato.

citur, sacrificia ad expianda peccata iterum offerantur. Ergo unicum Christi sacrificium præstitit id quod tot vetera sacrificia conferre non potuerunt ; ergo sacrificium novæ legis, et proinde sacerdotium Christi, et cultus novæ legis et universa œconomia christianismi, longe superant sacrificia, et sacerdotium, et cultum, et universam conditionem veteris legis : igitur christianæ religioni fideliter adhærere oportet, nec licet ad Judaismum redire.

Analysis cap. IX — X, 18.

Christi sacerdotium sacerdotio veteris Testamenti excellentius esse, duplici ex capite in antecedentibus demonstravit, nempe 1° ipsam utriusque sacerdotii naturam considerando, 2° utrumque fœdus, quod per sacerdotium stabilitum fuit, comparando. In hac autem parte, tertiam addit rationem qua præstantia sacerdotii Christi confirmatur, nimirum cultum et præsertim sacrificia utriusque sacerdotii examinat ; atque ostendit sacrificium Christi, sacerdotis novæ legis, longe excellentius esse sacrificiis omnibus veteris legis, proindeque cultum divinum a Christo institutum cultui Judaico quam maxime prævalere.

In vetere Testamento cultus divinus fiebat præsertim in Tabernaculo (describuntur partes ejus et res sacræ in eo repositæ, v. 1-5) : sed 1° Tabernaculum Mosaicum non est nisi imperfecta figura tabernaculi veri, quod est in cœlis ; deinde 2° soli sacerdotes in partem ejus anticam, et solus summus Pontifex semel singulis annis in partem posticam seu intimam, introire possunt ; 3° per sacrificium animalium in Tabernaculum ingrediendum est ; 4° sæpe iterari debent ista sacrificia. Quæ quidem omnia significant cultum istum esse valde imperfectum atque infirmum ; adeoque, quamdiu existat, nondum apertam esse viam ad Deum, seu homines per

cultum Mosaicum interius justificari Deoque reconciliari non posse, v. 6-10. Contra, Christus ingressus est 1° Tabernaculum verum, cœleste, et 2° intimam quidem ejus partem, usque ad Dei solium penetrans; 3° ingressus est per proprium sanguinem, seu per sacrificium et immolationem sui ipsius, v. 11 et 12.

Hoc ultimum doctrinæ caput peculiari modo evolvitur, ob triplicem præsertim rationem : a/ quia sacrificium est præcipuus actus universi cultus divini; b/ quia novi Testamenti excellentia nulla alia in re tam manifesto splendescit; c/ denique, quia mors Christi in cruce magnum erat Judæis scandalum.

Igitur Christus, pontifex novæ legis, Deo obtulit sacrificium proprii sanguinis, quod sane multo efficacius fuit quam sacrificia animalium (v. 13, 14). Et convenienter quidem sanguinem effudit et se ipse immolavit ut novum Testamentum conderet : etenim *a*/ testamentum quodvis effectum non habet nisi post mortem testatoris, v. 15-17; *b*/ Testamentum vetus, quod typus erat novi, etiam per sanguinem dedicatum fuit, ejusque vis populo conferebatur per sanguinem : ergo per Christi sanguinem seu mortem novum sanciri debuit : v. 18-23.

Christus, tamquam pontifex cultus novi, sacerdotibus cultus Mosaici antecellit, non solum in eo quod, ut diximus, 1° in Tabernaculum verum, 2° usque ad intimam ejus partem, et 3° per sacrificium proprii sanguinis ingressus sit; sed 4° quod semel pro semper sacrificium suum perfecerit, omnia mundi peccata per unicam oblationem expians et exhauriens, v. 24-28. Atque etiam ex hac parte sacrificium Christi majus est quam sacrificia veteris legis; ista enim ideo iterabantur, quia populum vere et intus sanctificare non poterant : nimirum, vim tantum habebant legalem et exteriorem; ergo, quotiescumque lex violabatur, sacrificium expiatorium iterum offerre oportebat, ut peccatores coram lege mundarentur : cap. X, 1-4.

Eadem autem sacrificiorum veterum imperfectio etiam directe colligi potest e verbis Psalmi XXXIX, in quibus prædicitur sacrificia Mosaica, utpote infirma (Deo non placita), per sacrificium

mortis Christi abroganda esse omnia : v. 5-10. Christus igitur semel pro semper obtulit sacrificium, quod veteribus substitutum fuit; ipse etiam intimam Tabernaculi cœlestis partem ingressus est ; non semel singulis annis, quemadmodum summus sacerdos legis Mosaicæ, sed semel pro semper consedit ibi in solio ad dextram Dei, v. 11-13. Unicum illud sacrificium quod perfecit, adeo efficax fuit, ut semel pro semper omnia peccata vere expiaverit, v. 11-14; quod verbis Jeremiæ confirmatur, v. 15-17.

Itaque, Christi sacrificium sacrificiis Judæorum omni ratione melius et excellentius est :

1° *Efficacia :* homines enim vere justificat et a cunctis mundat peccatis ; sacrificia autem Mosaica nonnisi legalem conferunt justitiam, et certum peccatorum numerum solummodo expiant.

2° *Dignitate rei oblatæ :* Christi sanguis sanguine animalium infinite dignior et sanctior est.

3° *Loco,* seu *sanctuario* quod Christus per vim illius sacrificii ingressus est, nimirum in summum cœlum usque ad ipsam Dei sedem penetravit.

4° Tandem *tempore* quo in sanctuario illo excellentiore manet : sub vetere lege, unico die singulis annis Sanctum-Sanctorum ingrediebatur solus summus pontifex, alii sacerdotes nonnisi in Sanctum introibant, et præter eos nemo : Christus contra, semel pro semper intravit in Sanctum-Sanctorum verum (in summum cœlum), adeoque ibi in perpetuum sacerdotali fungitur officio (et quidem *sedens* tamquam rex, dum sacerdotes veteres *starent* tamquam servi), eo fine ut omnibus hominibus ingressum ad sanctuarium (ad cœlum) aperiat.

CONCLUSIO GENERALIS PARTIS DOGMATICÆ.

Sacerdotium Christi Aaronis sacerdotio præstat : quia 1° *sacrificium* ejus excellentius est, 2° quia *fœdus* melius introduxit, 3° quia ipsum *sacerdotium* in se consideratum, seu in natura sua, dignius et perfectius est. Nec sola ratione sacerdotii lex nova Christi Moysis legi prævalet, sed etiam ratione auctoris ejus seu

mediatoris : nam Christus mediator legis novæ Moysen et angelos, quorum ministerio data est lex vetus, auctoritate et dignitate infinite superat.

Inde ad *conclusionem generalem universæ epistolæ* facile devenimus : ergo oportet ut Hebræi in christiana religione fideles permaneant, utque sibimet ipsi caveant ne a christianismo per falsos fratres retrahantur, et ad Judaismum abducantur. Conclusio hæc, quæ *practica* est seu *moralis*, in altera epistolæ parte nunc exponitur.

PARS POSTERIOR : MORALIS.

DE CONSTANTIA IN FIDE, SECUNDUM SANCTORUM EXEMPLA, MEDIIS IN TRIBULATIONIBUS.

X, 19—XIII.

§ 1. *Adhortatio ad constantiam in fide christiana.*

X, 19—39.

19 * Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum

[19] Itaque, fratres, ut ex præcedentibus liquet, spem habemus introeundi in sanctuarium verum (in cœlum) per

19. Itaque : pars epistolæ moralis cum parte dogmatica, tamquam conclusio activa ex principiis theoreticis, arcte connectitur, hoc modo : quum per mortem Christi expiata fuerint peccata nostra (v. 17), quum per gratiam sanctificantem in sempiternum consummandi atque salvandi simus (v. 14) ; præterea, quum novum Testamentum, quo solo possimus ad finem nostrum perduci, dedicatum fuerit (v. 1 sqq.), nobisque via cœli nunc aperta fuerit per Christum : accedamus etc.

In introitu, græce cum accusativo : *in introitum, ad introitum*. Sanctorum, i. e. *ad sancta* (ut cap. IX, 8), *ad sanctuarium verum*, sc. cœlum.

20 in sanguine Christi, * quam
initiavit nobis viam novam, et
viventem per velamen, id est,
21 carnem suam, * et sacerdotem
magnum super domum Dei :
22 * accedamus cum vero corde in
plenitudine fidei, aspersi corda a
conscientia mala, et abluti cor-
23 pus aqua munda, * teneamus
spei nostræ confessionem inde-
clinabilem (fidelis enim est qui

merita sanguinis Christi. — [20] Ipse enim, cum corpus suum pro nobis morti tradidit, atque ita abstulit velamen quod ingressum in sanctuarium impediebat, viam nobis aperuit novam (antea occlusam) et facilem (viam in ipso Christo qui vita est), quæ ducit ultra velamen usque in sanctuarium cœleste. — [21] Præterea in sanctuario illo (in cœlis) habemus pontificem sacerdotibus veteris legis longe excellentiorem, qui ibidem regnat cum Deo Patre. [22] Quæ quum ita sint, ad sacerdotem illum accedamus cum fide sincera atque firmissima, cum animo ab omnibus peccatis per Sacramentum Baptismi purgato. [23] Constanter perseveremus in spe firmissima, quam habere profitemur, obtinendi bona cœlestia (nam Deus, qui ea promisit, in promissis

20. Quam, refertur ad *viam novam ;* hoc sensu : ea via quam dedicavit nobis. — Viventem. Via illa vocatur *vivens,* quia Christus non solum viam aperuit, sed est ipsemet *via, et veritas, et vita,* ut dicit Joann. XIV, 6: adeoque via est facilis, quum Christus sit vivens, vitamque gratiæ tribuat. — Per velamen, supple *ducentem.*

Carnem suam : Christus *corpus suum* morti tradidit (per mortem abstulit), ut Sanctuarium cœleste ingrederetur, illudque nobis aperiret, quemadmodum sub vetere lege summus sacerdos *velamen* Tabernaculi removere debebat antequam in Sanctuarium intraret. Id ipsum præfiguravit veli scissio quæ in morte Christi contigit, Matth. XXVII, 51.

21. Sacerdotem magnum non sign. simpliciter *summum sacerdotem,* (αρχιερα), sed sacerdotem qui relate ad sacerdotes Mosaicos *magnus* et *excellens* sit (ιερα μεγαν). Domum Dei κατ' εξοχην, seu, ut vulgo loquimur, domum Dei *per excellentiam,* i. e. *cœlum :* huic autem domui præpositus est (*super domum Dei*), quia sedet ad dextram Dei (v. 12), adeoque in cœlis cum Deo regnat.

22. Cum vero corde, *cum animo sincero,* sc. in iis quæ ad fidem spectant : igitur cum fide *sincera,* ex animo suscepta. — In plenitudine fidei, cum fide *firmissima,* seu plene persuasi (πληροφορια) de veritate fidei. — Aspersi et (quod supplendum est) *mundati :* recogitat purificationes Mosaicas per sanguinem et aquam. Abluti corpus, utique per lavacrum sacri Baptismatis.

24 repromisit), * et consideremus
invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum :
25 * non deserentes collectionem
nostram, sicut consuetudinis est
quibusdam, sed consolantes, et
tanto magis quanto videritis
appropinquantem diem.
26 * Voluntarie enim peccanti-

fidelis est); [24] et ad charitatem fraternam, beneficentiæque christianæ opera nos invicem excitare satagamus. [25] Adeoque conventus, quos christiani liturgiæ gratia habent, diligenter frequentemus; non vero eos deseramus, sicut quidam facere solent, sed in iis cœtibus nos invicem exhortemur et consolemur; atque eo ferventius id agamus, quo magis appropinquare videtis diem judicii et terribilissimæ pœnæ malis immittendæ. [26] Etenim si, postquam cum plena

24. Fidei et spei addit *charitatem*, et activam quidem: nam fides sine operibus mortua est.

25. COLLECTIONEM NOSTRAM, επισυναγωγην ἑαυτων, *aggregationem nostri mutuam*, i. e. cœtus liturgicos, qui fieri solebant a christianis, quando ad cultum publicum conveniebant, ubi imprimis se invicem ad charitatem et bona opera excitabant. Monet Apostolus ut cœtus hujusmodi *non deserant*, i. e. ut frequenter, assidue, diligenter eis adsint. VIDERITIS : βλεπετε, *videtis*.

DIEM : per *diem* vel *illum diem* (Matth. VII, 22 ; 1 Cor. III, 13) proprie et primarie significatur alter Christi adventus quo fiet judicium extremum (patet ex v. 27); verumtamen oportet simul intelligere diem mortis et judicii particularis : ergo, vox *dies* sumitur sensu generaliore, dies magnæ mercedis vel ultionis, proinde dies decretorius quo ultima hominis sors statuitur. Bisping intelligit solummodo alterum Christi adventum et dicit primos christianos [et certe etiam Apostolum ?] falso putasse instare finem mundi. Cf. 1 Cor. XV, 51 ; 1 Thess. IV, 16. Sed hoc difficile conciliatur cum divina inspiratione eorum qui hoc scripsissent. Fere eadem est sententia quam A Lap. hic tradit : " Putabant, ait, Apostoli eodem tempore fore excidium orbis, quo urbis Jerosolymæ.... Christus et Paulus, ut homines in metu et spe contineant, eos in hoc errore relinquunt. " Sed, si Paulum ita intelligamus, non tantum in errore relinquit, verum etiam falsam illam opinionem positive docet. — Propter verbum *videtis*, quod innuit jam signa fuisse istius diei, cl. Drach sumit *diem* de terribilissimo judicio quod Deus a. 70 contra Jerusalem exercuit. Signa autem illius calamitatis aliquamdiu antea exstitisse tradunt historici.

26. Quum ii, qui ecclesiam non frequentant, ad apostasiam facile deflectant, rursum, ut fecit VI, 4-8, terribiles peccati hujus effectus exponit. ENIM :

bus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinqui-
27 tur pro peccatis hostia, * terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.
28 * Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus mo-

persuasione fidem christianam amplexi sumus, eamdem scienter et volenter per apostasiæ peccatum rejiciamus; aliis verbis, si Christum ut Salvatorem non amplius agnoscamus : actum erit de nobis. Etenim, præter ipsum nulla nobis datur alia hostia peccatorum expiatrix;
27 sed nihil aliud nobis superest, nisi terribilis exspectatio judicii Dei condemnatorii, atque ignis fervidissimi in inferno, qui Christi adversarios devoraturus est. 28 Quotiescumque aliquis apostasiam a lege Mosaica per idololatriam facit, idque duorum vel trium testimonio pro-

ratio quare in fide sedulo perseverare oporteat hæc est, secus maximam exspectandam esse infelicitatem. Peccantibus, sc. per apostasiam.

Jam non relinquitur hostia, idem ac VI, 4-6 : *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Impossibile, non a parte Dei omnipotentis, neque a parte s. Ecclesiæ, in qua datur remissio quorumcumque peccatorum; sed a parte ipsius peccatoris obdurati, qui, quamvis plene persuasus sit divinam esse christianam religionem, adeoque Christum salutis auctorem esse, jam fidem rejicit, eamque ut falsam oppugnat, atque proinde Christum contemnit, imo sanguinem ejus pedibus conculcat (peccatorum remissionem morti Christi non adscribit). Si quis ita sit animatus, nulla remanet ipsi spes veniæ, quia non est alia hostia peccatorum expiatrix quam Christus in cruce immolatus. Quamdiu igitur in his sensibus perseverat apostata, prorsus impossibile est ut veniam obtineat, salutemque consequatur: atqui, valde difficile et fere impossibile est, ut, si quis post acceptas tot Dei gratias in maximum apostasiæ peccatum scienter et volenter cadat, pravum animi affectum immutet, rursumque fidem recuperet. Multo enim facilius est hominem ab idololatria ad fidem convertere, quam fidem iterum persuadere ei qui ex perversa voluntate fidem semel susceptam abjecit.

27. Ignis æmulatio: ζῆλος, *zelus ignis* (personificatio) pro *ignis fervidissimus*. De judicio contra malos exercendo vide Sap. V, præsertim a v. 21.

28. Auctor ratiocinatur a minori ad majus. Irritam faciens, non, per peccatum contra hoc vel illud præceptum, sed per apostasiam a lege universa; aliis verbis, a Judaismo ad idololatriam se convertens. Respicit auctor Deut. XVII, 2-7.

29 ritur : * quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fe-
30 cerit ? * Scimus enim qui dixit : Mihi vindicta, et ego retribuam. Et iterum : Quia judicabit Do-

batum est, pœnas morte solvit : [29] annon, secundum vestrum ipsorum judicium, longe majorem pœnam meretur ille qui, per apostasiam a fide christiana, Christum, Dei Filium, tamquam salutis auctorem non amplius agnoscit, imo vero eum ex contemptu pedibus conculcat quasi rem inutilem ac vilem; qui sanguinem illum, quo novum fœdus sanctum est, et quo ipse fuit sanctificatus, æstimet esse sanguinem communem, ordinarium, quo nihil sanctificari possit ; tandem qui Spiritum sanctum, gratiæ fontem, e corde suo contumeliose expellit ? [30] Utique longe severius punietur, quia directe fecit injuriam ei qui in s. Scriptura dixit : *Ego omnipotens me ipse vindicabo, egometipse in impios animadvertam*, et de quo scriptum ibidem est : *Ipse Dominus populum suum judicabit, et eos qui a lege defecerint,*

29. Qui etc. Pro eo quod dicat Apostolus : *qui apostasiam a christianismo committit*, per triplicem considerationem peccatum illud circumscribit, ut ejus enormitatem magis declaret.

Conculcaverit, tamquam rem inutilem, quæ in plateam abjicitur et pedibus conculcatur : igitur maximum significat contemptum in Christum, Dei Filium adorandum.

Pollutum, *κοινον, communem* (eo sensu quo Judæi res ab aliis gentibus in usu communi adhibitas, sed sibi per legem vetitas, *communes* vocabant, i. e. *immundas*), non sanctum, nec Deo acceptum, adeoque qui nullam vim sanctificandi habet.

Et Spiritui etc. : tertia consideratio, qua malitia apostasiæ describitur : Spiritum sanctum, gratiæ auctorem, quem in Baptismo suscepit, utpote qui per gratiam sanctificantem habitat in cordibus justorum, expellit, adeoque contumeliose tractat. Cf. supra VI, 4.

30. Mihi etc. : libere citat Deut. XXXII, 35. — Judicabit, ex Deut. XXXII, 39. *Judicare* sumit Estius in bonam partem : populum suum ab hostibus vindicabit ; verum contextus requirit, ut in malam partem pro *condemnare* intelligatur : etenim agitur de puniendis iis qui ad populum Dei pertinuerunt, et apostasiæ crimen admiserunt.

31 minus populum suum. * Horren-
dum est incidere in manus Dei
viventis.
32 * Rememoramini autem pri-
stinos dies, in quibus illuminati,
magnum certamen sustinuistis
33 passionum : * et in altero qui-
dem opprobriis, et tribulationi-
bus spectaculum facti : in altero
autem socii taliter conversan-
34 tium effecti. * Nam et vinctis
compassi estis, et rapinam bono-
rum vestrorum cum gaudio sus-
cepistis, cognoscentes vos habere
meliorem et manentem substan-
tiam.

pœna afficiet. [31] Atqui horrendum est incidere in manus Dei æternum viventis, ejusque iram et ultionem in perpetuum subire.

[32] Verum, necesse non est ut per timorem divinæ iræ ad perseverantiam excitemini ; sufficit vobis in memoriam revocare tempus præteritum, in quo, paulo post conversionem vestram ad fidem, magnum persecutionis certamen sustinuistis ; [33] quando partim per opprobria et vexationes publicæ ignominiæ expositi fuistis, partim per commiserationem vestram atque eleemosynas participes facti estis eorum qui talia patiebantur. [34] Et re quidem vera, non solum miserti estis christianorum qui in carcere erant, sed etiam injustam bonorum vestrorum spoliationem cum gaudio sustinuistis, quia sciebatis vobis esse bona meliora et sempiterna, in cœlo præparata.

31. Hoc epiphonema, quo, tamquam ultimo ictu, Hebræos ab apostasia deterret, animum lectorum maximopere percellit.

Incidere in manus Dei, i. e. *potentiam ejus experiri ;* hic *potentiam vindicativam,* adeoque in malo sensu. Eadem dictio 2 Reg. XXIV, 14 occurrit in bono sensu : *Melius est ut incidam in manus Dei, quam in manus hominum,* i. e. Dei misericordia in hac vita major est quam hominum quorumvis benignitas.

Viventis, emphasim habet : Deus semper vivit ad puniendum ; ideoque pœnæ, quas post hanc vitam irrogat, sunt æternæ.

32. Solerter immutat sermonem, a terrore pœnarum ad dulcem amœnamque adhortationem transiens. Recordatio pristini fervoris nata est animum peccatoris vel christiani tepidi iterum inflammare.

33. In altero quidem..., in altero autem : *τουτο μεν..., τουτο δε,* potius *partim... partim.* Spectaculum facti, cf. 1 Cor. IV, 9.

34. Vinctis, *τοις δεσμιοις,* cujus loco textus Receptus habet *τοις δεσμοις μου vinculis meis,* cum codd. D***EKL, quæ quidem lectio Paulum epistolæ auctorem innuit ; verum, longe probabilior est lectio Vulgatæ, cui favent codd. AD*, verss. copt. et syr., præterea s. Chrys. etc.; tandem eam commendat locus parallelus cap. XIII, 3.

35 * Nolite itaque amittere con-
fidentiam vestram, quæ magnam
36 habet remunerationem. * Pa-
tientia enim vobis necessaria
est: ut voluntatem Dei facien-
tes, reportetis promissionem.
37 * Adhuc enim modicum ali-
quantulum, qui venturus est,

[35] Igitur, quum tanta olim pro Christo feceritis, nolite nunc abjicere firmam vestram fidei christianæ professionem, cui magnum promissum est præmium, sed in ea perseverate. [36] Constantia enim vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei usque in finem perficientes, promissam consequamini felicitatem. [37] Non enim diu vobis exspectandum erit: adhuc modicum quid, et valde modicum tempus effluet, *antequam*, ut dicit propheta, *Sal-*

35. Confidentiam: *παρρησιαν loquendi libertatem*, sc. in fide profitenda; quæ quidem sancta libertas nititur fiducia obtinendi bona promissa.

36. Patientia: *ὑπομονη*, proprie constantia et perseverantia in sustinendis malis, Bisp. *Ausdauer;* inde *patientia*, Beel. *verduldigheid.* Cf. Jac. V, 7: *Patientes estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat* etc. Vide comm. nostr. in ep. Cath., 2ª ed., 1887.

De necessitate et excellentia *patientiæ* dedita opera et præclare scripsit s. Cypr., in libro *De bono patientiæ*, ubi inter alia: " Patientia, ait, nos Deo " et commendat et servat; ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam " frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit etc. " Vide etiam Tert., *De pat.*, c. 15. Cf. ann. Tit. II, 2.

37. Qui venturus est etc., ex Habac. II, 3, 4, secundum Septuaginta Interpretes. Hebræus ita: *Veniendo veniet* (visio, seu res circa quam visio prophetica versatur) *et non tardabit. Ecce, anima superbi non est recta in eo* (superbus, qui prædictioni huic credere non vult, male agit et punietur), *sed justus in fide sua vivet* (qui autem ei credit, justus est, et fidei præmium accipiet).

Sensus literalis est de clade Chaldæis inferenda per Cyrum Persarum regem, deque Judæorum reditu ab exilio Babylonico. Quum autem Cyrus, in eo quod Judæorum hostes profligavit et captivitatem solvit, figura esset Christi, sensus mysticus est: *brevi adveniet Messias, qui populum Dei spiritualiter liberabit: quicumque igitur fidem susceperit christianam, vita vivet spirituali.* Christus autem, ut munus suum perficiat, bis venire debet: primum in Incarnatione, quando venit vitam gratiæ dare iis qui

38 veniet, et non tardabit. * Justus
autem meus ex fide vivit. Quod
si subtraxerit se, non placebit
39 animæ meæ. * Nos autem non
sumus subtractionis filii in perditionem,
sed fidei in acquisitionem animæ.

vator veniat in terras, sc. ad extremum judicium; [38] *tunc autem homo justus, qui fidem servaverit, vitam obtinebit æternam; iste vero qui fidem abjecerit, a Deo æternum damnabitur.* [39] Nos autem a fide non deficiemus, neque nos manet æterna perditio; sed contra, fidem servabimus animamque nostram æternum salvabimus.

credunt in eum; deinde in exitu seculorum, quando veniet vitam gloriæ iis tribuere qui in fide christiana usque ad finem fideliter perseveraverint. De altero Christi adventu plures hic intelligunt verba Habacuci; in epist. autem ad Rom. I, 17 (vide explic. nostr. ib. et append. ad calcem epist. ad Rom.) de priore adventu. Si autem hunc locum ep. ad Hebr. de altero Christi adventu interpretemur, animadvertere debemus diem mortis et judicii particularis simul cum ultimo die comprehendi, quod attinet ad singulos homines, ut annotavimus 1 Thes. V, 2. Sunt qui versiculum hunc 37 explicent de clade Jerosolymitana, ut supra v. 25.

Qui venturus est: *ό ερχομενος*, præsens pro futuro. Quod proprie de visione dicitur in hebræo, id retulerunt 70 Interpretes ad personam circa quam visio præcipue versatur.

38. Apostolus verborum ordinem invertit (nam in hebræo, et apud 70, *Justus* etc. est alterum membrum): hanc autem mutationem facit, ut quæ in versu seq. dicere vult facilius et aptius annectat. Nota etiam apud 70 non haberi *justus meus*, sed *justus ex fide mea.*

Quod si subtraxerit.... Septuaginta Interpretes, vel auctores, quicumque sint, versionis græcæ Alexandrinæ, in suo codice hebræo verba alio modo legerunt, quam nos apud Massoretas legimus: namque in nostris editionibus sensus verborum hebræorum (cæteroquin satis difficilium) videtur esse: *ecce, anima superbi non est recta in eo.* Auctor autem epistolæ pro more sequitur versionem græcam, idque libentius sane facit, quod hanc ad materiam suam aptius et directius referre possit.

39. Filii, non est in textu originali; verum id recte addidit Vulgata, ut vim exprimeret dictionis *ειναι τινος, esse alicujus* seu ad aliquem pertinere.

Analysis cap. X, 19 — 39.

Apostolus ad finem primarium, quem sibi in hac epistola præfigit, directe jam tendit : Hebræos ad constantiam in fide *adhortatur*, ab apostasia *deterret*, et ad perseverantiam *animat*.

I. Eos autem *adhortatur*, a/ per insigne beneficium quod Christus, se ipse Deo immolans, eis concessit, v. 19-22 ; b/ deinde per beneficium quod eis in futura vita dare promisit, v. 23.

II. Eosdem *deterret*, indicando a/ enormitatem criminis apostasiæ, v. 29 ; b/ effectum ejus ordinarium, impœnitentiam finalem, v. 26 ; et c/ terribilissimam impœnitentiæ finalis pœnam, v. 27-31.

III. Hebræos *animat*, per recordationem eorum quæ in anteriore vita jam propter fidem et a/ passi sunt mala, et b/ fecerunt bona ; aliis verbis, eis coram oculis ponit merita, quæ per tolerantiam persecutionum et per bona opera charitatis christianæ acquisiverunt, v. 32-34.

In fine hujus capitis redit ad rationem perseverantiæ omnium fortissimam, nempe præmium cœlestis beatitudinis, idque brevi obventurum esse comprobat, v. 35-39.

§ 2. *In exemplar proponitur fides sanctorum sub vet. Test.*

CAPUT XI.

1 * Est autem fides speranda-

[1] Fides autem, ad quam constanter ser-

1. Ut Hebræos ad constantiam in fide magis adhortetur, insigniora jam proponit veteris Testamenti exempla, in quibus eximia quorumdam fides elucet: sive quod fidem operibus ostenderint, sive quod in fidei mercedem mirabilia operati sint. Antequam exempla illa adducat, intimam fidei naturam definit, tum ut melius innotescat, qua in re sanctorum fides resplenduerit, tum ut explicet quod cap. X, 35-39 dixit de fidei mercede seu effectu, quomodo nempe *justus per fidem vivit* etc.

Fides, est subjectum verbi *est*, quamquam græce non adest art.; etenim

rum substantia rerum, argumen-
2 tum non apparentium. * In hac
enim testimonium consecuti sunt
senes.
3 * Fide intelligimus aptata

vandam vos adhortor, quæque salutem confert æternam, est essentia et inchoata possessio cœlestium bonorum quæ sperare debemus ; est etiam plena persuasio de veritate rerum quarumdam quæ non videntur. [2] Hujusmodi fidem habuerunt majores nostri, qui, sub V. T. viventes, credebant quæ non videbant, et propter suam fidem bonum testimonium in s. Literis obtinuerunt.

[3] Antequam eorum exempla adducam, animadverto, ad ipsam rerum omnium originem intelligendam fidem jam requiri :

sæpe fit in novo Testamento ut non adjungatur articulus vocibus sententiæ principalibus, præsertim si voces sint abstractæ (cf. *Beelen, Gramm. græc. n. T.* § 18, 1). Igitur sensus non est : *existit fides, quæ sit substantia rerum sperandarum* etc.

Substantia, ὑποστασις, proprie *subsistentia*, sc. fides facit ut res sperandæ in nobis subsistant, quasi sit fundamentum quo spes nitatur. Ita Beel. : *Geloof nu is een vaste grond van dingen die te hopen zijn.* Possumus etiam sumere ut ουσια, *essentia*, cum s. Thoma (*Summ. th.* 2ª 2æ, q. 4, a. 1) : *Substantia*, ait, *solet dici prima inchoatio cujuscumque rei, et maxime quando tota res sequens continetur virtute in primo principio... ; prima autem inchoatio rerum sperandarum in nobis est per assensum fidei, quæ virtute continet omnes res sperandas : in hoc enim speramus beatificari, quod videbimus aperta visione veritatem, cui per fidem adhæremus.* Præterea fides, si intelligatur perfecta, talis quæ charitate sit informata, i. e. fides justificans quæ cum gratia sanctificante conjungitur, est *semen gloriæ ;* seu omnia quæ in cœlis sunt *essentialiter* complectitur.

Argumentum : ελεγχος potius *plena persuasio* non apparentium, ου βλεπομενων, i. e. de veritate *eorum quæ non videntur : plena persuasio,* seu *convictio,* ut subinde legitur apud s. Aug. Eodem fere sensu s. Aug. (In Joan. tract. 27 et 70) : *Quid est fides ?* ait, *credere quod non vides ;* et s. Greg. (Hom. 26 in Evang.) : " Nec fides, ait, habet meritum, cui humana ratio " præbet experimentum. "

Definitio fidei ab Apostolo tradita accuratissima ac profundissima est ; eam in hanc formulam redigit s. Thomas : *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri non apparentibus.*

3. Intelligimus. Nota fidem re vera ducere ad intellectum ; seu, ut ait

esse sæcula verbo Dei: ut ex invisibilibus visibilia fierent.

4 * Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo,

nam per fidem tantum agnoscimus mundum jussu Dei fuisse creatum, adeo ut res visibiles hujus mundi ortæ non sint ex aliis rebus visibilibus, sicut quotidie fieri videmus, sed per invisibilem Dei potentiam ex nihilo creatæ sint.

[1] Nunc autem fidei exempla singillatim recenseo. Fide ductus fuit Abel, quando hostiam muneribus Caini præstantiorem Deo obtulit; et per hanc

s. Anselmus, *fides quærit intellectum:* quemadmodum vicissim fidei negatio, seu negatio veritatum fidei christianæ, intellectum pervertit; et de errore in errorem mentem projiciens, tandem eam in scepticismum demergit.

Quum auctor præcipua fidei exempla ordine temporis adducere velit, cogitatione ascendit usque ad generis humani primordia, et statim ei in mentem incidit, ipsam rerum omnium originem sine fide intelligi non posse: hoc autem primum notat, ut fidei necessitatem demonstret.

APTATA ESSE: *κατηρτισθαι,* sign. tum rerum *ordinationem,* tum etiam *creationem,* ut explicite dictum fuit supra I, 10.

EX INVISIBILIBUS: græce in omnibus codicibus antiquis: *μη εκ φαινομενων,* non autem *εκ μη φαινομενων,* adeoque sign., ut aiunt Bisp. et Beelen, *non ex visibilibus visibilia orta sunt,* quemadmodum quotidie videmus ex semine plantas oriri, ex præjacente materia varia fabricari opera etc.; sed orta sunt alio modo, qui est intellectui impervius, et ad quem requiritur fides, nimirum orta sunt ex invisibili Dei intellectu et voluntate, per ejus omnipotentiam creatricem; rerum origo pendet a *creatione* stricte dicta, adeo ut *ex nihilo factæ sint* res omnes, i. e. quæ antea non erant, ad existentiam adductæ sunt per actum Dei liberum. Gratis asseritur a quibusdam theologiæ dogmaticæ auctoribus *invisibilia* idem esse in sermone sacræ Scripturæ ac *ea quæ non sunt,* neque licet ex hac affirmatione ad libidinem posita quidquam concludere. Dogma creationis ex nihilo debet alia ratione ex hoc loco demonstrari.

4. Viros sanctos, qui fide maxime inclaruerunt, jam enumerat. Similem indicem virorum pietate præstantium tradidit Ecclesiasticus cap. XLIV–L.

PLURIMAM: *πλειονα copiosiorem,* et proinde *præstantiorem, Deo gratiorem:* quod cum faceret Abel, effectu probavit se credere in Deum; illa enim agendi ratione ostendit, supremam Dei excellentiam, propter quam optimæ et copiosissimæ ei hostiæ debeantur, a se agnosci.

per quam testimonium consecu-
tus est esse justus, testimonium
perhibente muneribus ejus Deo,
et per illam defunctus adhuc
loquitur.
5 * Fide Henoch translatus est

fidem obtinuit testimonium se justum esse : scilicet Deus aliquo signo miraculoso testatus est sacrificia ejus sibi grata esse. Eximia ejus fides etiam causa fuit quare occisio ejus Deo adeo invisa fuerit, ut sanguis ejus a Caino effusus dicatur ad Deum clamasse, ultionemque postulasse.

[5] Propter fidem Henoch e terra mira-

Testimonium consecutus est esse justus : namque, ut dicitur Gen. IV, 4 : *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus.* Ex eo quod Deus dicatur *respexisse* Abelem, sequitur ipsum fuisse *Deo acceptum,* adeoque *justum.*

Testimonium perhibente muneribus ejus Deo, intelligitur vel de verbis Geneseos modo recitatis, vel de signo quo Deus testatus est sacrificia Abelis magis accepta esse quam Caini. Non autem declarat Scriptura quodnam fuerit illud signum : multi cum s. Hier. (in Quæst. hebr.) opinantur ignem de cœlo delapsum fuisse atque hostias consumpsisse.

Defunctus adhuc loquitur, nam *vox* sanguinis ejus *clamasse* dicitur ad Deum de terra (Gen. IV, 10); eo autem magis clamavit Deique iram excitavit, quod Abel propter fidem esset Deo acceptissimus. Præsens *loquitur* ponitur pro præterito : *postquam defunctus fuit, adhuc locutus est.* Præsens autem adhibetur, tum quia Gen. IV, 10 legitur præsens *clamat,* tum ut factum illud vividius coram oculis ponatur. Sanctus autem Chrysostomus et A Lapide ita explicant : Abel per fidem suam adhuc nunc adhortatur nos ad fidei imitationem; sed loco *adhuc* scribi debuisset *adhuc nunc.* Deinde in universa exemplorum serie, ab Apostolo adducta, nusquam interjicitur monitio hujusmodi, sed nonnisi capite XII Hebræi ad imitationem excitantur. Hunc autem sensum aperte rejicit s. Thomas, et post ipsum Estius, Bisp., Beel., Drach etc. Denique, quod dicitur infra XII, 24 priorem explicationem omnino suadet.

5. Fide, hic *propter fidem, per merita fidei,* non ut v. 4 *per fidem, fide animatus.* — Translatus est, vivus e terris mirabiliter translatus est, ut patet ex contextu hic, ex Gen. V, 24 (coll. 4 Reg. II, 11, ubi de raptu simili, nempe Eliæ, agitur), ex Eccli. XLIV, 16; XLIX, 16, et ex constanti traditione, v. gr. s. Aug. (De pecc. orig. 22, 27) : " Non dubitamus [eos, sc. " Henochum et Eliam] in quibus nati sunt corporibus vivere. " Isti redituri sunt in terram paulo ante alterum Christi adventum : cf. Comm. nostr. Matth. 3ª ed., q. 428. Quod autem ad Henoch spectat, ejus reditus innuitur Eccli. XLIV, 16 *Henoch translatus est [in paradisum], ut det gentibus pœnitentiam.*

ne videret mortem, et non inveniebatur: quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse
6 Deo. * Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.
7 * Fide Noe responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam

biliter translatus est quin mortem subierit, ut legitur in s. Scriptura: *Et quadam die non apparuit amplius inter homines, quia alio transtulit eum Deus.* Propter fidem, inquam: nam ante translationem ejus testatur Scriptura eum Deo placuisse; [6] atqui sine fide impossibile est Deo placere. Etenim, si quis ad Deum accedere velit ut ei acceptus fiat, ante omnia debet credere Deum esse, ipsumque bonum esse et justum, adeoque remuneratorem eorum qui ipsum fideliter colunt. Ergo, per fidem Deo acceptus fuit Henoch et tantum meruit beneficium.

[7] Fide motus fuit Noe, quando, postquam divina revelatione edoctus fuerat de iis quæ nondum videbantur, sc. de futura terræ submersione, ex pia quadam prudentia arcam fabricavit qua suam servaret familiam; quod quum

Ne videret: græce infinitivus cum art. του sign. non tantum *finem*, sed etiam *eventum, adeo ut:* cf. *Beelen, Gramm. græc. n. T.* § 45, ε. Et non inveniebatur, citat Gen. V, 24: *Et non apparuit, quia tulit eum Deus.* — Placuisse, nam ibidem dicitur: *Henoch ambulavit cum Deo*, i. e. vixit digne Deo, secundum Dei voluntatem, sancte vixit, adeoque *Deo placuit*, ut vertunt 70 Interpretes.

6. Sine fide autem... propositio minor syllogismi; conclusio autem reticetur, sed facile suppletur: sc. ergo propter fidem translatus est.

Credere enim... *minor* syllogismi probatur: qui vult accedere ad Deum, i. e. spiritualiter, adeo ut Deo placeat, debet antea credere Deum esse, et ipsum bonum esse erga pios. Ideo docet Ecclesia fidem esse justificationis radicem atque fundamentum (quo sensu, explicavimus Rom. I, 17).

Est, et remunerator est: duæ istæ veritates fundamentum sunt omnis religionis et pietatis in Deum: " Neque ullus honor deberi potest Deo, " inquit Lactantius, si nihil præstat colenti, nec ullus metus, si non ira- " scitur non colenti. "

7. Responso accepto: χρηματισθεις, *divino edoctus oraculo.* Metuens, ευλαβηθεις (ab ευ *bene* λαμβανω *prehendo; caute manu capio* aliquid, v. gr. vas vitreum, timens ne illud frangam; inde *ago cum timore*, quod sæpe de *pio* in Deum *timore* dicitur), *religiose timens* diluvium, vel *pia ductus prudentia* ut

damnavit mundum: et justitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus.

8 * Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem:

9 et exiit, nesciens quo iret. * Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac, et Jacob, coheredibus repromis-

10 sionis ejusdem. * Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex, et con-

perageret, implicite incredulitatis arguit coætaneos suos, qui irridebant ipsum; et per fidem suam justitiam veram, quæ nonnisi per fidem haberi potest, obtinuit.

[8] Abraham, qui divina vocatione peculiariter electus fuit, per fidem adductus est ad hoc ut Dei jussis obediret, et exiret e terra sua ad regionem quam Deus promiserat ei in firmam dare possessionem, idque faceret quamvis quo tenderet ignoraret. [9] Fides etiam ipsum sustentabat, quando in terra ei promissa demorabatur tamquam peregrinus qui nihil possidet, et in tentoriis habitabat (quemadmodum Isaac filius ejus, et Jacob nepos ejus, quibus eadem possessionis promissio facta fuerat) tamquam ibi sedem fixam non haberet. [10] Fide, inquam, sustentabatur, nam civitatem solide ædificatam, urbibus Terræ Promissæ excellentiorem, exspectabat, nimirum civitatem cœlestem cujus artifex,

diluvium effugeret. — PER QUAM, referri potest vel ad *arcam* (cum Græcis, Estio, Bisp.), vel ad *fidem* (cum s. Thom., All., Beel.), absque eo quod sensus substantialiter differat.

8. QUI VOCATUR. Lectio καλουμενος, in codd. D***EKL, et verss. copt. et syr., præferenda videtur huic ὁ καλουμενος, quam habent AD, Vulg., armen. Igitur sensus est: quando vocatus fuit Abraham, fide obedivit: ita Beel., Drach. Attamen difficultas est in eo quod καλουμενος sit temporis præsentis. Qui lectionem Vulgatæ sequuntur (s. Thom., Estius, Bisp.) explicant: ille qui nominatur Abraham, nomine significantissimo, quo tamquam *pater multarum gentium* designatus fuit.

9. IN CASULIS: σκηναις, *tentoriis*, quæ mane volvuntur ut vespere alibi figantur, non in domibus fixis atque stabilibus.

10. FUNDAMENTA HABENTEM CIVITATEM: antithesis ad tentoria mobilia patriarcharum. Hæc est civitas, cujus laudem tam præclare canit Ecclesia in hymno *Cœlestis urbs;* civitas illa, cujus pars inferior in terris, superior in cœlis est, quamque descripsit s. Aug. *De civ. Dei.*

11 ditor Deus. * Fide et ipsa Sara
sterilis virtutem in conceptio-
nem seminis accepit, etiam
præter tempus ætatis : quoniam
fidelem credidit esse eum, qui
12 repromiserat. * Propter quod et
ab uno orti sunt (et hoc emortuo)
tamquam sidera cœli in multitu-
dinem et sicut arena, quæ est
ad oram maris, innumerabilis.
13 * Juxta fidem defuncti sunt
omnes isti, non acceptis re-
promissionibus, sed a longe
eas aspicientes, et salutantes,
et confitentes quia peregrini, et
hospites sunt super terram.
14 * Qui enim hæc dicunt, signifi-
15 cant se patriam inquirere. * Et
si quidem ipsius meminissent de
qua exierunt, habebant utique

imo vero et creator est Deus. [11] Per fidem ipsa etiam Sara, Abrahæ uxor, quæ [sterilis erat et] ætatem generationi aptam jam prætergressa erat, divinitus accepit vim generandi prolem : ipsa enim credidit Deum, qui illud promiserat, in promissis fidelem esse. [12] Adeo ut, quod adhuc majus est, ab uno Abrahamo, et quidem quum jam propter senectutem ad filios procreandos inhabilis esset, orta sit progenies tam numerosa quam stellæ cœli, seu potius tam innumerabilis quam arenulæ in littore maris.

[13] Fide repleti erant Patriarchæ illi omnes, qui mortui sunt antequam bona promissa accepissent ; nam nonnisi a longe ea aspexerunt et spe salutarunt ; quamobrem fatebantur se in terra quam habitabant peregrinos et advenas esse, adeoque possessionem ejus ipsis nondum concessam esse. [14] Qua in re fidem suam declarabant ; nam qui se peregrinos dicunt, significant se in terra aliena versari, et patriam adhuc quærere. [15] Hæc autem patria non intelligitur solummodo regio quædam terrestris ; etenim, si de patria de qua exierant loqui tantum voluissent, potuissent ad illam reverti, quum op-

11. Sterilis, omittitur in codd. AD***KL, sed legitur in D* et**, vulg., copt., syr. etc.

12. Tamquam sidera, respicit ad Gen. XXII, 17.

13. Repromissionibus, objective sumptis, *bonis promissis :* intelligitur proxime *possessio terræ Chanaan,* principaliter vero *regnum Messiæ,* tum in hac vita per fidem et gratiam, quum in altera vita per gloriam cœlestem : possessio autem Terræ Promissæ figura erat hujus regni spiritualis et excellentioris.

A longe eas... salutantes, cf. Joann. VIII, 56 *Abraham... vidit* (*diem meum*), ait Christus, *et gavisus est.* — Confitentes quia peregrini, ut constat ex Gen. XLVII, 9. Tria participia *aspicientes, salutantes* et *confitentes* græce sunt in aoristo : gall. *les ayant aperçues et saluées, et ayant avoué que* etc.

16 tempus revertendi : * nunc au-
tem meliorem appetunt, id est,
cœlestem. Ideo non confunditur
Deus vocari Deus eorum : para-
vit enim illis civitatem.

17 * Fide obtulit Abraham Isaac,
cum tentaretur, et unigenitum
offerebat, qui susceperat repro-
18 missiones : * ad quem dictum
est : Quia in Isaac vocabitur
19 tibi semen : * arbitrans quia et
a mortuis suscitare potens est
Deus : unde eum et in parabolam
accepit.

20 * Fide et de futuris benedixit

portunitatem utique haberent id faciendi ; [16] sed patria, quam desiderabant, melior quædam est, videlicet cœlestis. Ut autem Deus significet se eis paravisse meliorem illam patriam, post mortem obtinendam, non erubescit vocari in s. Literis *Deus Abraham, Isaac et Jacob ;* quæ denominatio supponit eos adhuc vivere apud Deum, utique in cœlis.

[17] Fide animatus idem Abraham, quando Deus fidem ejus experiri voluit, Isaacum Deo immolare statuit ; quamvis filius unigenitus esset, per quem implendæ erant divinæ promissiones quas susceperat. [18] Etenim explicite dixerat Deus sobolem innumerabilem ipsi adventuram esse per Isaacum. [19] Hunc autem obtulit, quia credidit a Deo posse etiam mortuos resuscitari, si necesse foret. Ideo etiam (quoniam tanta erat fides ejus) eum a morte, cui destinatus erat, quasi revocatum accepit, in figuram alterius filii ejus, Christi, qui, Deo immolatus, a mortuis resurrexit.

[20] Præterea idem Isaac, fide motus, filios suos Jacob et Esau certiores fecit de bonis a Deo promissis, quando solemnem tradidit eis benedictionem.

16. Nunc autem vim habent illativam. — Meliorem... cœlestem : s. Aug. (epist. 5 ad Marcellin., vel juxta alios ep. 138, 17) : “ Cujus civitatis rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas. ”

Vocari Deus eorum, v. gr. Exod. III, 6. 15, 16. Eamdem hanc denominationem adducit Christus (Matth. XXII, 32) ad immortalitatem animorum adversus Sadducæos probandam.

18. Vocabitur, hebraismus pro *erit.*

19. Unde, particula illativa; sign. : quia tanta cum fide eum Deo obtulerat. Accepit, eum Abrahamo reddidit Deus, hoc modo : quando Abraham in eo erat ut filium immolaret, Deus occisionem impedivit.

In parabolam : “ *in figuram* Christi futuri (s. Th.) ” ; adeo ut Isaac, morti ereptus, factus sit figura Christi, quondam ex semine seu progenie Abrahæ nascituri, qui etiam morti fuit ereptus per resurrectionem.

21 Isaac Jacob et Esau. * Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit : et adoravit fastigium virgæ ejus.
22 * Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit.
23 * Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidis-

[21] Fide ducebatur Jacob, cum, morti proximus, ambobus Josephi filiis benedixit; fide etiam animatus inclinavit se coram sceptro ejusdem Josephi, significans eum in Ægypto regnantem figuram esse Christi regis. [22] Joseph moriens, fide excitatus, prædixit fore ut Israelitæ quondam ex Ægypto proficiscerentur, et mandavit ut ossa sua in Palæstinam tunc transferrentur.

[23] Fide movebantur parentes Moysis, quando, videntes puerum esse formosum, crediderunt eum a Deo ad magnum quid destinatum esse, eumdemque per tres menses occultaverunt, quamquam per

21. Benedixit : Gen. XLVIII, 15 sqq. Et adoravit etc. : hoc a præcedentibus separandum est, ait Estius, quia antea contigit : cf. Gen. XLVII, 31.

Adoravit fastigium virgæ ejus : ex versione Septuaginta Interpretum, hoc sensu : Jacob adoravit sceptrum Josephi ; ipse enim spiritu prohetico cognovit, in Josepho Ægypti dominatore præfigurari regiam Christi potestatem ; ideo veneratus est sceptrum ejus, tamquam regni illius symbolum. Secundum hanc interpretationem Apostolus ad Josephum retulit pronomen. *ejus* (*virgæ ejus*), ut locum citatum materiæ suæ magis accommodaret Verum multi verba των 70 aliter intelligunt, cum *ejus* referant ad Jacobum : nimirum προσεκυνησεν επι το ακρον της ραβδου αυτου in libro Geneseos vertunt : *Adoravit* (Deum), *innixus fastigio baculi sui.* Textus autem hebræus, quem nos habemus (textus Massoreticus), legit *mittah, lectum*, cujus loco Alexandrini legerunt *matteh, virgam :* adeo ut sensus hebræi nostri sit ille quem Vulgata in Genesi tradit : *Adoravit Deum conversus ad lectuli caput.* Quod sic explicandum est : Jacobum præ senectute in lecto sedisse, et quum jusjurandum et promissionem a filio accepisset, cervicali incubuisse, vultu converso ad lecti caput, atque ita ex reverentia compositum (cum genua flectere vel in terram se prosternere non posset) gratias ea de re Deo egisse.

23. Eo quod vidissent etc. Eximia pueri pulchritudo causa fuit quare parentes crederent ipsum ad magnum quid divinitus esse destinatum.

sent elegantem infantem, et non
24 timuerunt regis edictum. * Fide
Moyses, grandis factus, negavit
se esse filium filiæ Pharaonis,
25 * magis eligens affligi cum
populo Dei, quam temporalis
peccati habere jucunditatem,
26 * majores divitias æstimans
thesauro Ægyptiorum, impropе-
rium Christi: aspiciebat enim
27 in remunerationem. * Fide
reliquit Ægyptum, non veritus
animositatem regis: invisibilem

edictum regium præceptum erat Hebræis ut pueros masculos omnes occiderent. [24] Fide impellebatur Moyses ille, quando vir factus noluit haberi et dici filius unius e filiabus Pharaonis. Etenim honorem illum respuit, [25] quia præferebat particeps fieri afflictionum, quas populus Israel patiebatur, quam, Deum per apostasiam negando, ad breve tempus frui commodis istius peccati; [26] et quia ignominiam populi Hebræi (quam cum sustinuit, figura Christi factus est) pretiosiorem atque meliorem Ægyptiacis thesauris æstimabat. Noverat enim, et fide firma exspectabat remunerationem, quam sibi et populo obtineret, sc. liberationem ex Ægypto et salutem quondam per Christum. [27] Fide erat animatus, quando, furorem Pharaonis minime veritus, Ægyptum cum universo populo reliquit: nam Deum invisibilem sibi

24. Esse: λεγεσθαι, *dici, nominari, haberi* tamquam filius filiæ (absq. art. *unius e filiabus*) Pharaonis; renuntiavit adoptioni quam ab una e filiabus Pharaonis acceperat.

25. Temporalis: græce *temporalem* (in accusativo), pendet enim a *jucunditatem*. Dicitur *temporalis* pro *brevi tempore perseverans*. Peccati, quod commisisset, si Deo, qui ad liberandum populum Israelis ipsum vocaverat, non obedivisset; sed in aula regia manens, et tamquam filium filiæ Pharaonis se gerens, ab Israelitis se abstraxisset, adeoque veri Dei cultui valedixisset.

26. Improperium Christi: significat miserrimum atque pauperrimum statum, in quo populus Dei versabatur in Ægypto; qui quidem status figura erat ignominiæ postmodum a Christo tolerandæ.

27. Reliquit Ægyptum, probabilius intelligi debet de altero Moysis exitu, quando populum eduxit (Estius, Bisp.), non vero (ut s. Chrys., Beel.) de ejusdem egressu, quum in terram Madian aufugit (Exod. II, 15); nam tunc *metuens* exiit, et non adeo in ipsum convenit quod *invisibilem tamquam videns sustinuit*. Nec sententiæ nostræ objici potest, Pascha, de

enim tamquam videns sustinuit.

28 * Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem: ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.

29 * Fide transierunt mare Rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati sunt.

30 * Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.

31 * Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

adjutorem tamquam oculis videns, nimirum per fidem certam, fortiter atque intrepide egit. [28] In fide celebravit Pascha, credens per sanguinem agni, postibus illitum, primogenitos Hebræorum a morte, quam angelus exterminator inferret, servandos esse.

[29] Per fidem ausi sunt Israelitæ mare Rubrum ingredi, illudque sicco pede tamquam terram aridam transierunt: quod quum Ægyptii tentassent, aquis submersi sunt.

[30] Per fidem iidem Israelitæ impetrarunt ut muri Jericho, quos per septem dies, Dei promissioni credentes, circuiverunt, corruerent.

[31] Propter fidem, Rahab meretrix, quæ exploratores Israelitas bene excepit, et credidit terram Chanaan secundum Dei promissa Hebræis subjiciendam fore, servata fuit a morte, quam cæteri Chananæi subierunt, quia credere noluerunt id quod Israelitis divinitus promissum fuerat.

quo mentio fit v. 28, ante alterum Moysis exitum celebratum fuisse; nihil enim evincit ordinem chronologicum tam stricte servari debuisse, ut auctor non potuerit in re hujusmodi ab eo recedere. Sic, supra v. 21, et infra v. 32, ordinem etiam invertit.

Sustinuit: εκαρτερησεν, *fortiter egit*; igitur ita vertimus græca: *invisibilem enim quasi videns, fortiter egit.*

28. Celebravit: πεποιηκεν *fecit*, melius quadrat cum *sanguinis effusionem.* — Qui vastabat primitiva, clarius: (*angelus*) *exterminator primogenitorum.* — Tangeret, *occideret.*

29. Devorati sunt: κατεποθησαν, *aquis submersi sunt.* Juvat obiter tradere ex s. Aug. (in Ps. 72, 5) typicam significationem transitus illius: " Moriuntur, ait, in mari Rubro omnes inimici populi illius; moriuntur " in Baptismo omnia peccata nostra... Post mare illud Rubrum non " continuo patria datur..., sed restat eremi solitudo, restant hostes in- " sidiantes in via: sic et post Baptismum restat vita christiana in " tentationibus. "

30. Circuitu: κυκλωθεντα, part. aor. quod refertur ad τειχη *muri;* sensus est: *ceciderunt muri, postquam eos per septem dies circumivissent Hebræi.*

32 * Et quid adhuc dicam? De-
ficiet enim me tempus enarran-
tem de Gedeon, Barac, Samson,
Jephte, David, Samuel, et Pro-
33 phetis : * qui per fidem vicerunt
regna, operati sunt justitiam,
adepti sunt repromissiones, ob-
34 turaverunt ora leonum, * extin-
xerunt impetum ignis, effuge-
runt aciem gladii, convaluerunt
de infirmitate, fortes facti sunt
in bello, castra verterunt exte-
35 rorum : * acceperunt mulieres
de resurrectione mortuos suos.

[32] Et quid plura? Numquam satis dicam ; nam deficiet me tempus si narrare velim fidei exempla in Gedeone, Barac, Samsone, Jephte, Davide, Samuele, cæterisque prophetis : [33] qui propter fidem potentiam, qua hostium regna subigerent, a Deo acceperunt ; fide animati sanctis operibus dediti fuerunt ; propter fidei merita promissiones insignes factæ sunt eis, atque varia perpetrarunt mirabilia : nimirum ora leonum obturaverunt, [34] vim ignis extinxerunt, mortem evaserunt quando jam gladii acies eis imminebat, a morbo gravissimo convaluerunt, in bello magnam ostenderunt fortitudinem, exercitus hostium in fugam verterunt, [35] filios a mortuis suscitarunt eosque parentibus vivos reddiderunt.

32. Ne lectorem fatiget, deinceps generali modo fidei exempla recenset. *Gedeon*, secundum ordinem chronologicum, sequi deberet *Baracum*, *Samson Jephteum*, et *David Samuelem*. Qua vero ratione viri illi eximiam ostenderint fidem, in sequentibus generatim dicitur. Auctor ponit eorum historiam satis notam esse.

33. Vicerunt regna, puta, Judices illi et David. — Operati sunt justitiam, forte recogitat ea quæ de Samuele dicuntur 1 Reg. XII, 3. — Adepti sunt repromissiones, i. e. *eis factæ sunt promissiones*, non *bona promissa obtinuerunt*, cf. v. 13, 39. — Obturaverunt ora leonum, ut Samson, David et Daniel.

34. Extinxerunt... : tres Israelitæ in camino ignis id fecerunt, seu potius id a Deo impetrarunt per fidem et pietatem suam : Dan. III. Effugerunt aciem gladii, v. gr. *David* (1 Reg. XVIII, 11 ; XIX, 10 ; XXI, 10 sqq.), pariter *Elias* (3 Reg. XIX), et *Elisæus* (4 Reg. VI, 14).

Convaluerunt de infirmitate : si per *infirmitatem* cum Estio intelligatur *morbus*, respicit Ezechiam (4 Reg. XX) ; si vero significetur *virium debilitas*, in memoriam revocat historiam Samsonis (Jud. XVI, 19 sqq.); alii hoc referunt, sicut et duo sequentia, ad historiam Machabæorum.

Fortes... in bello, Machabæi, David, Judices etc. — Castra verterunt exterorum, Gedeon (Jud. VII), Jonathas (1 Reg. XIV) etc.

35. Mulieres, ut vidua Sareptæ (3 Reg. XVII, 17, sqq.), Sunamitis (4 Reg. IV, 17 sqq).

Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectio-
36 nem. * Alii vero ludibria, et verbera experti, insuper et vin-
37 cula, et carceres : * lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in

Alii autem, fide roborati, multa passi sunt : nempe fuerunt qui in equuleo ad verbera distenti sint, et noluerint arripere occasionem ipsis oblatam sese a tormentis liberandi; sed fortiter sustinuerint supplicia, eo fine ut, pro lege Dei morientes, ad meliorem vitam resurgerent. [36] Fuerunt etiam qui ludibria et flagellationem, imo et vincula et carceres passi sint, [37] lapidati sint,

Alii : transit ad aliam seriem, eorum qui non mirabilia per fidem operati sunt, sed fide corroborati gravissima passi sunt tormenta. — Distenti sunt : ετυμπανισθησαν, quod proprie sign. *tympanum pulsare*, inde *aliquem in machina distentum cædere.* Lege 2 Mach. VI, 18-31, ubi de Eleazaro.

Non suscipientes etc. Eleazaro, sicut et septem illis fratribus, de quibus 2 Mach. VII, oblata fuit occasio se morti subtrahendi, per hoc quod esum carnium Lege vetitarum simularent ; verum id facere noluerunt, propter fidem et exspectationem vitæ futuræ.

Resurrectionem : hujus mentionem explicite fecerunt septem fratres Machabæi, ut legitur 2 Mach. VII, 9-14; Eleazarus etiam meminit *vitæ futuræ* (2 Mach. VI, 26), quæ resurrectionem corporis implicite involvit. Nota duplex exemplum, Eleazari et septem fratrum, permisceri.

36. Ludibria et verbera, puta, quæ septem illi fratres perpessi sunt, cf. 2 Mach. VII, 1, 7. Vincula et carceres, sc. Jeremias.

37. Lapidati sunt, nimirum idem Jeremias, ut fert traditio; et Zacharias, filius Joiadæ, 2 Paral. XXIV, 21, coll. Matth. XXIII, 35.

Secti sunt : επρισθησαν, *serrati sunt*, utique de Isaia intelligendum est, quippe qui, secundum antiquissimam traditionem, serratus fuerit. S. Hier. (in Psalm., l. 15 versus fin.) : " Quæ, ait, apud Judæos certissima traditio " est. Unde et nostrorum plurimi quod de passione sanctorum in ep. ad " Hebr. ponitur *serrati sunt*, ad Isaiæ referunt passionem. "

Tentati sunt, επειρασθησαν, non bene convenit contextæ orationi, quum in iis quæ præcedunt, et quæ sequuntur, variæ passionum et mortis species enumerentur. Atque ea vox omittitur in quibusdam codicibus et versionibus antiquis ; quamobrem censent nonnulli esse glossema inde exortum, quod olim quidam, non bene intelligentes vocem επρισθησαν, ad marginem posuerint επειρασθησαν, alii vero hanc notam marginalem in ipsum textum inseruerint. Potuit etiam fieri ut, loco επειρασθησαν *tentati sunt*, primitus scriptum fuisset επυρασθησαν, vel επυρωθησαν, vel επρησθησαν, *combusti sunt*, quod referendum esset ad septem fratres Machabæos, vel ad id quod narratur 2 Mach. VI, 11.

occisione gladii mortui sunt.
Circuierunt in melotis, in pelli-
bus caprinis, egentes, angustiati,
38 afflicti : * quibus dignus non
erat mundus : in solitudinibus
errantes, in montibus, et spe-
luncis, et in cavernis terræ.
39 * Et hi omnes testimonio fidei
probati, non acceperunt repro-
40 missionem, * Deo pro nobis me-
lius aliquid providente, ut non
sine nobis consummarentur.

serrati sint [tentati sint, *seu potius* combusti sint], gladio occisi sint.

Alii sponte sibi imposuerunt afflictiones, v. gr. circumierunt pellibus ovinis et caprinis induti, pauperes, angustiis oppressi, afflicti : [38] tales quippe viri quibus dignus non erat mundus; quique ideo in desertis erraverunt, in montibus, et speluncis, et foraminibus latuerunt.

[39] Illi tamen omnes, quibus, propter fidem, in s. Scriptura eximium redditur testimonium, non acceperunt promissionem, sc. cœlestem corporis et animæ glorificationem. [40] Atque ita Deus nobis meliorem conditionem concessit, quum sancti veteris Testamenti ad perfectam et completam illam salutem non perventuri sint, nisi in fine seculorum, ergo simul ac nos, qui tamen diu post ipsos nati sumus.

In occisione gladii, ut testatur 3 Reg. XIX, 10, et Jerem. XXVI, 23. Circuierunt etc. : alia series, eorum nempe qui ex fide et pietate corporis mortificationem sponte susceperunt. In melotis, *μηλωταις ovinis* (a *μηλον, ovis*), supple *εσθησι vestibus*, i. e. *in vestibus ex pelle ovina confectis.* His utebantur pauperes et prophetæ, cf. Zach. XIII, 4; Is. XX, 2 : ob hujusmodi cilicium Elias 4 Reg. I, 8 *vir pilosus* dicitur. Joannes Bapt. similiter vestitus erat cilicio e pilis camelorum confecto, et zona pellicea cinctus.

38. Quibus dignus non erat mundus. E mundo fugere cogebantur, quasi indigni essent qui inter homines habitarent; verum Apostolus id retorquet in contrarium, dicens : mundum non fuisse dignum qui eos haberet. — In speluncis, cf. 3 Reg. XVIII, 4, XIX, 9 etc.

39. Repromissionem, promissionem per excellentiam, adventum Messiæ, cunctaque bona spiritualia, quæ per Messiam conceduntur, et quorum ultima consummatio erit tum animæ, tum corporis glorificatio in cœlesti beatitudine : cf. vers. seq.

40. Pro nobis melius etc., nam fecit ut nasceremur eo tempore quo jam advenit Messias, et quo appropinquavit hominis glorificatio.

Ut non sine nobis consummarentur. Quidam sic intelligunt : si olim venisset Christus, veteres illi sancti salutem animæ consecuti fuissent ante nos, adeoque sine nobis; igitur feliciores nobis fuissent : nunc autem ad æternam beatitudinem non pervenerunt, nisi postquam Christus per gloriosam suam Ascensionem cœlum ipsis et nobis aperuerat : ergo nobis, qui diu post ipsos nati sumus, melius providit Deus. Secundum hanc explicatio-

Analysis cap. XI.

In cap. X, ut supra diximus, auctor Hebræos ab apostasia avertit, atque in fide confirmavit, eis exponendo, ab una parte, gravitatem peccati istius, terribilesque ejus effectus et pœnas (v. 26-31) ; ab altera parte, eis in memoriam revocando tum pristinam eorum constantiam in fide profitenda, tum insignem remunerationem ipsis in cœlis reservatam. Nunc autem, in cap. XI, tertium jam adhibet adhortationis argumentum, eis ob oculos ponendo multa atque præclarissima fidei exempla, quæ in vetere Testamento narrantur.

Antequam autem exemplorum seriem inchoet, profundissimam fidei definitionem tradit (v. 1), ut melius discerni possit quid in exemplis afferendis ad fidem pertineat.

Quum in expositione exemplorum ordinem chronologicum satis fideliter sequatur, ad primos homines mente ascendit ; et statim incidit ei cogitatio, vel ipsam rerum omnium originem mundique creationem absque fide intelligi non posse. Hoc autem obiter notato ad fidei necessitatem inculcandam (v. 3), incipit ab Abele, et universam historiam sacram usque ad Machabæorum tempora, ex ordine percurrit, eo fine ut ubique colligat quotquot reperiantur facta virorum in Scriptura sacra commendatorum, in quibus fides, sub qua comprehenditur pietas ac spes in Deum, peculiariter resplenduerit.

Jam vero, exempla illa, si logice considerentur, ad tres classes reduci possunt : 1° *quid fecerint* aliqui viri fide animati, seu ex fidei impulsu ; 2° *quid* a Deo *obtinuerint* alii per meritum fidei suæ ; 3° *quid* tandem nonnulli *passi sint* propter fidem et pietatem suam.

nem, quam tradit Beelen, agitur de *consummatione* seu salute *animæ*, quæ statim post mortem justis competit. Verum, cum s. Chrys. hic, et s. Aug. (ep. 99 ad Evod.), Estio et Bisp., præfero verba interpretari de perfecta hominis quod *corpus* et animam *consummatione* in fine seculorum; hoc sensu : nos, qui tamdiu post illos in mundum venimus, gloriosam nostram *consummationem* eodem tempore ac illi, nempe in ultimo die, consequemur; atque eatenus Deus pro nobis aliquid melius quam pro illis providit.

Exemplorum seriem, ab Apostolo contextam, breviter nunc enumeramus. Adducit exempla Abelis v. 4, Henochi v. 5, 6, Noæ v. 7, Abrahæ, satis fuse v. 8-19, Isaaci v. 20, Jacobi v. 21, Josephi v. 22, Moysis, longe lateque v. 23-28; deinde, commemorato transitu maris Rubri, v. 29, et casu murorum Jericho v. 30, et laudata fide Rahabæ v. 31, multos viros simpliciter nominat v. 32, eorumque præclara opera, atque aliorum exempla in malis pro Deo sustinendis, generali modo describit, v. 33-38.

Argumentum adhortationis, quod ex tot exemplis desumit, absolvit hac observatione: tantam a viris istis fidem exhibitam fuisse, quamvis ipsi remotissimi essent a remuneratione quæ nobis christianis simul cum ipsis conferetur: unde concludendum sit, majorem a nobis servandam esse in fide constantiam, v. 39, 40.

§ 3. *Imitantes sanctorum et Christi exempla, in fide permaneant Hebræi mediis in tribulationibus, ne dire puniantur.*

CAPUT XII.

1 * Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem te-

[1] Quum igitur tantam habeamus multitudinem virorum, qui fidei eximiæ nobis exemplum præbuerunt, et instar

1. Ideo. Nexus cum iis quæ statim præcedunt hic est: quia sancti illi viri, quorum fides nobis in exemplum proponitur, *non sine nobis consummabuntur* (cap. XI, 40); quia isti, dum exspectant futuram consummationem, nos magno numero circumdant, quasi testes et applausores certaminis nostri: *ideo curramus* etc. Nexus autem generalis, quo secundum Apostoli ratiocinationem caput XII cum XI conjungitur, sequens est: quum tot et tanti viri nos exemplo fortissimæ fidei præcedant, atque adstent nobis ut nos animent: ideo etc.

Et nos: istud *et* sign. *nos sicut illi*, ad illorum exemplum. — Impositam, *περικείμενον*, *circumjacentem*, *circumstantem*. Nubem: multitudinem magnam, in qua homines sunt arcte conglobati, sicuti pluviæ guttulæ in nube.

Testium. In hoc vers. pulcherrima habetur allegoria e ludis publicis desumpta: multi testes undique circumdant luctantes, eosque voce, gestu etc.

stium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen :
2 * aspicientes in Auctorem fidei,

nubis conglobati nos circumdant : omne pondus, quo in cursu nostro sancto impediremur, deponamus, i. e. abjiciamus peccatum, quo tamquam vestimento nimis arcto constringimur ; et cum constantia seu perseverantia curramus in fidei stadio, more athletarum, ad perficiendum certamen nobis a Deo injunctum.
2 In cursu illo oculos in Jesum semper intendamus, qui in fidei stadio præcursor

animant ; imo vero, sunt qui palmas ostendant quas ipsi in simili certamine per fidem suam obtinuerint. — Vis exemplorum quanta sit nemo ignorat. S. Greg. (Præf. Mor. 10) : " Quot Deus justos exhibuit, tot quasi astra super peccantium tenebras in cœlum misit. " Et ib. " Ecce quam fulgentes in cœlo stellas cernimus, ut inoffenso pede operis, iter nostræ noctis ambulemus."

OMNE PONDUS : omne quod inutiliter onerat, deponunt luctaturi, ut in pugna et in cursu leviores atque expeditiores sint; ET CIRCUMSTANS NOS PECCATUM : deponunt etiam quidquid membrorum motum impediret, v. gr. vestem rotundam, quæ corpus ab omni parte involvit (ευπεριστατος, Vulg. *circumstans*, proprie : *quod bene, valde, plane nos circumdat, cingit* etc.). Pondus autem illud quod aggravat, atque vestimentum quod cursum impedit, est *peccatum*, vel concupiscentia prava, quæ in baptizatis remanet ad luctam, quæque animum ad terram deprimit, sensaque pietatis enervat etc. cf. Rom. VI, 12. Ista autem concupiscentia dicitur *deponenda*, hoc sensu quod sedulo reprimenda sit ne regnet in nobis, seu quod obedientia sit ei neganda.

PER PATIENTIAM : δι' ὑπομονης, *constanter, cum constantia* seu *perseverantia*; cf. *Beelen, Gramm. græc. n. T.* § 55, 1. — CURRAMUS AD etc. ; græce ad literam : *curramus certamen coram nobis positum* (*currere certamen*, τρεχειν αγωνα, instar dictionis τρεχειν δρομον, *cursum perficere*). Sensus est : curramus in stadio, et ita perficiamus certamen nobis a Deo impositum. Imaginem e ludis publicis frequenter adhibet Paulus : cf. 1 Cor. IX, 24; Phil. III, 14 ; 1 Tim. VI, 12 etc.

Quod dicitur in hoc versu nobismet ipsi accommodare debemus, eo vel magis quod numerus testium, qui exemplo præierunt, per 18 secula incredibiliter accreverit. Igitur, quisque sibi repetat sæpe hæc pulcherrima s. Aug. (Conf. 8, 11, 27) verba : " Tu non poteris quod isti et istæ ? An " vero isti et istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo ? "

2. AUCTOREM : αρχηγον, potius *qui præit, qui ante nos viam facit, præcursorem :* Christus autem præivit exemplo fidei præclarissimo. *Fides*

et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.
3 * Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini,
4 animis vestris deficientes. * Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum

noster fuit et consummator, i. e. coram nobis cucurrit, et ante nos ad terminum pervenit, ut nos eodem traheret. Ipse enim, loco gaudii quo frui potuisset in terris, mortem crucis ignominiosissimam pertulit, per quam meruit ad dextram Dei in summo gloriæ gradu consedere. [3] Adhortor vos ut illud insignis constantiæ exemplar mente recogitetis: tanta enim a peccatoribus pati voluit tormenta, eo fine ut vos eum imitemini, utque in cursu vestro non fatigemini, neque animum despondeatis propter vexationes vobis illatas. [4] Istæ enim, quantæcumque sint, cum passione Christi comparari nequeunt; nondum enim eousque restitistis adversario vestro peccato, ut

non stricte sumitur; nam Christus, utpote Deus, erat comprehensor, et vi naturæ divinæ intuitiva visione fruebatur: igitur *fides* ponitur pro *pietas in Deum, fiducia* etc. CONSUMMATOREM JESUM. Fidei *consummator* vocatur, quatenus per fidem seu pietatem ante nos pervenit ad cœlestem humanitatis suæ glorificationem, et per gratiam suam nobis adest ut eamdem gloriam consequamur, imo vero eam tamquam judex futurus nobis post victoriam largietur.

PROPOSITO SIBI GAUDIO... Sensus est: Christus crucem sustinuit, ut sibi, i. e. humanæ suæ naturæ, gaudium gloriæ cœlestis promereretur. Verum in textu originali certo legitur: *qui, loco gaudii sibi adjacentis, sustinuit crucem,* i. e. cum potuisset in vita terrestri gaudio et felicitate perfrui, crucis supplicium subire maluit. Unde probabilis conjectura est, auctorem Vulgatæ vertisse: *qui, pro proposito sibi gaudio* etc., et præpositionem *pro* a librariis omissam fuisse, ex oculorum errantia propter sequens *proposito.*

S. Thom. ex hoc versu colligit tria præsertim in passione Christi consideranda esse: 1° quid Christus contempserit, 2° quid sustinuerit, 3° quid promeruerit.

4. PECCATUM tamquam persona sistitur: cum s. Aug. (serm. 318,2) intelligimus imprimis peccatum antonomastice dictum, peccatum κατ' ἐξοχήν, peccatum maximum, nempe negationem Christi per apostasiam. *Repugnarunt et restiterunt peccato,* quando ad vitandam apostasiam, et proinde propter fidelitatem in fide christiana servandam, persecutiones varias sustinuerunt: sed nondum eousque certarunt, ut sicut Christus sanguinem suum effuderint, i. e. mortem subierint.

5 repugnantes : * et obliti estis
consolationis, quæ vobis tam-
quam filiis loquitur, dicens :
Fili mi, noli negligere discipli-
nam Domini : neque fatigeris
6 dum ab eo argueris. * Quem
enim diligit Dominus, castigat :
flagellat autem omnem filium,
quem recipit.
7 * In disciplina perseverate.
Tamquam filiis vobis offert se
Deus : quis enim filius, quem
8 non corripit pater ? * Quod si
extra disciplinam estis, cujus
participes facti sunt omnes :
ergo adulteri, et non filii estis.

sanguinem, sicut Christus effuderitis. [5] Annon meministis verborum, quibus Deus in s. Scriptura amanter vos adhortatur, tamquam filios suos vos alloquens ? *Fili mi*, ait, *noli contemnere castigationes quas ad erudiendum te immitto, neque tædio aut tristitia afficiaris, quando pœnas et correctiones tibi infligo.* [6] *Nam quem peculiari modo tamquam filium diligo, eum castigo atque flagello.*

[7] Quamobrem, ærumnas patimini ut erudiamini in disciplina : nam quando eas immittit Deus, se gerit sicut pater erga filios : non enim est filius qui numquam a patre fuerit castigatus ; [8] adeo ut, si vos nullam correctionem, emendationis atque educationis gratia, sustulissetis, signum esset vos non esse veros filios, sed filios spurios quos pater negligit.

5. Postquam v. 2-4 Christi exemplum proposuit, nunc finem tradit in quem Deus permittit ut tribulationes immittantur, et salutares indicat effectus qui secundum benignissimam Dei mentem ex iis profluere debent : v. 5-11.

Et obliti estis etc. tamquam interrogationem legimus : *an obliti estis ?* — Consolationis : παρακλησεως, hic *adhortationis ;* nam significatio *consolationis* non convenit verbis allegatis. — Quæ vobis loquitur, pro *quam* (*adhortationem*) *ad vos dirigit Deus, quando vobis tamquam filiis loquitur.*

Fili mi etc. Verba sunt Sapientis ad lectorem (Prov. III, 11), quæ hic in ore Dei ponuntur, ut liquet ex v. 7. Sensus est : patienter, imo libenter suscipe et tolera afflictiones quas tibi immittit Deus, quoniam ad bonum tuum, adeoque ex amore erga te, eas infert.

6. Flagellat. Auctor pro more sequitur 70 Interpretes : in hebræo legitur *sicut pater* loco *flagellat*, et non habetur *autem.*

7. In disciplina etc. Melior lectio est : εις παιδειαν ὑπομενετε, *patimini* ærumnas et vexationes, non ad pœnam, ad timorem etc., sed *ad disciplinam*, ut *erudiamini*, ut meliores efficiamini ; adeo ut Deus vos castiget ad rectam vestram educationem, quemadmodum pater agit erga filium dilectum.

8. Adulteri, filii spurii, quos pater non agnoscit ut suos, quos proinde non curat, non educat, non erudit, non castigat etc.

9 * Deinde patres quidem carnis
nostræ eruditores habuimus, et
reverebamur eos : non multo
magis obtemperabimus Patri
10 spirituum, et vivemus ? * Et illi
quidem in tempore paucorum
dierum, secundum voluntatem
suam erudiebant nos : hic autem
ad id quod utile est in reci-
piendo sanctificationem ejus.
11 * Omnis autem disciplina in
præsenti quidem videtur non
esse gaudii, sed mœroris : postea
autem fructum pacatissimum

[9] Præterea, quando in pueritia castigabamur a patribus nostris carnalibus, eos reverebamur et nos emendabamus : nonne multo magis castigationes suscipiemus a Deo, patre nostro spirituali, eique obtemperabimus, quum per obedientiam nostram vitam animæ veram obtineamus ? [10] Multo libentius oportet pati castigationes Dei : nam patres nostri terreni erudiebant nos solummodo ad ea quæ vitæ temporali, adeo brevi, utilia sunt, et hac in re agebant secundum abitrium suum, quod in errorem labi poterat ; Deus autem erudit nos ad id quod certo utile est, nimirum ad participandam sanctitatem ejus. [11] Verum quidem est, omnem castigationem, eo momento quo subeunda sit, non videri materiam gaudii sed mœroris ; postea autem, propter fructum emendationis quam producit, amœna fit ; sic, qui per afflictionem divinitus immissam exercita-

9. Deinde, novam inducit considerationem : Deus nos castigat ex amore, quemadmodum pater facit, imo vero potiore jure et melius quam pater.

Patri spirituum. Deus est pater noster spiritualis, quatenus est auctor noster primarius i. e. creator ; deinde quatenus veram nobis vitam tribuit, vitam spiritualem, vitam gratiæ in terris et gloriæ post mortem : atque hoc significat scriptor quum statim addat *et vivemus.* Ergo Deus potiore jure nos castigat quam pater carnalis seu terrestris, humanus, naturalis. — Obiter notamus hæc verba creatianismo favere quidem, sed eum non certo demonstrare, quia proprie dicitur Deus auctor vitæ *supernaturalis.* Vide quæ supra, cap. VII, 10, de errore traducianismi diximus.

10. In tempore paucorum dierum : nonnisi per breve tempus, sc. puerilis ætatis. Verum προς ολιγας ἡμερας potest etiam sic reddi : *ad paucos dies* erudiebant nos, quia eorum educatio spectabat solummodo ad tempus breve vitæ nostræ mortalis.

Secundum voluntatem suam : κατα το δοκουν αυτοις, *secundum arbitrium suum* (flandr. *volgens hun goeddunken*), ideoque forsitan non bene erudiebant nos, vel non ad bonum nostrum. Et hæc est altera ratio quare Deus *melius* quam pater nos castiget.

Sanctificationem. Ergo erudit nos Deus 1° ad id quod *certo utile* nobis est, et 2° *in æternum* extendit se effectus eruditionis divinæ : nam sanctificatio inchoatur in terra, in cœlo autem perficitur.

exercitatis per eam reddet justitiæ.

12 * Propter quod remissas ma-
13 nus, et soluta genua erigite, * et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

14 * Pacem sequimini cum om-

tati fuerunt, felicissimum justitiæ ac sanctitatis fructum ex ea percipiunt, deque ea lætantur.

[12] Quum igitur tam utiles sint vexationes, macti animo estote ; vos iterum accingite ad luctam; adeoque manus fatigatas, atque genua vel crura debilitata novo vigore confirmate; [13] recta via ad scopum tendite, et semitam salutis aliis rectam facilemque reddite ; eo fine ut ii, qui vacillant vel cæcutiunt, pedem non impingant impedimento neque in via salutis errent ; sed potius vestro exemplo roborentur et dirigantur.

[14] Concordiam servate erga omnes,

12. Ex effectu tribulationum salutari concludit, eas fortiter esse tolerandas : hanc autem conclusionem per modum adhortationis proponit. Manus etc. Iterum se refert ad ludos publicos ; forsitan etiam in mente habet Is. XXXV, 3. Soluta, παραλελυμένα, *dissoluta*, *debilitata*, solutis nervis præ lassitudine etc., ut fit in iis qui cursum longum atque arduum effecerunt, vel diu ac nervose certarunt. Tropice intelligitur infirmitas in fide, ex qua periculum oritur ne Hebræi a fide decidant, quum propter multas ærumnas pro fide toleratas, sint animo fatigati atque debilitati.

13. Gressus : τροχιας, potius *orbitas* (gall. *ornières*), inde *semitas*, *vias*. Igitur *rectas semitas facite pedibus vestris*, i. e. *recta via incedite*, ne deflectatis a recto tramite ; seu, tropo remoto, ne deficiatis a lege Christi.

Ut etc., ut bono vestro exemplo confirmentur ii christiani qui in fide jam debiles facti sunt; vel, metaphorice : rectam viam vobis facite, ut et vos in ea incedatis, et in eadem ambulent sine metu labendi (*non claudicans*) vel aberrandi (metaphora etiam est in voce *erret*) alii qui jam vacillant vel cæcutiunt.

Claudicans adjungitur verbo *erret*, ergo duplex miscetur metaphora : altera de iis qui pede claudicant, et in periculo sunt labendi, quibus igitur viam *planam*, facilem et apertam reddere oportet ; altera vero de iis qui sunt in periculo errandi, v. gr. cæcutientes, quibus oportet viam ostendere, præeundo etc., atque viam reddere *rectam*, non tortuosam.

14. Jam ad finem epistolæ manifesto properat auctor : ideo admonitiones particulares tradere incipit, quod adhuc magis facit in cap. XIII. Pacem : cf. Rom. XII, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.*

nibus, et sanctimoniam, sine
15 qua nemo videbit Deum : * con-
templantes ne quis desit gratiæ
Dei : ne qua radix amaritudinis
sursum germinans impediat, et
per illam inquinentur multi.
16 * Ne quis fornicator, aut profa-
nus ut Esau : qui propter unam
escam vendidit primitiva sua :
17 * scitote enim quoniam et postea
cupiens hereditare benedictio-
nem, reprobatus est : non enim

et in universa agendi ratione sancti estote : secus enim ad visionem Dei beatificam pervenire non possetis. [15] Cavete ne quis vestrum gratiam, quam a Deo accepit, negligat aut respuat; proindeque ne quis pseudomagister aut morum corruptor de medio vestrum exsurgat, tamquam frutex venenosus, atque turbas excitet, multosque in fide aut moribus pervertat. [16] Cavete etiam ne quis peccatum impuritatis committat, aut sacrorum sit contemptor. Si enim quis sacram contemneret religionem nostram, jus primogenituræ suæ spiritualis perderet; quemadmodum Esau propter unam escam primogenituram suam vendidit. [17] Postea enim solemnem patris benedictionem, quam adeo cupiebat, et ad quam jus habebat tamquam primogenitus, non obtinuit; et, quamquam

15. Radix etc. Videtur respicere ad Deut. XXIX, 18, secundum 70 Interpr. in cod. Alexandrino : codex autem Vaticanus habet εν χολῃ *in felle*. Impediat : ενοχλῃ, *turbas excitet*, adeoque pacem (de qua v. 14) impediat. Inquinentur, unde aufertur *sanctimonia*, de qua v. 14.

16. Ut Esau, refertur solummodo ad *profanus*, non ad *fornicator*. Esau autem *profanum* βεβηλον (*sacrorum contemptorem*) se exhibuit, quando pro re vilissima (pro *una esca*) rem sacram, jus primogenituræ, cui benedictio religiosa et solemnissima erat annexa, stolide et impie vendidit: benedictio autem illa respiciebat imprimis Messiam e posteris illius qui benedicebatur nascendum. Igitur, Esau non solum *gula*, sed *simonia* quadam peccavit; imo vero, *impietatis in Deum* culpam admisit, quum promissiones divinas de Messia venturo contempserit; unde probabile sit ipsum etiam defecisse in fide, quam Deo promittenti præstare tenebatur. Christiani vero *profanos* se ostendunt, quando pro rebus temporalibus, puta ex metu vexationis etc., abjiciunt jus primogenituræ spiritualis, quod habent tamquam filii Dei et heredes per Christum (cf. v. 22); aliis verbis, quando per apostasiam, aut alia peccata gravia, fidem christianam repudiant.

17. Eam, sc. *benedictionem*, adeo ut verba *non enim invenit pœnitentiæ*

invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.

18 * Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et

cum lacrymis eam implorasset, non potuit consequi ut pater mutato animo eamdem a Jacobo auferret.

[18] Vos admoneo ut gratiam fidei non respuatis, neque jus primogenituræ spiritualis abjiciatis per apostasiam; nam eo gravius esset peccatum, quo excellentius sit fœdus novum quod accepistis. Hujus autem præstantia elucet vel in modo quo vobis data est, quique longe fuit diversus a modo quo lex vetus promulgata est. Hæc enim lata est in monte quodam terreno, coruscantibus ignibus et fulguribus, quando circumfusa erat nubes

locum tamquam parenthesim habeamus, et *pœnitentiæ*, μετανοιας, *animi mutationis*, ad Isaac non autem ad Esau referamus. Ex hac interpretatione, quam tradunt Estius, Bisp., Beel., Drach etc., via præcluditur falsæ doctrinæ quam Novatiani ex hoc loco (quemadmodum ex VI, 4-6 et ex X, 26) haurire volebant, sc. quædam esse peccata quorum pœnitentiam dignam nemo facere possit, quæque proinde remitti nequeant. Sanctus autem Chrys. et s. Thom. *pœnitentiæ* referunt ad Esau, hoc sensu: Esau pœnitentiam veram non invenit, quia dolebat de solo damno, non de ipso actu malo; ideoque humana tantum et naturalis erat ejus contritio.

18. Rursum hic, v. 18-29, ut supra X, 26-31, magnam apostasiæ malitiam terribilesque ejus pœnas exponit, ac tali modo confirmat quod dixit v. 15 *ne quis desit gratiæ Dei.* Ut autem enormem apostasiæ malitiam demonstret, præstantiam fœderis novi veteri legi comparati graphice iterum describit, v. 18-24. Primum declarat quænam sit indoles præcipua et quasi essentialis veteris Testamenti, v. 18-21, nempe talis est ut *timorem* præsertim incutiat: nova autem lex *amoris* et *gratiæ* est, v. 22-24.

Tractabilem vocat montem Sinai, i. e. *terrestrem, visibilem* (cf. v. 21), ut significet legem veterem fuisse terrenam, temporariam, imperfectam, talem quæ nonnisi externam, corporalem, legalem sanctificationem efficere potuerit: dum contra lex nova sit spiritualis, cœlestis, perfecta, æterna, talis quæ veram det animæ vitam atque sanctitatem (cf. v. 22-24).

Accensibilem, κεκαυμενῳ, cum Vulgata referimus ad *ignem* πυρι, hoc sensu: *ignem accensum*, nimirum, ut legitur in Exodo XIX, per fulgura. Aliqui interpretes participium illud jungunt cum ορει, *montem*.

Et turbinem: γνοφῳ, melius *nubem densissimam;* vox enim *turbo* fere synonyma est cum *procella*.

19 caliginem, et procellam, * et
tubæ sonum, et vocem verborum,
quam qui audierunt, excusave-
runt se, ne eis fieret verbum.
20 * Non enim portabant quod
dicebatur: Et si bestia tetigerit
21 montem, lapidabitur. * Et ita
terribile erat quod videbatur.
Moyses dixit: Exterritus sum,
22 et tremebundus.*Sed accessistis
ad Sion montem, et civitatem
Dei viventis, Jerusalem cœle-

densissima, quando tenebræ et procella erant exortæ, [19] sub tubarum sonitu, audita voce Jehovæ, quæ Israelitas tam vehementer perterrebat, ut rogarent ne ipse Jehovah eis loqueretur ([20] eorum metum præsertim excitabat, tum quod nemini, ne bestiæ quidem, sub pœna lapidationis montem tangere liceret, [21] tum quod adeo terribilis esset apparitio Dei, ut ipse Moyses fateretur se exterritum et tremebundum fuisse). [22] Verum alio plane modo data est lex nova: hanc enim ut vos acciperetis, accessistis ad montem Sion, non materialem, sed spiritualem (i. e. regnum Christi et Ecclesiam ingressi estis), et ad civitatem Dei viventis, nimirum Hierosolymam, non terrenam hanc quam videmus, sed spiritualem

19. Excusaverunt se etc.: respicit ad Exod. XX, 18 sqq., ubi populus Israeliticus, timore mortis perculsus, petit ne ipsemet Deus sibi loquatur.

20. Hic et sequens versiculus parenthesim constituunt, in qua duæ rationes, ob quas populus vocem Dei audire timebat, obiter adducuntur: terrorem ei injecerat 1° prohibitio severissima tangendi montem, 2° horrenda visio in monte exhibita, quæ vel ipsum Moysen metu afficiebat.

Non portabant, *portare non poterant*, seu *vix portare poterant*, seu *absque vehementissimo terrore non portabant.*

Et si bestia..., a fortiori si homo tetigerit.

21. Dixit etc. Nusquam in s. Scriptura leguntur hæc Moysis verba; igitur vel auctor id conclusit ex Deut. IX, 19 per ratiocinationem a pari, vel ex traditione Rabbinica hausit.

22. Sequitur jam, v. 22-24, antithesis eorum quæ leguntur v. 18-21. Mons *Sion* et urbs *Jerusalem* ponuntur in sensu typico, pro regno Christi seu Ecclesia. Ideo additur epitheton *cœlestis,* quia non terrena est civitas, sicut Judaismi caput et centrum, sed spiritualis et æterna, quæ ad cœlum ducit, seu cœlum tamquam partem suam intimiorem complectitur. Ad Ecclesiam enim pertinent tum justi in terris, quum beati in cœlis. Probe animadvertendum est, *Jerusalem cœlestem* hic non significare solum cœlum. Cf. Gal. IV, 25-28.

Promulgatio veteris legis in monte Sinai figuram quamdam refert promulgationis legis novæ in monte Sion, die Pentecostes.

stem, et multorum millium
23 Angelorum frequentiam, * et
Ecclesiam primitivorum, qui
conscripti sunt in cælis, et judi-
cem omnium Deum, et spiritus
24 justorum perfectorum, *et testa-
menti novi mediatorem Jesum,
et sanguinis aspersionem melius
loquentem quam Abel.
25 * Videte ne recusetis loquen-

et cœlestem, in qua est multitudo ex myriadibus angelorum [23] et cœtu justorum congregata (illos intelligo justos, qui jura primogenituræ spiritualis habent, adeoque quibus cœlestis hereditas reservatur, seu quorum nomina scripta sunt in libro salvandorum); ubi Deus sedet in solio, tamquam omnium judex; ubi sunt animæ justorum qui beatitudine jam gaudent; [24] ac tandem ubi adest Jesus novi hujusce fœderis mediator. Ipse autem dedicavit illud per sanguinem suum; qui quidem sanguis, quum Dei placationem in homines peccatores appellet, melius quam sanguis Abelis ad cœlum clamat.

[25] Quum tanta sit novi fœderis præstantia, cavete ne Jesum pro vobis

Et multorum etc. Græce: *et ad myriades* (illius urbis incolas); puta, *ad angelorum multitudinem, et cœtum primitivorum.*

23. Primitivi, i. e. *primogeniti*, seu illi qui jus primogenituræ spiritualis obtinuerunt (cf. Rom. VIII, 29): intelligimus, non (ut A Lap. et Beelen) *beatos in cœlis*, sed (ut Estius, Allioli, Bisp., Reischl) *justos in terris*, qui *primogeniti filii Dei* vocantur per comparationem ad alios homines; quæ sententia probatur ex coll. v. 16, et Jac. I, 18.

Conscripti sunt in cœlis: qui enim in statu gratiæ versantur, jus habent ad gloriam cœlestem. — Et judicem etc. Postquam urbis illius spiritualis incolas notos fecit, jam principem ejus seu regem nominat, sc. Deum, quem tamquam judicem omnium, in solio sedentem, exhibet, ut lectores indirecte moneat ne quidpiam faciant quo eum offendant. — Et spiritus etc., eos tandem indicat qui cœlum jam ingressi sunt: illos vocat *spiritus*, quia corpus nonnisi post mundi interitum glorificabitur.

24. *Sanguis Abelis* ultionem expetebat, adeoque *terrorem* incutiebat; *sanguis* autem *Christi* veniam postulat, unde et *fiduciam* et *amorem* inspirat.

25. Ex antithesi, quam inter veterem et novam legem instituit, conclusionem parænecticam nunc deducit. Loquentem (sc. Christum) per sanguinem suum, ut colligitur ex præcedentibus. Quæ autem sequuntur, manifesto supponunt eum qui loquitur, nempe Christum, esse Deum verum.

Ne recusetis: certe recogitat veteres Israelitas, qui vocem Dei audire noluerunt, nec tum quum in Sinai loqueretur (v. 19), nec præsertim quum

tem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de cœlis loquentem
26 nobis avertimus. * Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc semel: et ego movebo non solum
27 terram, sed et cœlum. * Quod

loquentem contemnatis, ejusque voci non pareatis: dire enim in vos animadverteret. Nam, si olim Israelitæ pœnas non effugerunt, propterea quod voci Dei super terram loquentis obedire recusabant: quanto minus effugiemus nos, si vocem contemnamus illius qui de cœlis nobis loquitur. [26] Vox ejus tunc, quando legem veterem dedit, terram movit atque tremere fecit; nunc autem, in legis novæ promulgatione, movit non solum terram sed et cœlum, i. e. creaturas universas, adeo ut hæc commotio omnium maxima et ultima futura sit; nunc enim impleta est promissio Aggæi prophetæ: *Adhuc semel*, ait Deus, *fœdus cum hominibus concludam, et tunc movebo non solum terram, sicut in monte Sinai, sed etiam*

per Moysen præcepta traderet. Dogma catholicum de libero hominis arbitrio sub motu gratiæ ex verbis *ne recusetis* omnino confirmatur.

Eum qui super terram loquebatur, sc. Deum, in monte Sinai (Beelen), ut patet ex antithesi *de cœlis loquentem*, et ex verbo χρηματιζοντα, quod proprie dicitur de Deo oracula edente. Nolim igitur intelligere *Moysen* (s. Chrys.), vel *angelum* in theophaniis apparentem (Estius).

26. Alteram dat rationem ob quam legi Christi fideles manere debeant: sc, legem veterem temporariam fuisse, novam autem numquam perituram.

Repromittit: potius, juxta græcum, *promisit;* sensus est: nunc perfecit quod olim promisit, quando per os Aggæi II, 7 locutus est. Apud prophetam ita habetur in hebræo: *Adhuc semel — parum est*, i. e. post breve tempus — *et ego movebo cœlum et terram, et mare et aridum*, i. e. commovebo rerum universitatem, adeoque ingentem mutationem in toto mundo efficiam, sc. quando novum fœdus cum hominibus pangam, quando Messiam in terras mittam. Vulgata in Agg. ita vertit: *Adhuc unum modicum est, et ego* etc.; sed melior est versio 70: ετι ἁπαξ, *adhuc semel*, sicut habetur hic in epist. ad Hebr. Apostolus omittit *parum est*, et hac in re sequitur 70 Interpretes.

Movebo non solum terram sed et cœlum, i. e. omnia movebo, quæ moveri possunt; proinde, ut explicat ipsemet auctor v. 27, omnia amovebo quæ amoveri possunt, omnia abrogabo quæ transitoria sunt, seu per commo-

autem, Adhuc semel, dicit: de-
clarat mobilium translationem
tamquam factorum, ut maneant
28 ea, quæ sunt immobilia. * Ita-
que regnum immobile suscipien-
tes, habemus gratiam, per quam
serviamus placentes Deo, cum
29 metu et reverentia. * Etenim
Deus noster ignis consumens
est.

cœlum. [27] Notate verba *adhuc semel:* quum hæc dicat Deus, declarat quondam abrogandam esse legem veterem, nimirum per hoc quod commovendum et disrumpendum sit id omne quod creatum est (cœlum et terra), quodque natura sua mobile et transitorium est; atque istud fiet in hunc finem, ut, post commotionem illam (qua transacta, ea sola manent quæ moveri nequeunt, seu quæ immobilia atque æterna sunt), alia jam nulla eveniat; i. e. ut legi veteri imperfectæ, terrenæ, transitoriæ, succedat lex nova perfecta, cœlestis, immobilis, æterna. [28] Itaque, quum in hac lege, seu in regno Christi, accipiamus bona immobilia et æterna, in gratia fidei permaneamus; et proinde ita Deo serviamus ut ei placeamus, nimirum cum reverentia et timore: [29] Deus enim noster, æque ac Deus veteris Testamenti, ignis est qui peccatores consumit.

tionem disrumpam quidquid moveri atque disrumpi possit: adeo ut, post alteram illam commotionem (qua introducta fuit lex nova), nihil jam supersit quod destructioni subjaceat (quare dicit *adhuc semel*); unde concludimus, ea quæ ad legem novam spectent esse immobilia, immutabilia et æterna, ergo numquam abroganda. Et re quidem vera, œconomia terrestris novæ Legis non cessabit in cœlis, sed tantum evolvetur, perficietur, consummabitur: fides enim convertetur in visionem, spes autem in rei speratæ possessionem, et charitas in unionem beatificam cum eo qui diligitur.

28. Habemus gratiam: hæc Vulgatæ lectio reperitur in Sin. et K; sed longe melior est lectio εχωμεν χαριν, *gratiam teneamus* (εχειν pro κατεχειν), *permaneamus in gratia fidei.*

29. Respicit ad Deut. IV, 24. Passim narrat Scriptura Deum sub specie ignis et fulguris videndum se præbuisse, ejusque potentia cum igne et fulgure sæpissime comparatur. Ita Moysi apparuit Deus in rubo *ardenti*, Ex. III, 2; et Hebræis in columna *ignis*, Ex. XIII, 22; pariter in monte Sinai, cf. supra, hoc cap. ad Hebr., v. 18. Cf. etiam Is. X, 17. Sic die Pentecostes Spiritus s. sub figura linguarum *ignearum* in Apostolos descendit. Vide etiam Apoc. I, 15, ubi auctor celeberrimam Ezechielis visionem, Ezech. I, coram oculis habuisse videtur.

Analysis cap. XII.

Hebræos ad constantiam in fide, mediis in vexationibus et ærumnis, adhortatur :

1° Per exempla virorum quos in capite præcedenti enumeravit, v. 1 ;

2° Per exemplum Christi, v. 2-4 ;

3° Per optimum finem in quem Deus permittit homines pios miseriis pœnisque affligi : id enim facit ut eos emendet, erudiat etc., quemadmodum pater ex amore filium corripit, v. 5-8 ; imo potiore jure, v. 9, et melius quam pater, v. 10 : igitur, utilissimus est tribulationis effectus, v. 11.

Deinde varias subjungit adhortationes : ut animosi sint, v. 12, bonum dent exemplum, v. 13, pacem servent cum omnibus et sancte vivant, v. 14 ; caveant ab hominibus pravis, v. 15, sanctam fidei gratiam non contemnant, sicut Esau, rem sacram primogenituræ suæ vili pretio vendens, eam profanavit, v. 16, 17.

Adhortationes autem illas, quæ huc tendunt omnes ut Hebræi legi novæ fideles maneant, confirmat rursum, quemadmodum cap. X jam fecerat, exponens excellentiam legis novæ cum vetere comparatæ, et proinde gravissimas pœnas iis irrogandas, qui a fide Christi per apostasiam deficiunt, v. 18-29.

In hac autem expositione sequenti modo procedit : ostendit primum legem veterem fuisse terrenam plenamque terrore quem incutiebat, v. 18-21, novam vero spiritualem esse et cœlestem, adeoque talem quæ spiret amorem et gratiam, v. 22-24 ; deinde, declarat legem veterem transitoriam ac perituram fuisse, novam e contrario esse immutabilem atque æternam, v. 26, 27. Concludit majorem nunc esse obligationem observandi legem novam, quam olim fuerit custodiendi legem veterem ; indeque graviores pœnas iis qui a lege Christi recedant certo inferendas esse, v. 25, 28 et 29.

§ 4. *Monita varia ad virtutes exercendas et vitia fugienda.*

CAPUT XIII, 1-17.

1 * Charitas fraternitatis ma-
2 neat in vobis. * Et hospitalita-
tem nolite oblivisci, per hanc
enim latuerunt quidam, Angelis
3 hospitio receptis. * Mementote
vinctorum, tamquam simul vin-
cti : et laborantium, tamquam
et ipsi in corpore morantes.

[1] Perseverate in charitate fraterna. [2] Exercete etiam hospitalitatem : hanc enim dum præstarent quidam, angelos sub figura hominum occultatos hospitio receperunt inscii. [3] Adjuvate eos qui in carcere detinentur, siquidem membra unius ejusdemque corporis estis, adeoque aliquo sensu vincti cum ipsis ; estote misericordes erga miseros, quum et ipsi in corpore viventes omnimodis miseriis sitis expositi.

1. De charitate fraterna videsis 1 Cor. XIII ; Gal. V, 14 ; VI, 2 ; Rom. XIII, 10 ; 1 Thess. IV, 9 sqq. ; Rom. XII, 9-21, etc.

Maneat, nam jam existebat, cf. VI, 10 ; X, 33.

2. Exlicat tripartitim quomodo charitatem fraternam exercere debeant : per hospitalitatem, misericordiam erga vinctos, et generatim erga miseros quosvis (*laborantes*).

Oblivisci, ait, ideo forsitan, quod bonorum rapinam passi erant (cap. X, 34), adeoque in paupertatem redacti, hospitalitatis *oblivisci* facile possent. — Enim : ex eo quod tantus honor olim consessus fuerit hospitibus, concludere licet vertutem hospitalitatis Deo valde acceptam esse.

Latuerunt etc. Hellenismus, qui ab ingenio linguæ latinæ plane abhorret : interpres vocibus græcis nimis inhæsit : sensum videsis in paraphrasi. Apostolus recogitat historiam Abrahami Gen. XVIII, et Loth ib. XIX.

Hospitalitatem, ceteraque misericordiæ opera, Deo gratissima nobisque utilissima esse, colligere possumus etiam ex historia discipulorum Emmaus. Christum quasi peregrinum ad hospitium vocant, imo cogunt et trahunt, eique mensam apponunt : et ecce " Deum, quem in Scripturæ s. expositione " non cognoverant, in panis fractione cognoscunt (s. Greg. Hom. 23 in Ev.). " Atque ita fit ut Dominus *cognoscatur dum pascatur*. Pascamus eum in pauperibus, et eum cognoscemus per fidem et gratiam in terris, et postea per lumen gloriæ in cœlis.

3. Tamquam, particula causalis : quia estis quasi simul vincti, propter unionem quæ inter membra ejusdem corporis mystici, Ecclesiæ, existit. Cf. 1 Cor. XII, 12 sqq. ; Eph. IV, 15 et 16 ; Rom. XII, 4 et 5.

4 * Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros judicabit Deus.
5 * Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque
6 derelinquam. * Ita ut confidenter dicamus : Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.

[4] In matrimonio conversamini honeste sub omni ratione (abstinentes a copula fornicaria), neque thorum conjugalem per adulterium violate : fornicatores enim et adulteros condemnabit Deus.

[5] Tales sint mores vestri ut pecuniam aut bona terrena non quæratis; sed contenti estote iis quæ habetis, et de futuro ne soliciti sitis : Deus enim adest qui promisit auxilium : *Non*, ait, *te deseram vel ad tempus, a fortiori non te plane derelinquam ; sed semper providebo sustentationi tuæ;* [6] adeo ut confidenter dicere possimus : *Dominus mihi adjutor, non timebo quidquam : nihil contra me facere poterit homo quivis.*

4. Honorabile connubium : mens auctoris non est laudare statum matrimonialem eumque cœlibatui anteponere, sicut quidam Protestantes contenderunt : sed, ut patet ex antithesi (*fornicatores et adulteros*), vult dicere : in matrimonio honeste conversamini ; non habete copulam nisi matrimonialem, seu abstinete a fornicatione. Addit thorus immaculatus, quo significat : matrimonium non violate per adulterium.

Fornicatores, πορνους, qui matrimonio juncti non sunt et copulam cum soluta committunt ; adulteros, μοιχους, qui matrimonio juncti sunt et copulam cum muliere alia habent.

5. Concupiscentiæ carnis oculorum concupiscentiam merito annectit; atque ita, post officia in proximum, v. 1-3, duo notat officia uniuscujusque in seipsum : moderari appetitum carnalem, et desiderium bonorum temporalium.

Contenti præsentibus, absque solicitudine de futuro, ut docet Christus Matth. VI, 34 (videsis Comm. nostr. in s. Matth., 3a ed., Brugis, 1880-1882) ; nam hæc ad congregandam pecuniam movet. Cf. 1 Tim. VI, 6-10.

Ipse enim : ex vetere Testamento probat deponendam esse nimiam de futuro solicitudinem. Non te deseram, a te recedendo aliquantulum, a fortiori *non te* penitus *derelinquam*, puta, quod spectat ad sustentationem corporalem. Verba desumpta sunt ex Jos. 1, 5, coll. Deut. XXXI, 6.

6. Ita ut... : fiducia nascitur ex eo quod Deus nobis semper adfuturus sit. Dominus etc., e Ps. CXVII, 6. — Quid faciat mihi homo, melius sumitur tamquam independens a *non timebo* et per interrogationem legitur, ut in hebræo.

7 * Mementote præpositorum
vestorum, qui vobis locuti sunt
verbum Dei: quorum intuentes
exitum conversationis, imita-
8 mini fidem. * Jesus Christus
heri, et hodie : ipse et in sæcula.
9 * Doctrinis variis, et peregrinis
nolite abduci. Optimum est enim

[7] Memores estote superiorum vestrorum ecclesiasticorum, qui vobis Evangelium prædicaverunt ; recogitate quomodo usque in finem vitæ fideles manserint, eorumque fidem imitamini. [8] Jesus Christus fuit quidem cum ipsis, sed etiam nobiscum est, et in perpetuum erit, semper idem et immutabilis. [9] Ergo, semper una eademque manet doctrina ejus : igitur, nolite ab ea abduci per doctrinas varias et aliunde desumptas, v. gr. Judaizantium. Etenim, requiem cordis

7. Transit ad officia in superiores ecclesiasticos : injungit ut Hebræi eos imitentur, v. 7, eisque obediant, v. 17. — Exitum etc. Videtur respicere ad ss. Jacobum, Stephanum etc. — Fidem : in fine epistolæ rursum attingit argumentum suum primarium, eosque ad constantiam in fide adhortatur.

8. Jesus Christus heri. Secundum punctuationem Vulgatæ nostræ sensus est : Christus heri et hodie est ; idem etiam in æternum erit. Si autem duplex punctum ponamus post *ipse* (non post *hodie*), sensus erit : Christus heri et hodie idem est : et erit in æternum. Beelen hæc refert ad versum sequentem, quasi sit ratio qua nititur monitum illud : *Doctrinis variis* etc. Drach ita nectit cum præcedentibus : ipsi in Christum crediderunt ; in eumdem Christum vos etiam credere, aliasque doctrinas, quæ Christo adversantur, rejicere debetis. Bisping autem, post A Lapide et s. Thomam, videt ibi quasi tacitam objectionem hanc : Christus erat cum præpositis istis, adeo ut facile possent isti fidem in Christum habere; cui quidem objectioni respondet Apostolus : Sed idem Christus est nunc in medio nostrum, et perpetuo idem manet, atque ideo fides semper eadem est, aliæque doctrinæ rejiciendæ sunt, v. 9.

Quidam theologi hunc locum adducunt ad Christi *æternitatem*, adeoque et *divinitatem*, demonstrandam; sed, ut ex dictis patet, argumentum illud non omnino certum firmumque videtur : melius esset id omittere, quum tot alia sint testimonia meliora.

9. *Doctrinæ variæ* certo sunt falsæ, cum Christus sit semper idem et immutabilis (v. 8), ergo sunt *peregrinæ*, i. e. alienæ a doctrina Christi. Sermo fit de doctrina Judaizantium, qui cultum Mosaicum adhuc sequebantur. Doctrina Protestantium etiam falsa dicenda est ex hoc ipso quod toties varietur : cf. Boss., *Variat. de l'Eglise Protest.*

Optimum enim etc. Dat rationem quare a doctrinis Judaizantium abstinere debeant : istæ, ait, non possunt *cor stabilire*, requiem et pacem *cordis*,

gratia stabilire cor, non escis :
quæ non profuerunt ambulanti-
10 bus in eis. * Habemus altare,
de quo edere non habent potesta-

per Christi gratiam, præsertim in ss. Eucharistia, invenire oportet, non per usum sacrificiorum Judaicorum, quæ numquam felices reddere potuerunt eos qui operam illis dabant. [10] Nos christiani habemus sacrificium melius de quo edere possumus, sc. corpus Christi in altari immolatum; et

i. e. veram et internam dare; verbo, hominem beatum reddere non valent. Hoc enim fit solummodo per *gratiam*, i. e. per veram fidei doctrinam, seu per religionem christianam ejusque instituta, v. gr. per Sacramenta, imprimis per ss. Eucharistiam. Nolim igitur recedere a sententia illorum, qui *gratiam* intelligunt de ss. Eucharistiæ Sacramento : quæ quidem interpretatio per verba sequentia confirmatur, ut statim dicemus.

Escæ autem, de quibus hic sermo fit, videntur esse *epulæ sacrificales* (ex antithesi v. 10), seu esus victimarum secundum ritum legis Mosaicæ immolatarum; et, quum edentes participarent sacrificia, *escæ* ponuntur pro *sacrificiis Judaicis;* adeo ut sensus sit : felicitas et salus quærendæ sunt, non in sacrificiis Mosaicis, sed in sacrificio a Christo peracto et instituto, in sacrificio ss. Eucharistiæ (v. 10), quod idem est ac sacrificium crucis (v. 12); et generatim in cultu religionis christianæ, non autem in cultu religionis Mosaicæ.

Quæ non profuerunt : instituta Mosaica sanctitatem veram et interiorem, adeoque salutem ac felicitatem æternam, efficere haud valebant.

10. Habemus altare, supple, in quo immolatur victima, *de qua edere non possunt Judæi :* victima autem illa est corpus Christi in cruce immolatum, cf. v. 12. Ergo nos christiani habemus sacrificium, in quo immolatur idem Christi corpus quod in cruce immolatum fuit, et de quo sacrificio edere possumus.

Ex hoc loco invicte demonstratur existentia sacrificii Missæ, et simul realis Christi præsentia in ss. Eucharistia. Etenim, christianorum sacrificium sacrificiis Judaicis opponitur, ergo sacrificium est verum et proprie dictum; præterea, non intelligitur ipsum crucis sacrificium, cujus participes simus per fidem, nam dicitur christianos de illo sacrificio *edere* posse, quemadmodum Judæi victimas secundum ritum Mosaicum immolatas manducabant; unde concludimus agi de *reali* victimæ esu : ergo de sacrificio in quo *realiter* præsens sistitur corpus Christi, et præsens tamquam victima, i. e. corpus immolatum : quæ quidem immolatio modo mystico fit in sacrificio Missæ, in quantum per duplicem panis et vini consecrationem sanguis a corpore mystice separetur, adeoque repræsentatio fiat illius quod

tem, qui tabernaculo deserviunt.

11 * Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.

12 * Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

quod participare prohibentur Judaizantes, qui in sacrificiis legis Mosaicæ spem collocant. [11] Hoc autem ex significatione typica alicujus præscriptionis Mosaicæ concluditur: animalia, quorum sanguis per summum sacerdotem ad expianda populi peccata, die Magnæ Expiationis, in Sanctum-Sanctorum infertur, manducare non licet; verum injungitur ut carnes illæ extra castra vel extra Urbem comburantur. [12] Atqui Christus per illas victimas præfigurabatur: ideo, quando per proprium sanguinem peccata humani generis expiavit, extra Urbem mortem pertulit, et extra eam etiam mansit corpus ejus; quod innuit, victimam illam a Judæis edi non posse, seu vetitum esse Judaizantibus participare sacrificium Christi.

in cruce factum est. Atque ita paucis ex hoc versiculo probamus: sacrificium Missæ esse sacrificium verum et proprie dictum, nimirum sacrificium incruentum, repræsentativum sacrificii crucis.

Sententia nostra, quæ intelligit de altari Eucharistico, propugnatur a Corn. A Lap., All., Maier, Bisp., Reischl, et Beel. Prorsus igitur recedo a s. Thom. et ab Estio, qui *altare* explicant de cruce Christi, in qua Salvator noster pro nobis immolatus est.

Qui Tabernaculo deserviunt: contextus suadet ut intelligamus non solos sacerdotes Aaronicos, sed generatim Judæos omnes seu Judaizantes.

11. Ex symbolica et typica expositione ritus, die festo Magnæ Expiationis præscripti, probat Judæos qua tales non posse fieri participes sacrificii christianorum. Vide paraphrasim.

Cremantur, non comeduntur, non licet ea comedere: atqui victimæ illæ præfigurant Christum immolatum, cap. IX; ergo de corpore Christi in altari immolato edere Judæis non permittitur.

Extra castra, quamdiu Israelitæ erant in deserto, cf. Levit. XVI, 27, coll. IV, 12, 21; VI, 30; postea vero *extra urbem* Jerusalem crematæ fuerunt istæ victimæ.

12. Propter quod, ut significaret se præfiguratum fuisse per illas victimas, adeoque a sacrificio suo arcendos esse Judæos qua tales etc. — Extra portam: Golgotha enim, in quo crucifixus est Jesus, ea tempestate extra urbem situs erat, ut clare liquet ex Joann. XIX, 20.

13 *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.
14 * Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.
15 * Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis

[13] Nos igitur, ut illud participemus, exeamus ad Christum extra castra seu extra Urbem; aliis verbis, e Judaismo egrediamur, ut ad Christum accedamus, ejusque legem teneamus; et ideo ignominiam, quam a Judæis passus est, etiam nos toleremus. [14] Exeamus, inquam, per fidem, ut cum Christo quondam simus in urbe Jerusalem superna, in cœlis; nam civitas, in qua nunc commoramur, non est permanens, adeoque non potest esse habitatio nostra perpetua, sed futuram inquirimus, sc. civitatem cœlestem, æternam. [15] Ergo, quum Christi sacrificium participemus, per Christum pontificem nostrum semper Deo offeramus sacri-

13. Igitur, conclusio ex iis quæ dixit a v. 9: quum Judaismus non possit *cor stabilire*, siquidem Christi sacrificium, quod solum vere sanctificat, ad ipsum non spectat: christianæ fidei firmiter adhærere debemus, neque ad Judaismum redire nobis licet. Sed sermo Apostoli allegoricus est; continuat enim figuram, quam ex vetere Testamento desumpsit v. 11. Quamobrem per *extra castra*, seu *extra urbem*, vult dicere: e Judaismo egrediamur, eum relinquamus, et *accedamus ad Christum*, in fide christiana perseveremus, constanter *improperium ejus portantes*, i. e. quamvis probe sciamus nos per fidei professionem exponendos esse ignominiæ, vexationibus, opprobriis, calumniis etc.

14. Ratio quare extra castra Judaismi ad Christum exire, ejusque religioni firmiter adhærere debeant: quia solummodo apud Christum invenient permanentem civitatem, ubi in pace perpetua habitabunt: ad Christum autem itur per fidem, ad eum vero pervenitur per gloriam cœlestem: ergo, si velint locum requiei æternæ (*civitatem permanentem*) obtinere, debent primum exire e Judaismo (*extra castra*), deinde ad Christum accedere per fidem, seu christianam religionem amplecti et in ea perseverare, atque tandem ad Christum pervenire in cœlis regnantem, quod fiet per glorificationem.

15. Ergo, ut civitatem nostram permanentem inveniamus, Deum agnoscamus, laudemus, colamus, nimirum per Christum, i. e. in religione christiana, puta, eam fideliter profitendo. — Hostiam laudis: Deo offeramus

semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini
16 ejus. * Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.
17 * Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut

cium laudis, nimirum fidem verbis aperte profiteamur, atque ita honorem, qui ipsi competit, ei reddamus. [16] Verum, præter fidei professionem, quæ verbis fit, perficienda sunt opera charitatis: igitur beneficentiam christianam, quæ per eleemosynas præsertim exhibetur, constanter exercete. Etenim hujusmodi sacrificia, fidei, sc. et charitatis, Deo sunt accepta, non autem sacrificia mere externa legis Mosaicæ.

[17] Præter charitatem fraternam, requiritur etiam obedientia erga superiores, præsertim ecclesiasticos. Igitur, animo volenti eis obedite, ut opus ipsis commissum (nimirum vigilantiam diligentissimam, quam vobis impendere debent, propterea quod Deo reddituri sint ratio-

sacrificium internum et spirituale, sacrificium mentis per professionem veræ fidei, sacrificium voluntatis per vitæ sanctitatem et usum bonorum operum (v. 16). Tacite innuit cultum christianum esse interiorem, verum, et spiritualem (quo Deus adoretur *in spiritu et veritate*, Joan. IV, 24), non, sicut cultum Mosaicum qua talem, externum tantum, figurativum et carnalem.

16. Sacrificium spirituale, quod Deus a nobis postulat, illud est, ut nosmet ipsi offeramus ei totos, animam ejusque facultates, corpus ejusque potentias; igitur, mens nostra ei subjiciatur per fidem, et exterius quidem manifestatam, seu per veræ fidei professionem (*confitentium nomini ejus*, v. 15); voluntas autem per charitatem et actuosam quidem (v. 16). Quum vero opera charitatis præsertim respiciant proximum, Apostolus dicit: *Beneficientiæ* etc.

Talibus hostiis promeretur Deus; verbum *promeretur* est passivum: placatur Deus, i. e. tales hostias acceptas habet; supple ex toto contextu: non autem hostias mere externas legis Mosaicæ. De sacrificio spirituali cf. Rom. XII, 1; Rom. XV, 15; Phil. II, 17.

17. Supra v. 7 dixerat quid facere oporteat erga præpositos jam mortuos, nunc declarat quid erga præpositos vivos agendum sit: debetur eis, inquit, obedientia (*obedite*) et reverentia (*subjacete eis*).

Rationem reddituri pro animabus: quantum sacerdotum officium, et quam terribile! Jure ac merito testatur s. Chrysostomus (*De sacerd.* VI, 1) se

cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.

nem de salute animarum vestrarum) cum gaudio perficiant, videntes vestrum obsequium; neque umquam propter contumaciam vestram ingemiscere debeant: hoc enim si fieret, valde noxium esset vobis, direque a Deo puniretur.

EPILOGUS.

Familiaria quædam, salutationes etc.

CAP. XIII, 18 — fin.

18 * Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volen-
19 tes conversari. * Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.

[18] Orate pro me: confido me precibus vestris indignum non esse, quum sperem conscientiam meam esse puram, siquidem conor recte agere in omnibus rebus. [19] Iterum autem et instantius rogo subsidium orationum vestrarum, ut a Deo obtineam gratiam velocius redeundi ad vos.

his verbis prorsus fuisse perterritum. — Non expedit vobis: litotes pro *gravissimas vobis induceretis pœnas.*

18. Probabilis est quorumdam conjectura, ea, quæ ab hoc versu usque ad finem epistolæ habentur, propria Pauli manu adjecta fuisse: qua quidem subscriptione Apostolus totam tractationem præcedentem, ab uno ex discipulis suis elaboratam, approbavit atque suam fecit. Cf. supra introd. ad hanc epist., § 2, prop. V et VII.

Orate pro nobis: hæc petitio versum præcedentem recte sequitur, quum Paulus præpositis eorum imprimis annumerandus sit. Apostolus in epistolis suis frequenter rogat ut fideles pro ipso orent: cf. Rom. XV, 30; 1 Thess. V, 25; 2 Thess. III, 1; Col. IV, 3; Eph. VI, 19.

Confidimus: ita loquitur, tum ex humilitate, tum ex eo quod nemo, absque speciali Dei revelatione, sciat se esse in statu gratiæ. Sui autem apologiam facit, contra Judaizantes, ut videtur.

19. Celerius, puta, quam fieret sine vestris precibus. Restituar: hoc verbum innuit sane, sed non certo probat, scriptorem epistolæ eo tempore in vinculis detentum fuisse: quod quidem s. Paulo optime convenit.

20 * Deus autem pacis, qui eduxit
de mortuis pastorem magnum
ovium, in sanguine testamenti
æterni, Dominum nostrum Je-
21 sum Christum, * aptet vos in
omni bono, ut faciatis ejus vo-
luntatem : faciens in vobis quod
placeat coram se per Jesum
Christum : cui est gloria in
sæcula sæculorum. Amen.
22 * Rogo autem vos, fratres, ut
sufferatis verbum solatii. Etenim
perpaucis scripsi vobis.

[20] Ego autem vicissim pro vobis oro : Deus, pacis auctor, qui Dominum nostrum Jesum Christum, supremum Ecclesiæ pastorem, ad vitam gloriosam revocavit, propter merita mortis ejus (qua quidem morte novum Testamentum, vetere excellentius, utpote æternum, dedicavit), [21] disponat atque perficiat vos in usu et studio omnium bonorum operum, ut voluntatem ejus prorsus impleatis ; seu potius, ipse Deus, per gratiam suam, operetur in vobis quidquid ipsi acceptum est, idque efficiat per mediatorem Jesum Christum. Huic autem Christo absolute competit gloria in omnia secula : quod ut fiat exopto !

[22] Rogo autem vos, fratres in Christo, ut hanc epistolam nostram, quæ ad exhortandos et monendos vos scripta est, bene suscipiatis: nam brevis est, habita ratione argumenti, adeoque libentius legenda.

20. Deus pacis, ait, ut *pacem* eis tacite exoptet.

Pastorem magnum, seu *summum* (cf. 1 Petr. V, 4 *princeps pastorum*) vocat Christum, ut significet eum esse excellentiorem et digniorem omnibus veteris Testamenti sacerdotibus : quæ quidem doctrina recapitulatio est universæ partis dogmaticæ.

In sanguine etc., refer ad *eduxit de mortuis :* Christus, per sanguinem suum seu mortem, meruit gloriosam resurrectionem.

Æterni : hoc addit ut excellentiam et præstantiam novi fœderis rursum indicet.

21. Faciatis denotat actum humanæ libertatis ; faciens autem gratiæ auxilium ; hæc enim ambo concurrere debent in operibus salutaribus.

Per Jesum Christum, refer ad *faciens :* nam per Christum, unicum salutis mediatorem, Deus omnes largitur gratias.

Cui, sc. Christo, non Deo (Patri) : Christi divinitas hic innuitur : cf. 2 Tim. IV, 18 ; 2 Petr. III, 18 ; Rom. IX, 5.

22. Verbum solatii, παρακλησεως, potius *exhortationis :* ita vocat universam hanc epistolam, cujus præcipuus finis est Hebræos ad constantiam in fide *adhortari.*

Perpaucis, melius *paucis*, δια βραχεων. *Pauca* revera sunt, quia materia tam gravis longius latiusque pertractari potuisset.

23 * Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum : cum quo (si celerius venerit) videbo vos.
24 * Salutate omnes præpositos vestros, et omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.
25 * Gratia cum omnibus vobis. Amen.

23 Scitote Timotheum, fratrem nostrum ac discipulum meum, e vinculis liberatum esse; cum ipso, si huc Romam ante discessum meum venerit, vos invisam.
24 Salutate meo nomine omnes superiores vestros ecclesiasticos, et omnes christianos vestræ ecclesiæ. Christiani Italici vos salutant.
25 Gratia Dei sit cum omnibus vobis. Fiat !

Analysis cap. XIII.

Auctor I° *monita varia* tradit, v. 1-17 ; et deinde II° in epilogo *familiaria quædam* addit, quæ ad genus epistolare proprie spectant, v. 18-25.

I. *Monita.* 1° Ad charitatem eos admonet, v. 1, præsertim erga peregrinos v. 2, erga christianos in carcere detentos, et erga miseros quosvis, v. 3 coll. 16.

2° Quod autem attinet ad officia singulorum hominum in seipsos, avertit Hebræos ab impudicitia, v. 4, et avaritia, v. 5, 6.

3° Postea, ad constantiam in fide christiana, non obstantibus

23. Cognoscite, non *gratiose recipite* (s. Thom.), sed *scitote eum dimissum esse;* probabiliter intelligitur eum *e carcere dimissum* (ἀπολελυμένον), quamvis aliunde nihil de ejus vinculis notum sit.

Fratrem nostrum : *nostrum* pro *meum,* qua discipulum, ut 1 Thess. III, 2; vel *nostrum,* i. e. *meum et vestrum,* qua christianum.

Si celerius venerit, *celerius* quam ego profecturus sim. Verisimile est Timotheum, post liberationem suam, a Paulo negotii causa quopiam missum fuisse.

24. De Italia fratres : nonnulli explicant *qui ex Italia huc venerunt* vel *fugerunt;* sed præfero *Italici, qui hic in Italia habitant,* cf. Act. Ap. X, 23 ubi similis dictio habetur. Secundum hanc sententiam dicendum est, nostram epistolam Romæ, vel saltem in Italia, scriptam esse.

tribulationibus, eos adhortatur: a/ per exemplum præpositorum eorum qui jam defuncti erant, v. 7, 8 : b/ per inanitatem sacrificiorum Mosaicorum, v. 9 ; c/ per excellentiam sacrificii Eucharistici, quod participant christiani, et a quo exclusi sunt Judæi qua tales et Judaizantes, v. 10-13 ; tandem d/ per mercedem beatitudinis cœlestis, v. 14.

4° Denique, monet eos circa officia erga superiores ecclesiasticos, v 17.

II. Epilogus epistolæ *familiaria quædam* continet. Preces eorum efflagitat, v. 18, 19 ; sanctissimam pro eis facit apprecationem, v. 20, 21 ; rogat ut epistolam bene accipiant, v. 22 ; nuntios dat, v. 23, et salutationes, v. 24 ; tandem gratiam eis exoptat, v. 25.

Atque hanc ipsam Dei gratiam, cujus apprecatione absolvuntur omnes et singulæ s. Pauli epistolæ, alumnis meis charissimis omnibusque commentarii mei lectoribus exoptare liceat, antequam ab eis discedam, et eos in Domino valere jubeam.

SUBSCRIPTIO.

" Videor mihi debitum ingentis hujus operis, adjuvante Domino, reddi-
" disse. Quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant: quibus autem
" satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant. Amen !
" (S. Aug. *De civ. Dei,* fin.) "

Regi regum et Domino dominantium... honor et imperium sempiternum ! Amen !

1 Tim. VI, 15, 16.

Απο Θεου αρχη και συν Θεῳ τελος.

INDEX.

EPISTOLA AD EPHESIOS.

INTRODUCTIO.

§ 1. Quibus missa fuerit epistola. 5
§ 2. De statu ecclesiæ Ephesinæ 7
§ 3. Argumentum et divisio epistolæ 8
§ 4. Authentia. 10
§ 5. Locus et tempus scriptionis. 11
§ 6. Stylus et loca magis commendanda 12
Tabula synoptica epistolæ ad Ephesios. 16

COMMENTARIUS.

PARS DOGMATICA.

§ 1. Summaria expositio beneficiorum quæ in ordine ad salutem a Deo conceduntur 17
§ 2. Insignem Christi gloriam per Redemptionem participamus. 23
§ 3. Beneficium Redemptionis magis elucet si comparetur cum pristino gentilium statu 30
§ 4. Hanc doctrinam sua auctoritate confirmat Paulus, Deumque rogat ut Ephesii eam melius intelligant 36

PARS MORALIS.

§ 1. Unitas fidei et charitatis commendatur. 45
§ 2. Præcepta quædam morum particularia. 54
§ 3. Præcepta quæ ad vitam spectant domesticam 66
§ 4. Quibus armis ineunda sit pugna spiritualis. 75

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

INTRODUCTIO.

§ 1. De Philippensium ecclesia 85
§ 2. Finis scribentis et argumentum epistolæ 86
§ 3. Divisio 87
§ 4. Authentia 87
§ 5. Locus et tempus scriptionis 89
§ 6. Stylus et merita literaria 89
Tabula synoptica epistolæ ad Philippenses 93

COMMENTARIUS.

§ 1. Amorem testatur Paulus, et nuntiat personalia quædam 94
§ 2. Monet eos, præsertim ad concordiam, eisque Timotheum et Epaphroditum commendat 106
§ 3. Præmunit eos contra Judaizantium doctrinas et mores, suique apologiam facit 121
§ 4. Monita varia, et gratiarum actiones pro accepta pecunia 134

EPISTOLA AD COLOSSENSES.

INTRODUCTIO.

§ 1. De Colossensium ecclesia 145
§ 2. Scribendi occasio et causa 146
§ 3. Finis scribentis. — Argumentum et divisio 146
§ 4. Locus et tempus scriptionis (*remissive*) 148
§ 5. Authentia 148
§ 6. Stylus et pulchriores metaphoræ 148
Tabula synoptica epistolæ ad Colossenses 150

COMMENTARIUS.

Procemium epistolæ 151

PARS PRIOR : DOGMATICA.

§ 1. Excellentia beneficiorum Incarnationis exponitur 155
§ 2. Falsa Judaizantium sapientia arguitur 171

PARS ALTERA : MORALIS.

§ 1. Generalia sanctitatis monita 186
§ 2. Monita particularia de officiis vitæ domesticæ 193
§ 3. Monitum ad orationem et circumspectionem. 195
§ 4. Epilogus : familiaria quædam continet 197

EPISTOLA 1ª AD THESSALONICENSES.

INTRODUCTIO.

§ 1. De Thessalonicensium ecclesia. 203
§ 2. Occasio scribendi et scribentis finis 204
§ 3. Argumentum et divisio 204
§ 4. Locus et tempus scriptionis. 205
§ 5. Authentia. 206
§ 6. Scribendi ratio et flores sermonis. 206
Tabula synoptica epistolæ 1æ ad Thessalonicenses. 207

COMMENTARIUS.

Pm 1m. Adhortatio ad constantiam in fide, mediis in tribulationibus 209
Pm 2m. Apologia prædicationis s. Pauli apud Thessalonicenses 215
Pm 3m. S. Pauli erga eos amor solicitus. 222
Pm 4m. Monita quædam, præsertim ad castitatem 228
Pm 5m. De mortuorum resurrectione mundique exitu 233
Pm 6m. Monita varia ad vitæ sanctitatem 240

EPISTOLA 2ª AD THESSALONICENSES.

INTRODUCTIO.

§ 1. Occasio et scopus epistolæ 249
§ 2. Argumentum et divisio 250
§ 3. Tempus et locus scriptionis. 250
§ 4. Authentia et integritas epistolæ 251
§ 5. Loca præcipua attentione digna 252
Tabula synoptica epistolæ 2æ ad Thessalonicenses. 253

COMMENTARIUS.

P^m 1^m. Thessalonicenses laudat et consolatur s. Paulus 255
P^m 2^m. De fine mundi et de Antichristo. 259
P^m 3^m. Adhortatur omnes, et quosdam redarguit inordinatos 266

EXCURSUS IN 2 THESS. II, 1-11.

De fine mundi et de Antichristo, juxta Scripturam sacram. 273

EPISTOLA AD TIMOTHEUM PRIOR.

INTRODUCTIO.

Epistolæ s. Pauli pastorales.

§ 1. Designatio 280
§ 2. Authentia. 281
§ 3. Specialis epistolarum Pastoralium utilitas 284

Binæ ad Timotheum epistolæ.

De s. Timotheo 285

Epistola prior ad Timotheum.

§ 1. Occasio scribendi et scribentis finis 286
§ 2. Argumentum et divisio 286
§ 3. Tempus et locus scriptionis. 288
Tabula synoptica epistolæ 1æ ad Timotheum. 290

COMMENTARIUS.

Caput I. Impugnandi sunt pseudo-doctores Judaizantes. 291
Caput II. De precibus publicis, et de habitu mulierum in cœtu sacro 300
Caput III. Dotes in episcopis, diaconis etc. requisitæ. 311
Caput IV. Judaizantes iterum redarguit Paulus, et monita practica dat Timotheo 324
Caput V. Cura pastoralis erga singulos, præsertim erga viduas, diaconissas, presbyteros etc. 334
Caput VI. De servis. Contra avaritiam. Monita ad Timotheum. 345

ANALYSIS LOGICA UNIVERSÆ EPISTOLÆ.

I. Contra pseudo-doctores, præsertim Judaizantes. 356
II. Quænam in publico Dei cultu observanda sint 357
III. De dotibus personarum in ministerium Ecclesiæ eligendarum 357
IV. Quomodo Timotheus in agendo et docendo sese gerere debeat 358
V. Monita personalia ad Timotheum 359
VI. Pauli apologia. 359
VII. Varia doctrinæ puncta quæ obiter perstringuntur 360

EPISTOLA AD TIMOTHEUM POSTERIOR.

INTRODUCTIO.

§ 1. Scribendi causa et scopus epistolæ 361
§ 2. Argumentum et divisio 362
§ 3. Locus et tempus scriptionis. 362
Tabula synoptica epistolæ 2æ ad Timotheum. 365

COMMENTARIUS.

Caput I. Timotheus fortiter, impavide et fideliter se gerat 366
Caput II. Pro Christo laborandum sine timore; errores vitandi; sancte vivendum 372
Caput III. Mox orituri sunt homines pessimi. Adhortatio ad varias virtutes, præsertim ad constantem persecutionum tolerantiam pro fide, et ad s. Scripturæ studium 383
Caput IV. Timotheum obtestatur ut officio strenue fungatur, utque ad se Paulum Romam veniat 392

ANALYSIS LOGICA UNIVERSÆ EPISTOLÆ.

I. Quid Apostolus Timotheo præcipiat, aut commendet, ut ipse munere episcopali recte et diligenter fungatur 401
II. Quibus utatur rationibus ut varias illas adhortationes, monitiones et instructiones Timotheo persuadeat. 402
III. Quænam præcipue ad ipsum Paulum personaliter spectent. 403
IV. Quid præsertim dicatur in hac epistola de hæreticis et Ecclesiæ adversariis 404
V. Puncta quædam alia, notatu digna, separatim indicata 405

EPISTOLA AD TITUM.

INTRODUCTIO.

§ 1. De s. Tito et ecclesia Cretensium 406
§ 2. Tempus et locus scriptionis. 407
§ 3. Scopus, argumentum, et divisio . , ... 409
§ 4. Authentia. 410
Tabula synoptica epistolæ ad Titum 417

COMMENTARIUS.

Cap. I. Dotes episcopi et presbyteri. Pseudo-doctores redarguendi 418
Cap. II. Agendi ratio erga personas varias. Finis Incarnationis sanctus . . . 426
Cap. III. Officia erga ethnicos, eorumque fundamentum. Judaizantes vitandi. Familiaria quædam 434

ANALYSIS UNIVERSÆ EPISTOLÆ.

I. Quinam in episcopos et presbyteros eligendi sint 441
II. Vitia et errores in insula Cretæ. 442
III. Instructiones et monitiones variis personis dandæ 442
IV. Monita et præcepta personalia ad Titum 443
V. Gratia Redemptionis, quæ justificationem et glorificationem includit, exponitur 443

EPISTOLA AD PHILEMONEM.

INTRODUCTIO.

§ 1. De iis ad quos et de eo in cujus gratiam scripta fuerit epistola 445
§ 2. Scopus et argumentum epistolæ 446
§ 3. Epistolæ authentia et canonicitas 447
§ 4. Tempus et locus scriptionis 448
§ 5. Præclara scribendi ratio, et mirum compositionis artificium 448
Tabula synoptica epistolæ ad Philemonem 450

COMMENTARIUS.

Cap. unicum. Philemonem laudat, ac miro studio pro Onesimo servo fugitivo deprecatur 451

ANALYSIS TOTIUS EPISTOLII.

1° Quis petit? 467
2° A quo petit? 468
3° Quid petit? 468
4° Quomodo petit? 469

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

INTRODUCTIO.

§ 1. De divina epistolæ inspiratione 471
§ 2. De auctore 475
§ 3. Quibus lectoribus scripta sit epistola 486
§ 4. Qua lingua primitus composita fuerit 487
§ 5. Tempus et locus scriptionis. 488
§ 6. Scribendi occasio et finis scribentis 488
§ 7. Argumentum. 489
§ 8. Divisio 491
§ 9. Epistolæ utilitas et præstantia 493
§ 10. Interpretes præcipui 494
Tabula synoptica 495

PARS PRIOR : DOGMATICA.

Sectio I. Christus major est angelis et Moyse.

§ 1. Christus superior est angelis 496
§ 2. Christus, non vero angeli, in mundum novum dominatur; et per passionem quidem hanc excellentiam obtinuit. 507
§ 3. Moyse excellentior est Christus : huic igitur fideliter est obediendum . . 516

Sectio II. Christi sacerdotium sacerdotio Mosaico excellentius est.

§ 1. Christus est vere sacerdos 528
§ 2. (*Digressio*) Reprehensio, adhortatio, consolatio 535
§ 3. Distincte et fuse explicatur vaticinium : *Juravit Dominus....: Tu es sacerdos* etc. 547
§ 4. Christus sacerdos mediator est fœderis melioris. 565
§ 5. Christi sacrificium omnibus præstat veteris legis sacrificiis, et generatim cultus christianus melior est cultu divino in lege Mosaica ordinato . 569

PARS POSTERIOR : MORALIS.

§ 1. Adhortatio ad constantiam in fide christiana. 593
§ 2. In exemplar proponitur fides sanctorum vet. Test. 601
§ 3. Imitantes sanctorum et Christi exempla, in fide permaneant Hebræi, mediis in tribulationibus, ne dire puniantur 616
§ 4. Monita varia ad virtutes exercendas et vitia fugienda. 629
Epilogus : familiaria quædam, salutationes etc. 636

Corrigenda.

P. 30. In paraphr. lin. 8[a], loco *oratis* lege *eratis*.
P. 51. In annotat. lin. 11[a], loco *De Saint-Jure* lege *Saint-Jure*.
P. 491. In linea 2[a], loco *sancitum* lege *sanctum*.
P. 492. In linea 20[a], loco *sancitum* lege *sanctum*.

FINIS TOMI II ET ULTIMI